INTRODUCTIO
AD VITAM
INTERIOREM
ET PERFECTAM

TUM SECULARIBUS, TUM RELIGIOSIS PERSONIS

PERUTILIS,

In quinquaginta tres Lectiones diſtributa.

Ex Sacræ Scripturæ textibus, Introductione ad vitam devotam S. Franciſci Saleſij, & libro Imitationis Chriſti concinnata.

ADDITIS ANNOTATIONIBUS ET DOCUMENTIS AD illorum intelligentiam faciliùs capiendam.

TERTIA EDITIO

In duos Tomos diſtributa.

TOMUS PRIMUS.

CORRERIÆ CARTUSIÆ.

Per CLAUDIUM FAURE, Typographum Gratianopolitanum.

M. DC. XCIII.

Cum Approbationibus, & ſingulari Regis Chriſtianiſſimi licentia.

Digitized by Google

VENERANDIS IN CHRISTO PATRIBVS Viſitatoribus, Prioribus & Monachis Cartuſianis Provinciarum Hiſpaniæ, Germaniæ, Belgij, & Italiæ.

NIhil profundiùs cordi noſtro infixum eſt VV. PP. quam omnibus Ordinis ſubditis providere de ſolido animarum cibo, qui in piorum librorum Lectione reperitur. Cum autem in tanta librorum varietate, qualis nunc in orbem introducta eſt, maximi momenti ſit prudenter ſeligere eos, qui noſtrorum ſolitariorum inſtructioni, & ſpirituali educationi magis conveniant; Operæ pretium duxi, ſelectum illum per me facere, illíſque quaſi propria manu tradere hunc librum, in quo ſolidiſſima vitæ ſpiritualis & ſolitariæ fundamenta reperient. Quippe quæ tribus principiis nitantur; nempe ſacrarum ſcripturarum, quarum autoritas omnem autoritatem ſuperat; & librorum Imitationis Chriſti & ſancti Franciſci Saleſij, quorum doctrina ubique celebratur. Omnem etiam ex mea parte, quam potui opellam adjunxi; ut additis explicationibus fieret quaſi lac parvulis, quod adultis & grandioribus in vita ſpirituali ſolidus cibus eſt. Iam dudum liber iſte Gallico idiomate in publicum prodiit, nunc verò multis veſtrùm precibus inſtigatus, & horas aliquas mihi furatus, illum etiam vobis communem reddo. Hunc igitur laboris noſtri fructum, & paternæ ſollicitudinis teſtimonium pari ani-

mo excipite, quo illum vobis offero, meíque in veſtris precibus, ſervi veſtri per Jeſum, nunquam obliviſcamini. Bene valete. Datum Cartuſiæ. Hac 21. Martij 1693.

Veſter in Chriſto humilis Miniſter Generalis. F. INNOCENTIUS, *Prior Cartuſiæ.*

INDEX LECTIONUM.

LECTIO *prima.* *page* 1

Regula prima. Univerſa, prout homini poſſibilia ſunt, non verò ſemper ad literam intelligenda. 7

Regula II. Quæ verbis diſtinguenda ſunt, mente quoque omninò diſtinguenda, nec invicem confundenda. 9

Regula III. Pauca legenda, ſed attentiori mente digerenda. 10

Regula IV. Mentis faſtidium, ex curioſitatis mortificatione proveniens, eſſe ſuperandum. *Ibidem.*

Regula V. Plura inter legendum vulgaria videri quæ tamen in praxi ſublimiora, quæ notiſſima videntur & reipsâ non ſunt. 11

Regula. VI. A proprio ſenſu cavendum, & extrema quæque fugienda. *ibid.*

De vera devotione & in quibus conſiſtat. Qualiter anima debeat Chriſtum amare, & ad ejus familiarem amicitiam tendere. 12

De proprietate & excellentia devotionis. 16

De amore Jeſu ſuper omnia. 18

De familiari amicitia Jeſu. *ibid.*

LECTIO II.

Devotionem convenire cujuslibet ſtatus hominibus. 20

De lætitia bonæ conſcientiæ. 23

De mirabili effectu divini amoris. 24

De vili æſtimatione ſui ipſius in oculis Dei. 25

LECTIO III.

De neceſſitate ducatum pii & prudentis directoris ſequendi. 26

De doctrina veritatis. 29

De obedientia & ſubjectione. 31

De quatuor magnam importantibus pacem. *ibid.*

LECTIO IV.

De purificatione animæ. 33

De imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi. 35

De humili ſentire, ſeu cognitione ſui ipſius. 36

De interna converſatione cum Deo. 37

LECTIO V.

De prima purificatione quæ eſt à peccatis. 39

De ſecunda purgatione ab affectibus ſcilicet & inclinationibus erga peccatum. 41
De inſtabilitate cordis & intentione finali ad Deum habenda. 42
Quòd amanti ſapit Deus ſuper omnia & in omnibus. 43
LECTIO VI.
De mediis ad purgationem faciendam ab affectibus peccandi. 44
De compunctione cordis. 46
De confeſſione propriæ infirmitatis & hujus vitæ miſeriis. 47
Quòd in Deo ſuper omnia bona & dona requieſcendum eſt. 49
LECTIO VII.
De creatione noſtra meditatio prima. 51
De fine ob quem conditi ſumus meditatio ſecunda. 53
De altioribus rebus & occultis judiciis Dei non ſcrutandis. 55
Quod omnis ſpes & fiducia in ſolo Deo figenda eſt. 57
LECTIO VIII.
Meditatio tertia de divinis beneficiis. 60
De recordatione multiplicium beneficiorum Dei. 61
Meditatio quarta, de peccatis. 63
Quòd homo non reputet ſe conſolatione dignum, ſed verberibus reum. 65
LECTIO IX.
Meditatio quinta de morte. 67
Meditatio ſexta de judicio. 70
De judicio & pœnis peccatorum. 72
LECTIO X.
Meditatio ſeptima de inferno. 74
Meditatio octava de Paradiſo. 75
Quòd omnia gravia pro æterna vita ſunt toleranda. 77
De die æternitatis (ſive pace cæli) & hujus vitæ miſeriis. 78
LECTIO XI.
Meditatio nona, per modum electionis & optionis cæleſtis gloriæ. 80
Meditatio decima, per modum electionis & optionis quà anima vitam devotam ſibi deligit. 82
De contemptu omnis temporalis honoris. 84
De deſiderio æternæ vitæ, & quanta ſint certantibus bona promiſſa. *ibid.*
LECTIO XII.
Quomodo confeſſio generalis inſtituenda ſit. 87
Authentica proteſtatio, ad propoſitum Deo ſerviendi in anima ſculpendum, & pœnitentiæ actus concludendos. 88
Quòd nos ipſos abnegare, & Chriſtum imitari debemus per crucem. 90
Quòd omnis ſollicitudo in Deo ſtatuenda ſit. 91

LECTIO XIII.
De concluſione primæ purgationis quæ eſt à peccatis. 93
De affectibus erga peccata venialia expugnandis & eliminandis. 94
De pace animæ quæ in ſola affectionum mortificatione invenitur. 96
LECTIO XIV.
De affectu ad res inutiles & periculoſas effugando & pellendo. 97
De vana ſpe & elatione fugienda. 98
Quòd privatus amor à ſummo bono maximè retrahat. 99
De pura & integra reſignatione ſui ad obtinendam cordis libertatem. 100
LECTIO XV.
Quòd deſideria cordis examinanda ſunt & moderanda. 102
De neglectu omnis creaturæ, ut creator poſſit inveniri. 103
De abnegatione ſui, & abdicatione omnis cupiditatis. 104
Quòd gratia Dei non miſcetur terrena ſapientibus. 105
De diverſis motibus naturæ & gratiæ. 106
De corruptione naturæ & efficacia gratiæ divinæ. 108
LECTIO VI.
De malis inclinationibus à quibus animus eſt expurgandus. 110
De pace acquirenda & zelo proficiendi. 111
De operibus ex charitate factis. 112
De pura mente & ſimplici intentione. 113
LECTIO XVII.
De vita monaſtica. 115
De exemplis ſanctorum Patrum. *ibid.*
De exercitiis boni Religioſi. 116
De amore ſolitudinis & ſilentij. 118
LECTIO XVIII.
De ferventi emendatione totius vitæ noſtræ. 121
Quòd omnia ad Deum, ſicut ad finem ultimum ſunt referenda. 124
Quòd ſpreto mundo dulce eſt ſervire Deo. *ibid.*
Qualiter ſtandum ſit & dicendum in omni re deſiderabili. 126
LECTIO XIX.
De orationis neceſſitate. 128
De interna Chriſti locutione ad animam fidelem. 130
Quòd veritas intùs loquitur ſine ſtrepitu verborum. 131
Quòd Dei verba cum humilitate ſunt audienda, & quod multi ea non ponderant. 132
LECTIO XX.
De brevi meditandi methodo agitur, & primò de Dei præſentia, quæ eſt primum præludiorum punctum. 1 4
De invocatione, altero præparationis puncto. 136
De myſterij propoſitione, tertio præparationis puncto, *ibid.*

LECTIO XXI.

De conſiderationibus, ſecunda meditationis parte. 139
De affectibus & propoſitis, tertia meditationis parte. *ibid.*
De judiciis Dei conſiderandis ne extollamur in bonis. 140
De eminentia liberæ mentis, quam ſupplex oratio magis meretur quam lectio. 141
De concluſione & faſciculo ſpirituali. 142
De quibuſdam utiliſſimis circa meditationem ipſam documentis. *ibid.*

LECTIO XXII.

De ariditatibus quæ in meditatione contingunt. 145
Quòd verum ſolatium in ſolo Deo eſt quærendum. 146
Qualiter homo deſolatus ſe debet in manus Dei offerre. 147
Quòd humilibus inſiſtendum eſt operibus cùm deficitur à ſummis. 149

LECTIO XXIII.

De exercitio matutino. 151
De exercitio veſpertino, déque examine conſcientiæ. 152
De recollectione & receſſu ſpirituali. 153
De aſpirationibus, orationibus jaculatoriis ac piis cogitationibus. 155

LECTIO XXIV.

De ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio, & quomodo ipſum audiendum ſit. 159
De aliis exercitiis publicis & communibus frequentandis. 161
De ſanctis honorandis & invocandis. 162
Quomodo verbum Dei audire & legere oporteat. 163
De lectione ſanctorum Scripturarum ac piorum librorum. 165
Contra vanam & ſecularem ſcientiam. *ibid.*

LECTIO XXV.

Quonam modo inſpirationes divinæ admittendæ ſint. 167
De ſancta Confeſſione. 169
De diſcuſſione propriæ conſcientiæ & emendationis propoſito. 172
Quòd nos & omnia noſtra Deo debemus offerre & pro omnibus orare. 173

LECTIO XXVI.

De frequenti communione. 176
Quòd utile ſit ſæpè communicare. 178
Quòd ſacra communio de facili non eſt relinquenda. 179
Quòd corpus Chriſti & ſacra Scriptura maximè ſint animæ fideli neceſſaria. 181

LECTIO XXVII.

De ſuprema bonitate & charitate Chriſti in corporis ſui conceſſione, & cum quanta reverentia ſuſcipi debeat. 183
Quòd magna bonitas & charitas Dei in Sacramento iſto homini exhibetur. 186
Quòd multa bona præſtantur devotè communicantibus. 188

De

De dignitate Sacramenti & ſtatu ſacerdotij. 189
LECTIO XXVIII.
Quomodo communicandum ſit. 191
Interrogatio pia de exercitio ante communionem. 193
Quòd ſicut Chriſtus totum ſe nobis tribuit, ità & nos debemus plenè nos ei dare abſque ulla exceptione. *ibid.*
Quòd magna diligentia ſe debeat communicaturus Chriſto præparare. 194
LECTIO XXIX.
Quòd toto corde anima devota Chriſti unionem in Sacramento affectare debet. 196
De quorumdam devotorum ardenti deſiderio ad corpus Chriſti. 197
Quòd gratia devotionis humilitate, ac ſui ipſius abnegatione acquiritur. 198
LECTIO XXX.
Quòd neceſſitates noſtras Chriſto aperire & ejus gratiam poſtulare debemus. 200
De ardenti amore & vehementi affectu ſuſcipiendi Chriſtum. *ibid.*
Quòd homo non ſit curioſus ſcrutator Sacramenti, ſed humilis imitator Chriſti ſubdendo ſenſum ſuum ſacræ fidei. 202
LECTIO XXXI.
De electione in exercitio virtutum neceſſaria. 203
Eadem materia tractatur. 207
LECTIO XXXII.
De patientia. 211
De informatione patientiæ & luctamine adverſus concupiſcentiam. 215
Quòd temporales miſeriæ exemplo Chriſti æquanimiter ſunt ferendæ. 216
LECTIO XXXIII.
De humilitate exteriori. 218
De humilitate interiori. 220
Quòd in veritate & humilitate coram Deo converſandum eſt. 224
De humili ſubmiſſione. 225
LECTIO XXXIV.
Quâ ratione humilitatem ſervando propriæ famæ poſſit conſuli. 229
De tolerantia injuriarum & quis verus patiens probetur. 233
Contra linguas obtrectatorum. 234
LECTIO XXXV.
De manſuetudine & benignitate erga proximum, & optimo adverſus iracundiam remedio. 235
De manſuetudine erga nos ipſos. 238
De ſufferentia deffectuum aliorum. 240

De bono pacifico homine. 241
Quòd homo non ſit nimis dejectus, quando in aliquos labitur defectus. *ibid.*

LECTIO XXXVI.

Negotia diligenter quidem, non tamen anxiè, & ſollicitè nimium gerenda ſunt. 243
De bono regimine in externis & recurſu ad Deum in periculis. 245
Quòd homo non ſit importunus in negotiis. 246
De prudentia in agendis. *ibid.*

LECTIO XXXVII. 248

De obedientia humilis ſubditi ad exemplum Jeſu Chriſti. 250
De caſtitatis neceſſitate. *ibid.*
Caſtitatis conſervandæ præcepta & monita præſcribuntur. 252
De paupertate ſpiritus inter divitias obſervanda. 254
Quomodò re ipſâ paupertatem exercere quis poſſit, licet de facto & realiter maneat dives. 256
Quomodò ſpiritualem opulentiam media in paupertate reali exercere poſſimus. 259

LECTIO XXXVIII.

De amicitia. 261
De veris amicitiis. 263
De diſcrimine inter veras & vanas amicitias, & varia monita. 265
Alia quædam monita quoad materiam de amicitiis traduntur. 267
De cavenda nimia familiaritate. 269
Quòd pax non eſt ponenda in hominibus. *ibid.*

LECTIO XXXIX.

De mortificationis exterioris exercitiis. 271
De converſationibus & ſolitudine. 275
De modeſtia & decentia veſtium. 277
De ſermone & primò quomodò de Deo loquendum ſit. 279
De honeſtate verborum, déque reverentia hominibus debita. 280
De cavenda ſuperfluitate verborum. 281

LECTIO XL.

De temerariis judiciis. 283
De detractione. 286
De temerario judicio vitando. 290
De propria conſideratione. 291
De evitatione curioſæ inquiſitionis ſuper alterius vita, 292

LECTIO XLI.

Alia quædam quoad locutionem documenta. 294
Ad pacem animæ ſervandam contentiones eſſe fugiendas & de non attrahendo ſibi res exteriores. 295
Quòd omnibus non eſt credendum & de facili lapſu verborum. 296

De confidentia in Deum habenda, quando inſurgunt verborum jacula. 297

LECTIO XLII.

Quòd in magnis æquè ac parvis occaſionibus fidelem eſſe oportet. 299

Animum æquum & rationis ductum ſequentem habendum eſſe. 301

De deſideriis. 302

De occultanda gratia ſub humilitatis cuſtodia. 304

LECTIO XLIII.

Filiorum hujus ſeculi ſermones & obloquia curanda non ſunt. 307

Inter difficultates animoſè perſiſtendum. 309

Contra vana hominum judicia. 310

In quibus firma pax cordis & verus profectus conſiſtit. 311

LECTIO XLIV.

De tentationum natura, & quod ſit inter tentationem ſentire & ei conſentire diſcrimen. 313

Duo inſignia, quoad hoc, referuntur exempla. 315

De utilitate adverſitatis. 317

De tentationibus reſiſtendis. *ibid.*

LECTIO XLV.

Anima in tentationibus conſtituta animatur. 320

Quomodo tentatio & delectatio poſſint eſſe peccatum. 321

De paucitate amatorum crucis Jeſu. 323

Quod non eſt ſecuritas à tentatione in hac vita. 324

De conſideratione humanæ miſeriæ. *ibid.*

LECTIO XLVI.

In magnis tentationibus remedia ſuggeruntur. 327

Levioribus etiam tentationibus reſiſtendum eſt. 328

Quomodo parvæ tentationes ſuperandæ ſunt. 329

Qualiter inſtante tribulatione Deus invocandus eſt. 330

LECTIO XLVII.

Quomodo animus contra tentationem ſit roborandus. 332

De regia via ſanctæ Crucis. 333

De probatione veri amatoris. 336

LECTIO XLVIII.

De inquietudine. 338

De triſtitia. 341

De divino petendo auxilio & confidentia recuperandæ gratiæ. 343

LECTIO XLIX.

De ſpiritualibus & ſenſibilibus conſolationibus, & quomodo in his ſe gerere debeat homo. 345

De gratitudine pro gratia Dei. 350

Quod homo nihil boni ex ſe habet & de nullo gloriari poteſt. 351

LECTIO L.

De ſpiritualibus ariditatibus & ſterilitatibus. 353
Superiùs dicta illuſtri quodam exemplo confirmantur & illuſtrantur. 358
De carentia omnis ſolatij. 358

LECTIO LI.

Bona propoſita per ſequentia exercitia ſingulis annis ſunt renovanda. 363
Expenditur quantum Dei ſit beneficium quòd nos ad ſuum ſervitium vocârit, juxta proteſtationem ſuperiùs poſitam, & habetur lectione duodecima. *cap.* 2. 365
Animæ noſtræ ſtatus examinandus, & videndum quem in vita devota progreſſum fecerit. *Ibid. cap.* 3. 366
Animæ ſtatùs examinatur, quomodo ſe erga Deum geſſerit. *ibid. cap.* 4. 368

LECTIO LII.

Examinatur animæ ſtatus erga ſe ipſam. lib. 5. Introdᵭionis *cap.* 5. 370
Examinatur animæ ſtatus erga proximum *ibidem. cap.* 6. *ibid.*
Examinantur ipſius animæ affectus. *Ibid.* cap. 7. 371
Affectus quidam ſunt poſt hoc examen excitandi & producendi. *cap.* 8. 372

LECTIO LIII.

Conſiderationes quædam ad bona noſtra propoſita renovanda accommoda proponuntur. lib. 5. Introductionis. *cap.* 9. 373
Conſideratio prima de animarum uoſtrarum dignitate. *ibidem. cap.* 10. *ibid.*
Conſideratio ſecunda de virtutum præſtantia. *Ibid. cap.* 11. 374
Conſideratio tertia ab exemplo ſanctorum. *Ibidem. cap.* 12. 375
Conſideratio quarta de amore quo Redemptor noſter Jeſus nos eſt proſecutus. *Ibidem. cap.* 13. 376
Conſideratio quinta de æterno Dei erga nos amore. *ibidem. cap.* 14. 377
Generales ſuper præcedentibus conſiderationibus affectus, ac ſimul hujus exercitij concluſio. *Ibidem. cap.* 15. *ibid.*
Quales poſt hoc exercitium peractum, ſenſus & motus ſint in anima conſervandi. *Ibidem. cap.* 16. 378
Hujus operis Concluſio. *ibid.*

APPENDIX in qua in unum collecta habentur loca ubi piiſſimus author libri de Imitatione Chriſti loquitur de gratia Chriſti, ut ejusſenſus de hac re evidentius innoteſcat. 1
GRATIÆ neceſſitas exponitur & qualia ſint ejus auxilia. 2
QUID Deus ab homine requirat, ut gratiam recipiat conſervet, au-

geat : nec ab ea decidat. 6
QUID ſentiendum ſit de gratiæ adventu & receſſu. 9
EXPONITUR Doctrina S. Conc. Tridentini circa gratiam Chriſti. 18
DE gratiæ neceſſitate & auxiliis, cum quibus humana debet concurrere libertas. 19
QUID Deus ab homine requirat ut gratiam recipiat, conſervet, augeat; nec ab ea decidat. 22
QUID decernat S. Synodus circa gratiæ Chriſti influxum in ſemel juſtificatos: & de eorum perſeverantia. 24
DE Doctrina & verbis S. Auguſtini 30
CIRCA gratiæ neceſſitatem & auxilia. 31
CIRCA cooperationem ex parte hominis. 32
CIRCA abſceſſum gratiæ, & ejus amiſſionem. 35

Finis Indicis Lectionum.

APPOBATIO.

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini D. Epiſcopi & Principis Genevenſis.

IN ore omnium eſt ex libro Introductionis ad vitam internam & perfectam tot emitti radios cæleſtis ſapientiæ, tot coruſcationes è ſolitudine micantes, tot denique fulgura, quæ è ſanctis montibus prodeunt, ut hic liber jure merito alter tonitrui filius nuncupari mereatur.

Sed præ omnibus libris ab illius autore editis, hic ultimus finem, & votum plenè aſſequitur, quo autor ſemper optavit ut fieret in ſuis duplex ſpiritus nempe mortificarionis & pœnitentiæ; quo S. Bruno tot peperit ſanctos, quot fecit monachos: & ſpiritus amoris, quo B. Franciſcus Saleſius tot condidit Angelos, quot habuit fideles diſcipulos: idque tanto faciliori eventu, quod jam ſacris ſpiritûs ſancti unctionibus edoctus, ut alter Guillelmus Pariſienſis jam pridem Doctor unctus & ungens, in hoc ultimo tractatu profundius calamum in corde tinxerit.

Hinc toto animo librum hunc etiam cum Appendice non tantum approbamus; imò etiam ei applaudimus, quòd ſecundò & communiori idiomate, ut ſanctum manna ad guſtum omnium Nationum condiatur. Datum Anneſſij die 13ª menſis Decembris 1692.

JOANNES *E. Genevenſis.*

APPROBATIO.

Nobilis Domini de la Perrouſe ſacræ Facultatis Doctoris Sorbonici, & Sabaudiæ Decani.

GLoria Filiæ Regis ab intus, ut canit Pſaltes. Quod Privilegium Gratiæ novi Teſtamenti ſpecialius convenire dignoſcimus in, quo veri Adoratores adorant Patrem in ſpiritu & veritate.

Hæc eſt vita interna, quam ſolus docere, ſicut & dare poteſt ille qui verba vitæ æternæ habet in ore & conſummat in corde, dum in ſolitudine loquitur ad cor ſponſæ.

Nihil mirum ſi ex eremo arcana hujus vitæ myſteria revelat autor hujus operis; bibit in ſecreto quod eructat in publico. Eructat ſanè cor

ejus verbum bonum, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparando,

Elucet in volumine ſuaviſſima pariter, & profunda pietatis eruditio; ſed multò magis unctio, quam ſola docet oratio. Hìc fons aquæ ſalientis in vitam æternam, internam, perfectam, quæ lavat, potat & fœcundat.

Utinam deriventur fontes iſti foras, & è ſanctificato monte, in quo placitum eſt Deo habitare in eo, in plateis dividantur, & ab omnibus qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam fæliciter hauriantur. Ita ſpero, ita ſentio, ita precor. Ego ſacræ facultatis Doctor Sorbonicus & Sabaudiæ Decanus; ita ſubſcribo nonis Februarij. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio.

FRANCISCUS DE BERTRAND *de la Perrouſe.*

APPROBATIO.

Domini I. FALCAS, *Eccleſiæ Cathedralis Sancti Petri Genevenſis Canonici, ac Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctoris.*

I*N excelſis infirmi eſſe non poſſunt*, ait Sanctus Ambroſius; *prius enim unuſquiſque ſanandus, ut paulatim virtutibus procedentibus aſcendere poſſit ad montem. Cùmque mentem à vita corruptibilis amore divertimus*, inquit Gregorius magnus, *quaſi quibuſdam cordis paſſibus ad interiora properamus. Nemo autem infima deſerens, repentè fit ſummus: quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum quotidiè mens in altum ducitur, ad hoc procul dubio, velut aſcenſionis cujuſdam gradibus pervenitur.* Multi hanc ſanctorum Patrum doctrinam, vel ignorantes, vel contemnentes, vel de ſe nimiùm præſumentes, ad virtutum celſitudinem & apicem, ab infimis ad ſumma evolare & vitæ internæ ac perfectæ vias ſublimiores ab ipſo ſuæ converſionis exordio ſtatim ingredi contendunt. Sed quodnam eſt præſumptionis iſtius emolumentum? ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes; inſtabiles effecti, multum per noctem laborantes nihil capiunt, umbrámque perfectionis pro ipſa perfectione amplectentes auſu temerario feruntur in altum ut lapſu graviore ruant. Quicumque ruinam talem vitare deſideras, hac utere Introductione, quæ te ad vitam internam & perfectam pedetentim, ſed ſecurè deducet; téque docebit aſcenſiones in corde tuo diſponere ad videndum Deum Deorum in ſion. *Hanc certam, ſolidámque viam teneas.* (Ut libri hujus, & autoris encomium ipſiuſmet autoris verbis *Lect. 19. pag. 118.*

utendo conficiam) *Hæc enim eſt via quæ ducit ad Patrem; per quam ſi conſtanter & fideliter incedas, Deus tempore opportuno levabit te ſupra te*
Lect. 13. pag. 94. *modo excellenti, & ſublimi. Agnoſces hunc librum legendo ſingularem animi Doctoris tui facilitatem ac perſpicuitatem, quibus animas ad pietatem allicit, nudæ, ſimpliciſque veritatis vinculis, ac nullo adhibito exaggerationis fuco.* Anneſſij die 10. Decembris, anno à Chriſto nato 1692.

J. FALCAZ, Canonicus Eccleſiæ Cathedralis S. Petri Genevenſis ac Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctor.

SUMMA PRIVILEGII REGIS Chriſtianiſſimi.

REgis Chriſtianiſſimi ſingulari Privilegio Pariſiis dato 13. Septembris 1688. Signato Bouchet conceſſum eſt R. P. Priori Cartuſiæ ut per octennium typis mandari faciat librum cui titulus eſt, *Introductio ad vitam interiorem & perfectam*, per quemcumque voluerit Typographum ſub prohibitionibus & pœnis quæ in diplomate fuſius continentur. Quod Privilegium R. P. communicavit Franciſco Comba Bibliopolæ Lugdunenſi.

INTRODU

INTRODUCTIO
AD VITAM INTERIOREM
& Perfectam.

LECTIO PRIMA.

EA eſt humanæ mentis peccati vulnere ſanciatæ miſeria; ut ejus non modo cogitationes ſint timidæ, incertæque providentiæ: Sed & ei ſic undique ſit præcluſus ad veritatem aditus; ut non niſi ſenſim, gradatímque: ad plenam ipſius notitiam poſſit pertingere. Graviſſimæ prius difficultates, & cogitationum pugnæ ſuperandæ ſunt antequam ad illam metam perveniat; atque etiam quæ labentem fugerint memoriam multoties repetenda ſunt: ut iterum addiſcantur. Nec inter varias diſſidentium cogitationum pugnas certi quidquam valet ſtatuere: quoad uſque longo multiplicíque rerum uſu erudita; rectæ rationis lucem ſequi: rectúmque de cunctis noverit formare judicium.

Quantò ſublimioribus, & à ſenſuum experimento magis alienis rebus intenderit; eò utique majori indiget auxilio: ut perfectam illorum aſſequi notitiam, eámque ſibimet, actibúſque ſuis valeat applicare. Elementa quippè quibus hujuſmodi primùm parta fuit cognitio ſæpius repetenda ſunt: ne memoriâ excidant, aut errore vel mutatione corrumpantur.

In rebus ſpiritalibus, ô Theotime, de quibus nunc diſſerendum eſt: Spiritûs Sancti gratiâ, velut face quâdam, prorſus indigemus; quâ graviſſimas veritates valeamus detegere: quæ in inſigni Chriſtianorum libro ſcripto intùs & foris, hoc eſt in Sacra Jeſu Chriſti humanitate continentur. Hujus namque gratiæ radij ad eas ediſcendas, tenaciúſque retinendas: corda noſtra, intelligentiáſque præparant. Verùm cùm diſponat omnia ſuaviter; nec magis de lege ordinaria, in ſupernaturalibus ac ſpiritualibus operationibus ad extrema, miraculáque feratur, quam in naturali rerum ordine, quæ paulatim cum tempore ac labore

perficiuntur: eadem quoque nobis eſt iucunda agendi ratio. Mediis à natura conceſſis, & ad mentis noſtræ captum accommodis utendum eſt: ut Chriſtianæ veritates penitiùs ediſcamus ⁊ ac pedetentim divinæ gratiæ lumen, Chriſtique veſtigia inſequamur: ſicque à facilioribus ducentes exordium ad ſublimiora capienda diſponamur.

Conſtat enim, ô Theotime ⁊ quam plurimos, quòd eâ ratione non procedant: graviſſimas animi anxietates incurrere. Cúmque à myſticorum Theologorum, ſpiritualiúmque librorum ſublimioribus tractatibus ducant exordium ⁊ aut inſuperabili difficultate oborta hærere ſubitò cogantur: aut aliquâ imaginatione ſubrepente, quam prudens tirunculus nullo negotio diſſolveret, illicò conſiſtere.

Hinc quoque fit, ô Theotime, ut nec ipſi hujuſcemodi difficultates per ſe enodare, nec aliorum ſolutiones valeant admittere ⁊ imo capaciores ſunt ex profluenti verborum copia, conceptuúmque ſublimitate, anxietates ac dubia in aliorum animos ingerere: quam pro ſe ipſis rectæ veritatis notitiam accipere. Licet enim illorum conceptus circà quoddam principium malè intellectum à vero ſemper aberrent, ⁊ auditorum tamen animos percellunt & perturbant, qui ſubtilioribus difficultatibus extricandis, & ad genuinum principium reducendis plerúmque impares ſunt: ſicut videmus ſubtilioris argumenti falſitatem, à Philoſophiæ candidatis non poſſe detegi aut dilui, quod tantùm à doctioribus poteſt diſſolui.

Hinc anxietates & dubia ſuboriuntur ⁊ hinc opiniones erroribus implicitæ animum occupant: ac tenaciùs ei inhærent. Viri hujuſmodi ſpirituales, pietatis planè avidi, celſique animi: graviſſimis anxietatibus confecti perſæpè reperiuntur. Sed eorum ſtatu, anxietatibus, earúmque cauſis diligentiùs perpenſis ⁊ (ut quoſdam ad hoc malum cæteris procliviores miſſos nunc faciam) illud omninò comperi; eorum ſcilicet inſtabilitatem indè proceſſiſſe, quòd ab initio certis non hæſiſſent cognitionibus, ⁊ quòd obvios quoſque libros indiſcriminatim evoluiſſent ⁊ quódque ea ſolummodò quæ ſubliniora, mentíque ſuæ magis conſona videbantur conſectantes: variarum rerum farraginem animo coacervaſſent, ac demum eorum ſcholaſticorum inconſultorum agendi modum eſſent imitati ⁊ qui Latinorum ſcriptorum Lectioni, explicationíque intendiſſe contenti, Latinè quidem ſciunt: verùm ſi componenda fuerit oratio, vel conſtructionis reddenda ratio, ſtatim hærere coguntur, quia earum nunquam regulas didicerunt.

Ita planè, Theotime, ejuſmodi ſpirituales etiam inopinatè ſeſe eorum numero adſcripſerunt: qui ſecundum Apoſtolum ſunt, *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Cum enim deberent eſſe Magiſtri propter tempus, quod in ſpiritualium librorum lectione impenderunt, ⁊ rurſus indigent ut ad vitæ ſpiritualis reducantur Elementa; & doceantur ea quæ ab initio planè didiciſſe debuerant ⁊

quæque *Elementa exordij ſermonum Dei* idem vocat Apoſtolus: ac veluti lac ſugendum eſt, antequam ad perfectorum ſolidum cibum perveniatur. Verùm timoratis hujuſcemodi animis præ omnibus cavenda eſt præſumptio; ſi enim hanc ſublimibus confuſiſque illorum ideis admiſceri contigerit: malum remediis vix pervium efficitur.

Id quotidiana probat experientia; quantúmque vitæ ſpiritualis aſcetis hujuſmodi præſumptio,præſertim inveterata: damnum inferat. Hoc enim morbo infectis animis mederi ſi ſtudeas: vix utilem adhibebis operam. Si enim ab opinione perperàm concepta revocentur: aliam ſtatim induunt, ſicque in iis quæ ſublimiora ac perfectiora, ſenſuique ſuo ſpirituali magis conſona videntur, privato judicio mordicùs retento adhærere conſueverunt: ut prudentiorum conſilia penitùs reſpuant. Demùm quando his anxietatibus admiſcetur præſumptio; ad extremum uſque ſpiritum: indiſſolubili nexu, colligata ſimul perſeverant. Soli humiles, aliorum obſequentes conſiliis; vitæque ſpiritualis Elementa denuò repetentes:ab his ſe ſe vinculis expedire valent. Cujus quidem rei exemplum ſubjicio mihi notiſſimum.

Quidam ſingulari virtute præditus; quàm plurimis tùm gratiæ, tùm naturæ ornatus dotibus: plures annos in Monaſterio, mentis anxietatibus ferè continuis preſſus tranſegerat; ibique evolutis ſublimioribus myſticorum libris: ab errore in errorem perpetuò labebatur. Parum ſibimet attendens; quod in aliis ab ea perfectionis idea, quam mente conceperat, diſſonum videbatur: condemnabat. Sed ut tandem latentem animi levaret ægritudinem: amico mentem aperüit, poſtulans ab eo conſilium. Hoc unum ei dedit; abſtineret omninò à ſublimibus hiſce libris evoluendis: ac *Sancti Franciſci Saleſij Introductionem ad vitam devotam* à qua, quidquid ſeculares tantummodò ſpectat, detractum fuerat, lectioni diutiùs incumberet. Acquievit conſilio; & apprimè ſibi conveniens expertus remedium: ſenſim atque illud hauriebat: animi angores minui; ſui ipſius contemptum, veluti balſamum vulneri infuſum, ejus ſedare dolores: & ad novam lucem oculos aperiri ſentiebat. Tandem eximium hunc librum evoluens, multotieſque revoluens; terrenorum ſolutus affectu, mortificatus, quietus, & in infirmitatibus patiens effectus: tot gratiæ donis fuit cumulatus; ut quod Deus per hoc remedium in ipſo fuiſſet operatus, penitiùs cognoſcens, ſummo fuerit perfuſus gaudio: nec illius rei fauſtus eventus ad memoriam redit, quin ſingulari conſolatione ſtatim afficiar.

His perpenſis, ô Theotime, ſi ab hujus mali cauſis ad illius remedia tranſeamus; in eo omninò ea conſiſtere illicò reperies: ut in rectæ veritatis principiis, velut in ſolido ſpiritualis inſtitutionis fundamento pietatis avidæ animæ ſtabiliantur. Cum hujuſcemodi mali remedium ejus ſit etiam antidotum; eâque facili ratione poſſit præcaveri: ſi Tirones in ſolida certâque cognitione principiorum Chriſtianæ ac Reli-

gioſæ vitæ ſtudioſè inſtitui ; cum Ordinem, menſuram, ac exercitationis modum tenuerint: quem pueri, qui Latinam linguam per regulas edocentur, obſervare conſueverunt.

A Rudimentis quippè ducunt exordium ; ad conſtructionis indè regulas tranſeunt: ſicque gradatim in ſtudiis proficientes ; tùm aſſiduâ in ſcribendo exercitatione, tùm Magiſtrorum explicatione ac correctione docti fiunt: & ad alios docendos idonei. Paulatim proficiunt ; unum eumdémque librum diutiùs evolvunt: ne ſuperficie tenus literas delibantes ; quod facilè mandaſſent memoriæ: pari ratione ab ea excideret.

Sumpto à Scholaſticis exemplo, ac eorum quæ ut ſcientiam aſſequantur, ſervanda ſunt, penſata ratione: nullo negotio percipies, ô Theotime ; quæ fuerit mea mens in hoc conſcribendo ſpiritualium lectionum, ad Tironum inſtitutionem directorio: meque id unum intendiſſe, ut eis ad perdiſcendas Chriſtianæ vitæ regulas, viam ſternerem ; & eorum animum à vagis cognitionibus, ipſorúmque captum excedentibus abſtractum, ad ſtudium principiorum vitæ ſpiritualis transferrem. Sicque velut in Schola, per Ordinem, menſuram, uſúmque, hujus diſciplinæ ſtudio vacantes ; ad ſublimem ſcientiam Sanctorum poſſint pertingere: quam his ſolummodò Deus elargitur, qui parvuli ſunt in oculis ſuis ; Magiſtrorum directioni ſubjacent ; humanæ mentis curioſitatem non ſequuntur ; varietatem, multiplicitatémque fugiunt, ut potè ſoliditati quâ mens indiget planè contrarias ; qui uni tantummodò ſtudio vacant, ut benè addiſcant: quique tandem id unicum intendunt, ut Jeſum Chriſtum velut unicum neceſſarium noverint atque ſequantur.

Quod igitur ad aliquid perdiſcendum Scholaſticus impendit temporis, Tironi ſpirituali proponendum eſt in exemplum ; illíque, ô Theotime, ſuggerendum diligentius: ut ab una lectione non ita leviter tranſeat ad aliam ; nec plus æquo animum oneret: cùm plurima ſimul nequeat digerere. Et eâ quidem de cauſa lectiones ab invicem diſtinguendas æſtimavi: ut in monitis generalibus, ad Magiſtri, diſcipulorúmque inſtitutionem, ſtatim fuſiùs explicabo. Sed de lectionum materia: nonnulla ſunt præmittenda.

Eas igitur, ô Theotime, triplici è loco depromimus.

1. *Ex Scriptura Sacra*, quæ eſt veritas ſcripta: in qua actionum noſtrarum regulæ continentur.

2. *Ex Introductione ad vitam devotam S. Francisci Saleſii*: magni ſi unquam, maximè in edocendis & enodandis ſpiritualibus negotiis Magiſtri.

3. *Ex libro de Imitatione Chriſti*, qui poſt ſacras Scripturas vix parem habet.

At fortaſſis objicies ; Introductionem ad vitam devotam, cum fuerit pro ſecularibus exarata: iis qui ſeculo nuntium penitùs remiſerunt,

non adeò convenire. Cum enim auſterius, cæteriſque Chriſtianis perfectius vitæ genus elegerint: ſanctiores quoque ac ſublimiores regulas illorum Status exigere videtur. Hæc ſi mentem occupavit opinio, agendum, ô Theotime, ut cognitâ quam ex eximij hujus libri documentis percipere potes utilitate: hanc protinùs abjicias.

Nemo planè religioſæ vitæ verus cultor eſſe poteſt: quin priùs probus fuerit Chriſtianus. Evangelicis etenim regulis quæ Chriſtianæ vitæ fundamenta ſunt: Religioſæ obſervantiæ ædificium ſuperſtruendum eſt. Ei igitur qui ad Religioſæ vitæ perfectionem contendit, à pietatis principiis, quæ univerſis Chriſtianis conveniunt, neceſſariò incipiendum eſt: ut his penitus inſtructus, ad ſpiritualis ædificij conſtructionem, regularem ſuperaddat obſervantiam, quâ in ipſo Spiritûs Sancti Templum eò ſurgat auguſtiùs: quò ejuſmodi regularis obſervantia, hiſce fundamentis firmiùs inſtiterit. Inter eos verò qui Chriſtianæ pietatis documenta explanârunt, ac Evangelij ſcientiam practicam velut per Ordinem ac methodum tradiderunt: B. Franciſcus Saleſius mihi ſemper viſus eſt eminere, ſeu puram ac ingenuam ſcribendi rationem attendamus, quâ ſublimiora quæque abſque ullis ambagibus exprimit: ſeu prudentiam ac moderationem ſpectemus, qua graviſſimas haſce veritates explicat ac inſinuat. Quidquid enim in Evangelio aſperius difficiliúſque videtur, cunctis poſſibile apertiſſimè demonſtrat, nihilque facilius ac rationi magis conſentaneum: quàm ad illud conſectandum totos animi conatus adjicere. Voluntatem ſic ſenſim allicit: ut vel effrænatiſſimos quoſque fateri compellat, neminem planè ab Evangelica legis obſervantia immunem eſſe, aut quibuſlibet excuſationibus eximere ſe poſſe: cum illa ſit lex immaculata convertens animas, omniúmque corda ſibi concilians.

Rationi quippè ac honeſtati ita congruenter eximius hic Dei ſervus divinæ legis placita proponit, nihil prorſus, quod exaggerationem coactionem-ve redoleat, adhibendo: ut qui Rationi, honeſtatíque nuncium penitùs non remiſerit: de ipſius veritate ac excellentia nequeat dubitare. Imò verò diſciplinam Evangelicam cuicumque Statui convenire: fateri compellatur.

Ea de cauſa, ô Theotime, cum ſacrarum lectionum quemdam veluti curſum, ad Chriſtianarum veritatum ac Religioſæ perfectionis praxim, per regulas edocendam, edere decreviſſem: *Introductione illius ad vitam devotam* præcipuè uſus ſum. Ac quamvis ſecularibus tantummodò, pro quibus ab hoc ſanctiſſimo Antiſtite elucubrata eſt, convenire videatur, ad Religioſorum tamen uſum facilè adaptari poſſe perſpicies: ſi prætermiſſa principiorum ipſius applicatione ad ſecularis Status munia, ipſa principia quaſi è ſuo fonte iterùm hauſta, ad Religioſæ vitæ inſtitutum applicentur. Quod facili negotio fieri poſſe perſpicuum eſt.

Id equidem omninò congruum vir prudens exiſtimabit; ſed & experientia conſtat, ſemperque conſtabit, tantam eſſe hujus ſanctiſſimi viri in eludenda & piè decipienda naturæ propenſione prudentiam: ut qui tradita ad *Philotheam* documenta ſervaverit; ad perfectam ſui ipſius abnegationem, ſuâ quaſi ſponte, ac veluti nullius actus fuerit impulſu: ſeſe perveniſſe perſpiciet. Atque ita dummodo hanc ſanctam abnegationem, quæ veluti perfectionis centrum eſt, attigeris; quid refert quâ viâ proceſſeris, ſeu per documenta pro ſecularibus edita, in quibus authoris prudentia ſcalpellum quaſi ſub ſtupa pauliſper abſcondit: ſeu per auſteriora præcepta, quæ ardua tantummodò proponant diſtrictúmque gladium naturæ oſtendendo, ejus contradictiones iniecto terrore ſæpiſſimè poſſunt adaugere.

Stimulis magis quam terriculis indigemus; illíque duces, qui inſtante prælio pericula ſolummodò ac difficultates militibus proponerent: turpem fugam ab ipſis potiùs quam illuſtrem victoriam expectare deberent. Imò verò certæ ſpei, ac conſequendæ gloriæ aculeis tunc incitandi ſunt milites: nihilque non movendum quod ipſum terrorem minuere, vel animum poſſit erigere. Eodem penitùs modo, ſpiritualis militiæ Tirones ſunt animandi; propoſitóque invictiſſimi ducis auxilio, in eam ſpem adducendi: quod, niſi volentes, ab hoſtibus nequeant ſuperari.

Introductioni ad vitam devotam adjunxi varios Scripturæ ſacræ textus: atque librum aureum de Imitatione Chriſti, ut ſuperiùs dictum eſt.

Verùm *Introductio ad vitam devotam*, præcipuum hujus operis fundamentum eſt: illius œconomiam ſecutus ſum, ac ferè integram, in hunc modum qui ſequitur, præſenti operi inſerui.

Poſt Scripturæ textus materiæ de qua agitur convenientes, quique totius ædificij veluti fundamenta ſunt: *ex introductione illa* aliquod aſſumo capita; nonnulla poſtmodum *ex libro de Imitatione Chriſti* ſubnectuntur: quæ in idem coëant argumentum, illiúſque practicam ac fuſiorem interpretationem ſuppeditent. Poſt *Scripturæ ſacræ Textus*, breves ſemper obſervationes ſubjungo; ſæpiúſque ad prædictorum capitum Calcem reflexiones nonnullas, notas quoque intertextas addo: & ex his omnibus lectionem compono; ſicque ad quinquageſimam tertiam & ultimam uſque procedens, collectionem inſtituo: quâ rectum iter animabus ad vitam interiorem & perfectam aſpirantibus oſtendatur. His lectionibus imbutæ ad ſublimiora quæque capienda diſponentur; & in omnibus ordinatè ac diſcretè, cum vera animi ſubmiſſione tùm interna tùm externa, abſque nimia ſolicitudine, moleſtia & anxietate ſe ſe gerent: ut tandem poſſint comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit Chriſtianarum veritatum, ac Charitatis practicæ latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum.

Obruuntur ſæpius Tirones ex documentorum nimietate, potiùs

quam inſtituuntur: ac nimis abſtractis vagiſque Lectionibus, magis implicantur quam erudiuntur. Evaneſcunt indè facilè in cogitationibus ſuis: tùm in anxietates, moxque in deſidiam, aut quamdam animi deſperationem decidunt. Hinc ut plurimùm ſolet evenire, quod illorum intellectus rectæ veritatis principiis ac primis Elementis non ſatis inſtiterit: ſed abſque regula vel modo ſuas ſequantur ideas, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam eorum quæ neceſſaria ſunt pervenientes. Si vero ab iis quæ faciliùs concipi poſſunt duxerint exordium, eáque mente concepta ad praxim reduxerint: Spiritus Dei ad Majorem in dies progreſſum faciendum eos diſponet, aperiet illis ſenſum ut intelligant Scripturas: & juxta ordinem quo ipſius providentia, à minimis ad majora, univerſa ſenſim progredi conſtituit, ita proficient, ut tandem arbores bonæ effici mereantur: quæ fructum afferant in tempore ſuo cum patientia.

Verùm ut has Lectiones facilius capiant, monita nonnulla, veluti quaſdam regulas generales ſubjicio, quas ſemper conſulant: quibúſque obortas inter legendum difficultates valeant extricare.

REGULA PRIMA.

Vniverſa, prout homini poſſibilia ſunt: non verò ſemper ad Literam intelligenda.

AB hac regula, quâ nunc magis indigemus: ducam exordium. Cordi noſtro quandoque ſubiraſcimur, ſed ſi cum illo nobis convivendum: nónne ſatius eſt inordinatos illius motus ferre, rectéque componere, quàm in ipſum perperàm commoveri, eáque forſitan ratione amplius exaſperare? licet enim cor noſtrum materiale, terrenum ac animale ſit, & ad terram ſuaptè naturâ propendens, voluptatem ac dolorem, ſolummodò quæ ſenſus afficiunt poſſit percipere, eſt tamen in animali primum vivens, & ultimum moriens: quæque ipſi anima dominatur, ejus motus dirigere, & ad uſus planè rationales ac ſanctos poteſt inflectere. Sed cordis hujuſce Myſterium amplius eſt explicandum. Id enim ad animi conſcientiæque tranquillitatem maximè conducit.

Cum Chriſtus aſſerit, Deum ex toto corde ſuo, & ex tota mente ſua, & ex tota virtute ſua diligendum, niſi ejuſmodi verba rectè intelligamus: illicò conturbabimur, & ad praxim reduci non poſſe judicabimus. Si divinum amorem, omnem prorſus ad creaturas animi affectum aut motum, omnémque penitùs quæ Deum non referat, cogitationem à mente excludere debere cenſeamus: nunquam in hac vita Deum

diligemus. Nemo planè quocumque Sanctitatis gradu prædîtus, exceptâ forſitan Beatiſſimâ Virgine, hoc præceptum adimplevit ; ſi intelligatur ad literam : & ad ſenſum quem poteſt capere totaliter extendatur. Nullus enim à cogitationibus, aut naturalibus cordis motibus voluntati ſuæ contrariis : penitùs immunis extitit.

Hæc igitur verba, *ex toto*, prout homini poſſibilia ſunt, debent intelligi, & habitâ ratione Statûs in quo Deus rationalem animam conſtituit ; quam utique cordis motibus, mentiſque cogitationibus obnoxiam eſſe, & agitari in hac vita voluit : ſed eadem rationi quantùm poteſt ſubjiciendo, juſſit comprimere. Hæc igitur poſſibilitas in eo conſiſtit ; ut ſecundum rationem, & efficax voluntatis propoſitum : cunctis cordis affectibus, cogitationibus mentis, privatiſque commodis Deum anteponas. *Ex toto corde*, juxta quod homini poſſibile eſt, diligitur ; cùm omnes cordis motus ad Divinum amorem eriguntur : & in praxi nihil ipſi contrarium admittitur.

Ex tota mente diligitur ; cum nullæ penitùs cogitationes ipſius amori oppoſitæ voluntariè admittuntur, aut foventur : ſed ad ejuſdem amoris regulas reducuntur.

Ex tota virtute diligitur ; cum univerſis quæ amori Dei oppoſita ſunt obſiſtitur : cunctáque ſedulò ad majorem ipſius gloriam referuntur. Quod & in praxi etiam juxta poſſibilitatem noſtram eſt intelligendum ; id eſt creſcendo in dies, ſenſimque proficiendo, nec ob caſus in aliqua delicta animum conturbando : cum à Deo decretum ſit, nos quandiu vixerimus, peccatis futuros eſſe obnoxios.

Sciendum igitur, ô Theotime ; dum intra Miſſæ Sacrificium Sacerdos dicit, *Surſum corda* ; hæc rationem potius, voluntatémque ſpectare: quam hujuſcemodi cor carneum. Eâ enim omninò ratione cor nominatur ; quod naturalis vitæ primum ſit mobile, adeóque animæ ac facultatum ipſius vinculum ac retinaculum, atque etiam quia in animali vita, quod nobilius ac magis intimum exiſtit : aptè ſignificet id quod in rationabili vita quæ in voluntate conſiſtit, perfectius eſt ac magis intimum. Voluntatem igitur ad Deum elevandam eſſe indè monemur ipſique offerendam : cor quoque in quantum fieri poteſt, attrahendum. Verùm ſi moroſum ac durum ad hanc vocem velut obſurdeſcere tibi videatur ; nullam indè anxietatem in anima concipias: ſufficit etenim ſi ad Deum ipſa elevetur.

Perſpecto igitur cordis hujus arcano, pro eo quod reipſâ eſt, reputabitur ; nec vanâ animi contentione aut fervore veluti per vim excitato, aut nimium incandeſcente zelo, inflecti aut mutari poſſe judicabitur : cùm è contrà ejuſmodi artes & conatus animam ampliùs conturbare ſoleant. Cor ipſum reputandum eſt velut animal in animali incluſum, effrænatis motibus alteri incommodum ; cujus quidem impetus ferendi ſunt : ſed motus mortificandi, & quantùm in nobis eſt ratione ac

voluntate

voluntate comprimendi. Matris ad inſtar quæ parvuli riſus, fletus, iram, nugáſque contemnens ⁊ eúmque ſolummodò ne cadat ſuſtinere contenta, cœpto pergit itinere: inordinatos cordis impetus negligamus ⁊ perſiſtamus viriliter: cordis imbecillitatem, animi ineptias naturæque contradictionem non attendamus. Verùm id penſantes in omnibus, abſque divina gratia, nos nihil omninò poſſe ⁊ ejus opem fiducialiter, continuiſque precibus poſtulemus: qui daturus eſt ſpiritum bonum petentibus ſe.

Priorem hanc regulam in univerſis quos jam edidimus tractatibus attigimus ⁊ verùm ad Tironum ampliorem eruditionem: hîc eam fuſius explicare operæ pretium fuit.

REGULA SECUNDA.

Quæ verbis diſtinguenda ſunt, mente quoque omninò diſtinguenda: nec invicem confundenda.

HÆc Regula prioris eſt ſequela: eámque magis explicat. Licet enim primâ fronte eos ſolummodò qui libros conſcribunt, alióſve vivâ voce inſtituunt, ſpectare videatur: illis tamen qui aliorum ſcripta legunt, vel dicta excipiunt perindè neceſſaria eſt.

Multùm planè priorum temporum ſanctiſſimis Patribus, ob eximia illorum ſcripta debemus ⁊ verùm qui conſequentibus exindè ſeculis ad nos uſquè pervenerunt: hauſtâ ex eiſdem fontibus quibus ipſi hauſerunt novâ luce, à Patribus tradita illuſtrarunt. Quæ ſolùm in genere, aut indefinitè tractata fuerant, magis in individuo ſigillatímque diſcutienda ſenſerunt ⁊ quæque priores, terminis confuſis, æquivocis, aut nimium vagis expreſſerant: terminis propriis ſingularibúſque dilucidiùs explicarunt. Prudenter equidem, in ſe ipſis ſpecie diſtincta, diſtinctis terminis expreſſerunt ⁊ ſeparatímque proponendo cogitationes mentis, cordis agitationes, ac voluntatis motus, hos ſolummodò ab animæ arbitrio pendére docuerunt: cætera verò pro libito quidem à voluntate probari vel improbari, ſed non penitùs poſſe cohiberi. Hæc ad pacem animæ conſervandam ⁊ & ad anxietatem puſillanimitatémque in pugnis ac contradictionibus quas in nobis ipſis experimur, propulſandam: maximè diſtinguenda ſunt. Iis igitur ſtandum eſt, quæ nobis à recentioribus tradita ſunt, cum ipſi ea à majoribus acceperint ⁊ ac novis inſuper loquendi modis ſe exprimant: ut & difficultates minuant ⁊ & ad priſcos Authores, ipſámque ſacram Scripturam ritè intelligendam ſenſum aperiant: in quo ſanè S. Franciſcus Saleſius potiſſimum excelluit.

REGULA TERTIA.

Pauca legenda, ſed attentiori mente digerenda.

MIſſis nunc variis lectionum generibus, quibus dum per tempus vacat, piè poſſumus intendere; nunc de lectione ſpirituali ſolummodò ſermonem facimus, quam velut opus diurnum, ſtatuto a directore ſpirituali tempore complendum: & ut ita dicam, velut lectionem Scholaſticis impoſitam ſpectare debemus. Sed inter legendum hæc obſerva.

1. Per ſemi-horam ſolummodò quotidiè ejuſmodi lectioni incumbendum eſt: ne nimietate animum oneres. Quod enim cibus ſtomacho, id menti cognitio eſt: eáque de cauſa hunc librum in certum lectionum numerum diſtribui; non quidem ut ad ſingulas ſingulis diebus legendas adſtringam: ſed ut eos qui iiſdem uti voluerint commoneam; eamdem omninò in qualibet ſpirituali lectione obſervandam eſſe methodum: ac ne plus nimiò animum onerent, per ordinem certáque menſurâ procedendum.

2. Tranquillo animo & abſque nimia contentione lectioni vacandum eſt: illius adinſtar qui plantam irrigans; guttatim iteratíſque vicibus aquam diſtillat: ne ſi profundat abundantiùs, priúſquam radicem infuderit, humum alluvione disjiciat.

3. Ad ea quæ legis ſtatim capienda non pervicaciùs inſiſtendum; ſed difficiliora relinquenda: ac poſteà bis aut ter ad planiorem intelligentiam capiendam, ſi opus fuerit, repetenda ſunt.

4. Lectioni ſemper oratio præmittenda: eidémque aſpirationes identidem admiſcendæ ſunt.

REGULA QUARTA.

Mentis faſtidium, ex curioſitatis mortificatione proveniens, eſſe ſuperandum.

MEns humana novis delectatur, ac conſuéta faſtidit. Qui librum evoluit, alium exoptat: eumdémque renuit ſæpiùs revolvere. Verùm ſi non fluxam delectationem, ſed ſolidam eruditionem inquirat; hæc curioſitas mortificanda eſt: faſtidiúmque ſuperandum. Unicus etenim liber Tironi ſufficit; donec penitùs capiat: illiúſque ſumma ipſi quadantenùs naturalis effecta ſit. Quod equidem niſi eadem ſæpiùs revolvendo, ut plurimùm non évenit. Sed librorum ſpiritualium, ex quibus hæc rectè cognitionis principia hauriuntur: ſummam ſemel noſſe non ſufficit. Sunt etenim identidem revolvendi; & cum illis ani-

mi cognitiones pro tempore conferendæ : ut ſi quidquam immutatum aut oblivione deletum fuerit ; ad principiorum regulam reducatur : undè mens humana tam variis idearum ac cogitationum generibus obnoxia facilè aberrat.

Si hujuſcemodi curioſitatis mortificatio ad ſolidam eruditionem conſequendam plurimùm conferat ; ita ut vulgò dicatur circa ſcientiam humanam, ab homine unius libri cavendum : Religioſo ſanè, qui ſpiritualis effici concupiſcit , maximè neceſſaria eſt. Ad id enim eximia rerum ſublimium cognitio non ſufficit : ſed earum veritas ex eſſentiali connexione , cum Chriſtianæ vitæ fundamentis atque principiis penſanda eſt : ac morum directioni poſteà applicanda ; neglectis penitùs ſublimioribus quibuſdam ideis : quæ ex librorum ſpiritualium lectione poſſunt exoriri ; quáſque ſolummodò, in quantùm cum iiſdem principiis , ac præſenti ſuo ſtatu conveniunt : debet attendere. Hùc accedit quod hujuſcemodi curioſitate devictâ, ſummâ cōſolatione perfundetur. optima enim quæque deinceps multoties legere non reſpuet ; ſed ſuis deſideriis ſuperior effectus : ſolidam illorum notitiam aſſequetur ; ſummâque cum animi voluptate perſpiciet : quid ſit diſcriminis inter ea quæ propellente curioſitate , ſuperficie tenùs ac leviter attinguntur ; & ea quæ ſemetipſum domando , omni prorsùs curioſitate rejectâ : eáque ſolummodò quæ conveniunt & utiliora ſunt , perquirendo , penitùs ediſcuntur.

REGULA QUINTA.

Plura inter legendum vulgaria videri quæ tamen in praxi ſublimiora ſunt : quæ notiſſima videntur & reipſâ non ſunt.

EXempli gratiâ, S. Franciſcus Saleſius ſeculares ad id contendere debere aſſerit ; ut eâ facilitate ab oratione ad ſui ſtatûs munia, & ab ipſis ad orationem ſe ſe poſſint convertere : ac ſi unum idémque ſint. Hoc vulgare quidem facillimúmque videtur ; ſed ſi perpendatur attentiùs : abſque perfecta ad quodlibet indifferentia, diuturnâ ſui ipſius abnegatione comparata, præſtari non poſſe probabitur. Itidem cum aſſerit nihil fugiendum , & nihil appetendum ; id équidem levioris operæ cenſetur : ab eo tamen qui ſibi penitùs mortuus non fuerit, actu benè perfici nequaquam poterit.

REGULA SEXTA.

A proprio ſenſu cavendum & extrema quæque fugienda.

VEritatis luce perfuſus ac perſuaſus animus, ferventiori zelo facilè rapitur ; cuncta ſummo jure pénſat ; juſtum ſæpiùs modum ex-

cedit; & in his equidem hæc Apoſtolica verba aliquantiſper libet hic uſurpare: *nolite peregrinari in fervore.* Tunc ergo temporis ad prudentiorum conſilium recurrendum eſt, privatóque ſenſui penitùs renunciandum: nequid extra modum attentare compellat. Perfectionem attende, ut præſtantiſſimam civitatem ſupra montem poſitam, quam quidem à longè proſpicis; ad hanc continuò progredere: & quoviſcumque labore contende. Verùm quod eam proſpicis, ne ſtatim ad illam te perventurum æſtimes; imò verò tempore opus eſſe, & labore, ac perſeverantià ad iter animosè conficiendum; & ad quietem quæ in ea deguſtatur, non niſi poſt itineris defatigationem perveniri. Cùm in lectione ſpirituali difficultates quas enodare non poſſis, occurrerint; nihil unquam acta perficias: quin priùs à viro prudenti, ac proprio ſuperiore, earum ſolutionem requiras.

Has demùm regulas, iiſdem quæ in hujus lectionis limine tradidi monitis concludo; nempè non quoſlibet libros, cuilibet convenire, eorúmque delectum iis ſolummodò concedendum: qui vitæ ſpiritualis principia apprimè calleant, ſingularémque prudentiam longo rerum uſu fuerint aſſecuti. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*, inquit Apoſtolus.

Enim verò in ſpiritualibus libris occurrunt quàm plurima certum vitæ inſtitutum ſpectantia; optima quidem: ſed quæ aliis nullatenùs conveniant. Hæc igitur ſumma cum diſcretione ſeligenda; nec tibimet quæcumque bona ſunt applicanda: non enim omnibus omnia conveniunt.

Attamen, ô Theotime, ſpera, ſemper ora; diſce, operare, obſequere: & diſcretionis ſpiritum, tùm ad tuam, tùm ad aliorum directionem neceſſarium à Deo conſequêris. Sed in utraque neminem niſi per patientiam & experientiam: Magiſtrum effici memineris.

His monitis tibi aſſignatis ad rem veniamus.

De vera devotione & in quibus conſiſtat. Qualiter anima debeat Chriſtum amare: & ad ejus familiarem amicitiam tendere.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

N*On omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt: ipſe intrabit in Regnum Cælorum.* Matt. cap. 7. verſ. 21.

Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Joann. cap. 4. verſ. 23.

Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis eſt: promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. 1. Epiſt. ad Timoth. cap. 4. v. 8.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua: & in tota mente tua. Hæc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ. Matt. cap. 22. v. 37.

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans, aut Cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim omnia myſteria, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero; nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam: Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, &c. 1. Epiſt. ad Cor. cap. 13.

Hæc verba docent, nec longas orationes, nec vitæ auſteritates, nec corporis mortificationes, verum devotum, verúmque adoratorem efficere: niſi ſpiritu Charitatis animentur, quâ Deum ſuper omnia diligas, ac proximum propter Deum: fructúſque Charitatis quos Apoſtolus enúmerat ubertim proferas. Opere & veritate diligere, ex Charitate, ac ſecundum Charitatem erga Deum & proximum ferri, Deum ſolum in omnibus quærere: in his conſiſtit vera pietas, quæ ad omnia utilis eſt. Quid Doctores eximij S. Franciſcus Saleſius ac liber de Imitatione Chriſti de his dicturi ſunt: diligentiùs auſculta.

Libro primo Introductionis ad vitam devotam cap. 1. ubi vera devotio ſic deſcribitur.

AD devotionem aſpiras haud dubiè chariſſima Philóthea, quod cùm in Chriſtiana ſis, noſti eam virtutem eſſe: quæ divinæ Majeſtati longè gratiſſima. Sed, quoniam parvi, qui in rei alicujus initio admittuntur, errores poſteà in progreſſu ejuſdem infinitùm excreſcunt, & in fine propemodum irreparabiles & incorrigibiles ſunt: hinc ante omnia nôris oportet: quidnam ſit devotio. Nam, quoniam una tantùm eſt vera devotio, & plures falſæ & vanæ, hinc niſi nôris quænam ſit vera, decipi & errare poſſes: & impertinenti & ſuperſtitioſæ alicui devotioni ſectandæ temetipſam ſine fructu impendere.

Quaſcúmque imagines & vultus depingeret pictor Arelius, ad ſimilitudinem atque effigiem mulierum quas adamabat: efformabat. Sic ſibi quiſque devotionem: pro paſſione & imaginatione ſua depingit. Qui jejunio addictus eſt: valdè ſe devotum reputabit, ſi multùm & frequenter jejunet, licet intus natet odio & malevolentiâ. Cúmque non audeat

linguam vino, ac nequidem aquæ præ ſobrietate intingere: illam ſanguini proximorum palam immergere, iis detrahendo & calumniando, non verebitur. Alius ſe devotum exiſtimabit, qui plurimas quotidiè preces & orationes decurrat, licet exinde lingua illius in verba moroſa, querula, arrogantia & injuria in domeſticos & vicinos ſuos tota ſeſe effundat. [*Iſta poſſunt Religioſo applicari, qui neglectis internis virtutibus: humilitate videlicet, Charitate, benignitate, ſui ipſius abnegatione, à proprio ſenſu non præcavens: linguam non refrenans, &c. in exteriori obſervantia perfectionem conſtitueret.*] Alius libenter admodum eleemoſynas in egenos & inopes è crumena educit, benignitatem tamen & amorem corde ſuo elicere ac depromere nequit: quo inimicis ignoſcat. Erit & alius, qui quidem inimicis ſuis haud difficulter injurias omnes dimittet: ſed ut creditoribus ſuis ſatisfaciat, & cum iis rationes ineat: quàm ægerrimè in animum ſuum inducet, & nonniſi violenter ac Judice compellente. Omnes hi, vulgo devoti habentur: revera tamen devoti non ſunt. Milites Saulis Davidem in domo ſua quærebant, at cum Michol ſtatuam in lecto collocaſſet, cámque veſtibus Davidis induiſſet: crediderunt illi Davidem ipſum ægrum in lecto decumbere. Sic permulti, actionibus & operibus quibuſdam externis, ad ſanctam devotionem ſpectantibus ſeſe induunt & palliant, & credunt homines, illos verè devotos & ſpirituales eſſe: cùm revera & à parte rei, nonniſi ſimulacra quædam, & inania phantaſmata devotionis ſint.

Porrò vera vivâque devotio, Philothea, amorem Dei præſupponit, nec quid aliud eſt, quam verus quidam Dei amor: non tamen qualiſcúmque & talis qualis amor. Nam in quantùm amor divinus animam noſtram cohoneſtat & venuſtat, dicitur gratia, divinaéque ejus Majeſtatis acceptos nos reddit: in quantùm verò vires ad benefaciendum nobis confert vocatur charitas. Verùm cum jam ad eum perfectionis gradum pertingit, ut nos non ſolum bene facere, verùm etiam ſollicitè, diligenter, frequenter, promptéque operari faciat: tum demum devotionis appellatur nomine. Struthiones nunquam ſubvolant, & gallinæ nonniſi admodum graviter, & demiſsè, & rariſſimè; ſed aquilæ, columbæ, hirundines, & ſæpè, & celeriter, & ſublimè evolant. Pari modo, peccatores nunquam ad Deum ſurſum evolant: ſed omnis eorum libratio & ſtudium in terra, circa terram, & propter terram ſuſcipitur. Probi verò homines, qui ſcilicet nondum ad devotionem pervenêre, ad Deum quidem per opera ſua bona ſubvolant: attamen raro admodum, tardè & graviter. At qui verè devoti ſunt: frequenter, expeditè & ſublimè in Deum evolant. [*Hic nota, ſic gradatim progreſſum fieri in praxi virtutum.*] Ut concludam ergò, devotio aliud non eſt: quàm quædam agilitas & vivacitas ſpiritualis, cujus adminiculo charitas ſuas in nobis actiones: (aut potius nos per illam) promptè affectuó-

ſeque exequitur & operatur. Et ſicuti ad charitatem ſpectat, ut omnia Dei mandata in genere & univerſaliter nos adimplere faciat; ita ad devotionem pertinet: nos ad eadem promptè ſedulóque adimplenda excitare & inducere. Quamobrem, quiſquis omnia Dei præcepta non prout oportet obſervat; nec bonus: nec devotus haberi poteſt. Etenim ut bonus quis ſit, charitatem habeat oportet; ut verò devotus, præter charitatem, eximia quædam ad opera charitatis exequenda: vivacitas & promptitudo neceſſaria eſt.

Quoniam verò devotio in certo quodam eminentis charitatis gradu ſita eſt: hinc ipſa, non ſolùm promptos, expeditos, & diligentes in omnium Dei mandatorum obſervatione nos reddit: verùm etiam præter hoc, ad quam poſſumus plurima bona opera promptè magnóque cum affectu exequenda nos excitat; etſi ea nullatenus de præcepto ſint: ſed tantùm de conſilio aut divinitùs nobis inſpirata. Nam quemadmodum qui recenter admodum è morbo quodam gravi convaluit; ingreditur quidem tantùm quantùm neceſſitas ipſa exigit: ſed lento & gravi paſſu. Eodem modo peccator, qui jam nuperrimè ex iniquitatis ſuæ morbo convaluit; incedit quidem quantùm Deus eum incedere jubet: uſque dum perfectionem attingat. Tunc namque adinſtar optimè valentis & vegeti, in divinorum mandatorum viâ non modò incedit; ſed & currit & ſaltitat: quin & ad ipſas conſiliorum & inſpirationum cœleſtium ſemitas tranſit, in iiſque alacer currit. [*Activitas hæc & alacritas; ſemper quoad rationem & voluntatem, quæ alibi mentis apex à S. Authore nuncupatur: eſt intelligenda. Sanctus enim Doctor naturales contradictiones nihili faciendas, imò majoris non rarò meriti occaſiones eſſe docet.*] Itaque charitas & devotio non plus inter ſe differunt, quàm ignis & flamma; quòd charitas, cum ſpiritualis quidam ignis ſit: quando vehementer inflammata & accenſa eſt, dicatur devotio, adeò ut devotio ad charitatis ignem aliud non addat, præter flammam; quo charitatem & alacrem, & promptam, & diligentem non modo ad divina mandata obſervanda: verùm etiam ad conſilia & inſpirationes cœleſtes exercendas reddat.

Ex Libro 3. Imitationis Chriſti, cap. 4. articulo 4. ubi Chriſtus ſic loquitur.

QUidam portant ſuam devotionem ſolùm in libris; quidam in imaginibus: quidam autem in ſignis exterioribus & figuris. Quidam habent me frequenter in ore: ſed modicùm in corde. Sunt alij qui intellectu illuminati, & affectu purgati; ad æterna ſemper anhélant: de terrenis graviter audiunt; neceſſitatibus naturæ graviter inſerviunt: & hi ſentiunt quid Spiritus veritatis loquitur in eis. Quia

docet eos terrena deſpicere : & amare cæleſtia ; mundum negligere ; cælum tota die ac nocte deſiderare.

Ex Introductione ad vitam devotam, lib. 1. cap. 2. ubi agitur de proprietate & excellentia devotionis.

QUi Iſraëlitas à terræ promiſſionis ingreſſu deterrebant ; dicebant, terram illam hujuſmodi eſſe, ut ſuos ipſa habitatores devoraret ; id eſt, cæli ejus clima tàm immitè & inſalubrè eſſe, nemo ut ſub eo diu poſſet vivere ; atque ex altera parte incolas ejus adeò eſſe feros & barbaros : ut extraneos ſicut locuſtas devorarent. Ad eumdem modum mundus, chariſſima Philóthea ; ſanctam devotionem pro viribus, & quantùm poteſt, denigrat, ſugillat, & traducit : dum eos qui devoti ſunt, vultu eſſe fingit tetrico ; lurido, triſti ac nubilo : ipſámque devotionem melancholicos quoſdam & intolerabiles humores cauſare comminiſcitur. Sed, quemadmodum Joſue & Caleb tum temporis palam proteſtabantur, terram promiſſionis non modo bonam & amœnam eſſe ; ſed & poſſeſſionem illius jucundam & delectabilem fore : ſic & S. Spiritus per os omnium Sanctorum ; & ipſe Redemptor ſuomet ore nobis declarat : vitam devotam & ſuavem, & felicem & jucundum eſſe.

Videt quidem mundus, devotos jejunare ; orare, injurias tolerare ; morbidis & ægris miniſtrare ; pauperibus ſtipem conferre ; vigilare, iram ſuam compeſcere ; paſſiones ſupprimere & ſuffocare ; ſenſibilibus voluptatibus ultrò abſtinere ; & has aliáſque id genus actiones obire quæ naturâ & qualitate ſuâ aſperæ ſunt : & rigorem includunt. At interiorem & cordialem devotionem, omnia hæc opera ſuavia, dulcia & facilia reddentem : minimè videt. Conſidera apiculas in thymo & circa thymum volitantes ; vide, ut ex eo ſuccum quemdam amariſſimum exſugant : ſed eum mox in mel, quod hæc earum natura ſit, convertant. Multùm quidem fateor, ô mundane ; devotæ animæ ſuis in mortificationis exercitiis, amaritudinis ſentiunt : ſed eadem obeundo, ipſam paulatim in dulcedinem & ſuavitatem tranſire faciunt. [*Intellige in intimis animæ & conſcientiæ : non verò ſemper in ſenſu.*] Sic olim ignes, flammæ, rotæ, & enſes Martyribus flores & flagrantiſſima aromata videbantur : quod devoti eſſent. Si ergo atrociſſimis tormentis, quin & ipſimet morti adferre & addere dulcedinem ; eáque veluti condire devotio poteſt ; quid in ipſis virtutis actionibus non faciet?

Immaturos fructus dulcorat ſaccharum : maturorum verò cruditatem & malignitatem corrigit ac tollit. Devotio porrò, rerum ſpiritualium ſaccharum eſt : utpote quæ & à mortificationibus amaritiem ; & à conſolationibus damna aufert ; à pauperibus triſtem murmurationem ;

à divi-

à divitibus arrogantiam ; deſolationem & mœſtitiam ab oppreſſo ; inſolentiam à fortunæ filio ; triſtitiam à ſolitariis : diſſolutionem ab eo qui inter homines converſatur. In hieme, ignis vicem ſupplet ; in æſtate roris : novit & abundare, & penuriam pati ; facit, ut æquè proſit honor ac contemptus ; voluptatem ſimul ac dolorem pari propè ſemper vultu excipit : & mirabili nos ſuavitate & gaudio adimplet.

Conſidera quæſo ſcalam Iacob : (quæ vera vitæ devotæ imago eſt.) Duo ejus latera & longurij, inter quæ aſcenditur, & quibus gradus ſcalares annexi ſunt : orationem, quæ amorem Dei impetrat ; & ſacramenta, à quibus is dari ſolet : repræſentant. Gradus porrò aliud, meâ ſententiâ, non ſunt : quam diverſi charitatis gradus, per quos de virtute in virtutem proceditur ; tam per actionem, ad proximo auxiliandum & opitulandum, deſcendendo : quàm per contemplationem, ad amoroſam Dei unionem aſcendendo. Vide jam, obſecro, eos qui in hac ſcala verſantur ; homines certè ſunt Angelica habentes corda : aut angeli corpora habentes humana. Non ſunt quidem ætate juvenes ; ſed eſſe videntur : quòd ſpirituali vigore & agilitate pleni ſunt. Alas habent ad volandum : ac per ſanctæ orationis libramentum ad Deum ſeſe elibrant. Pedes porrò habent, ad ambulandum cum hominibus per ſanctam & dulcem converſationem ; vultus eorum vividi & alacres ſunt : quod omnia mira cum lenitate & ſerenitate animi ſuſcipiant ; crura, brachia & capita ipſorum nuda, omnium patent aſpectibus ; eò quòd cogitationes, affectus & opera ipſorum, nullum alium habent ſcopum & intentionem : quàm ut ſoli Deo placeant. Reliqua verò corporis pars tecta & veſtita eſt : ſed veſte pulchra & levi ; quòd mundo hoc rebúſque mundanis utantur quidem, ſed modo quodam prorsùs puro & ſincero : dum non niſi obiter, & velut per tranſennam, utuntur eo, quo ratione ſtatûs & conditionis, prorsùs carere nequeunt. Tales omninò ſunt homines devoti. Devotio ergò, (mihi credas velim, cariſſima Philóthea) ; omnium dulcedinum eſt dulciſſima : & virtutum univerſarum regina. Eſt namque ipſa charitatis perfectio. Si enim charitas lac ſit : devotio, ejus eſt cremor ; ſi illa, planta ſit ; devotio ejus eſt flos. Si illa gemma ac lapis pretioſus ; devotio ejus eſt fulgor & jubar : ſi illa, balſamum & aroma ; devotio ejus eſt fragrantia, & odor ſuavitatis : homines confortans ac végetans, Angelos autem lætificans.

En tibi devotio nativis lineamentis & coloribus depicta, & expoſita ; modo quibuſcumque ſtatibus conveniente ; cui etiam nihil addi poteſt. Quiſque ergò hanc devotionis ideam ſibi aſſumere debet : illámque veluti formam exercitiis & actibus ſuæ profeſſionis applicare. At quia devotio eſt ex integro in vero amore fundata : audi quid de illo tibi dicat liber Imitationis Chriſti.

Libro 2. de Imitatione Chriſti, cap. 7. ubi agitur de amore Ieſu ſuper omnia.

1. BEatus qui intelligit quid ſit amare JESUM; & contemnere ſeipſum propter JESUM. Oportet dilectum propter dilectum relinquere omnia; quia JESUS vult ſolus amari ſuper omnia. Dilectio creaturæ fallax eſt & inſtabilis: dilectio JESU fidelis & perſeverabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili: qui amplectitur JESUM, firmabitur in ævum. Illum dilige, atque amicum retine tibi ˥ qui omnibus recedentibus, te non relinquet: nec patietur in fine perire. [*Vides hîc fide-*
Iſ. 40. 6. *litatem Dei clarè expreſſam: in præſtando gratiæ auxilio.*] Ab omnibus oportet te aliquando ſeparari ſive velis, ſive nolis.

2. Teneas te apud JESUM vivens & moriens ˥ & illius fidelitati te committe: qui omnibus deficientibus ſolus te poteſt adjuvare. Dilectus tuus talis eſt naturæ, ut alienum non velit admittere ˥ ſed ſolus vult cor tuum habere: & tanquam Rex in proprio throno ſedere. Si ſcires te benè ab omni creatura evacuare: JESUS vellet libenter tecum habitare. Penè totum perditum invenies: quidquid extra JESUM in hominibus poſueris. Non confidas, nec innitaris ſuper calamum ventoſum: quia *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus ut flos fœni cadet.*

3. Citò decipieris ſi ad externam hominum apparentiam tantùm aſpexeris. Si enim tuum in aliis quæris ſolatium & lucrum: ſenties ſæpiùs detrimentum. Si quæris in omnibus JESUM: invenies utique JEſum. Si autem quæris teipſum ˥ invenies etiam teipſum: ſed ad tuam perniciem. Plus enim homo nocivus eſt ſibi, ſi JESUM non quærit; quàm totus mundus & omnes adverſarij ſui.

Ex eodem libro cap. 8. ubi agitur de familiari amicitia IESV.

1. QUando JESUS adeſt ˥ [*Hanc IESVS præſentiam intellige de conſolatione ſenſibili: quia Chriſtus in quantum Deus nunquam abeſt.*] totum bonum eſt; nec quidquam difficile videtur. Quando verò Jeſus non adeſt; totum durum eſt. Quando Jeſus intus non loquitur exterior conſolatio vilis eſt. Si autem Jeſus unum verbum loquitur tantùm: magna conſolatio ſentitur. Nónne Maria Magdalena ſtatim ſurrexit de loco in quo flebat, quando Martha illi dicit ˥
Ioa. 11. 29. *Magiſter adeſt, & vocat te?* Felix hora, quando Jeſus vocat de lacrymis ad gaudium ſpiritûs. Quàm aridus & durus es ſine Jeſu; Quàm inſipiens & vanus ſi cupis aliquid extra Jeſum. Nónne hoc

eſt majus damnum, quàm ſi totum perderes mundum?

2. Quid poteſt mundus conferre ſine Jeſu? Eſſe ſine Jeſu gravis eſt infernus: & eſſe cum Jeſu dulcis eſt paradiſus. Si fuerit tecum Jeſus; nullus poterit nocere inimicus. Qui invenit Jeſum, invenit theſaurum bonum: immo bonum ſuper omne bonum. Et qui perdit Jeſum; perdit nimis multùm, & plus quàm totum mundum. Pauperrimus eſt qui vivit ſine Jeſu; ditiſſimus qui bene eſt cum Jeſu.

3. Magna ars eſt ſcire converſari cum Jeſu; & ſcire Jeſum tenere, magna prudentia. Eſto humilis & pacificus: & erit tecum Jeſus. Sis devotus & quietus; & permanebit tecum Jeſus. Potes citò fugare Jeſum, & gratiam ejus perdere: ſi volueris ad exteriora declinare. [*En qualiter amittitur gratia Dei: ex mala voluntate animæ negligentis.*] Et ſi illum effugaveris & perdideris ˥ ad quem fugies? & quem quæres amicum? Sine amico non potes bene vivere ˥ & ſi Jeſus non fuerit tibi præ omnibus amicus: eris nimis triſtis & deſolatus. Fatuè igitur agis: ſi in aliquo altero confidis & lætaris. Eligendum eſt magis totum mundum habere contrarium: quàm Jeſum offenſum. Ex omnibus ergò caris ſit Ieſus ſolus dilectus ſpecialis.

4. Diligantur omnes propter Jeſum: Jeſus autem propter ſeipſum. Solus Jeſus Chriſtus ſingulariter eſt amandus: qui ſolus bonus & fidelis invenitur præ omnibus amicis. Propter ipſum & in ipſo tàm amici, quàm inimici tibi ſint cari ˥ & pro omnibus his exorandus eſt: ut omnes ipſum cognoſcant & diligant. Nunquam cupias ſingulariter laudari, vel amari ˥ quia hoc ſolius Dei eſt: qui ſimilem ſibi non habet. Nec velis quod aliquis in corde ſuo tecum occupetur: neque tu cum alicujus occuperis amore. [*Iſtud eſt eſſentiale libertatis filiorum Dei ac perfectionis: ad quod ideò eſt contendendum.*] Sed ſit Jeſus in te & in omni bono homine.

5. Eſto purus & liber ab intus: ſine alicujus creaturæ implicamento. Oportet te eſſe nudum ˥ & purum cor ad Deum gerere: ſi vis vacare, & videre quàm ſuavis ſit Dominus. Et reverâ ad hoc non pervenies ˥ niſi gratiâ ejus fueris præventus & attractus: ut omnibus evacuatis & licentiatis, ſolus cum ſolo uniaris. Quando enim gratia Dei venit ad hominem: tunc potens fit ad omnia. Et quando recedit ˥ tunc pauper & infirmus erit: & quaſi tantùm ad flagella relictus. [*Hic vides effectus ſubſtractionis gratiæ ſenſibilis dilucidè expreſſos: & quid agendum tunc ab anima in eo ſtatu conſtituta.*] In his non debes dejici, nec deſperare: ſed ad voluntatem Dei æquanimiter ſtare ˥ & cuncta ſupervenientia tibi ad laudem Jeſu Chriſti perpeti: quia poſt hyemem ſequitur æſtas, poſt noctem redit dies, & poſt tempeſtatem magna ſerenitas.

Hic ſemel & generatim notandum ˥ quoties hæc verba occurrerint in libro de Imitatione, *gratia deſerit, deeſt gratia*, aut alia hujuſmodi; cavendum eſſe ne intelligantur de ea gratia, quâ indigemus ad

vitandum peccatum mortale, ſed tantùm ſecundum authoris mentem; de ſubſtractione conſolationis intimæ quâ Deus per gratiam quando luber perfundit animam. Gratia deſerit, eo ſenſu, quod non ſemper bonum virtutis ſenſibiliter nobis demonſtrat: nec ad illam ſenſibiliter amandam allicimur, ſenſúmque illum retrahit: ut in probatione conſtituamur. Deſerit in eo quòd vires non ſubminiſtrat ad operandum omne bonum quod optamus: & ad vitanda omnia omninò peccata. Verùm ſi in hoc nobis ipſis nos relinquit, ſummæ ipſius ſapientiæ id tribuendum eſt: ut in humilitate nos contineat, & inde occaſionem exercitationis & fidelitatis nobis ſubminiſtret. Ad id evidentiùs dignoſcendum, & efficaciùs probandum, ſuo quoque loco, notas apponemus: quibus hunc eſſe ſenſum authoris ſole clariùs apparebit. Sed inſuper in fine libri quemdam veluti Catalogum Textuum ad hanc rem ſpectantium reperies; quò indubitata veritas clareſcet.

LECTIO SECUNDA.

Devotionem convenire cujuſlibet Statûs hominibus. Et de lætitia bonæ conſcientiæ, de mirabili effectu divini amoris: & de vili æſtimatione ſui ipſius in conſpectu Dei.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

VEnite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos; Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt: & onus meum leve. Matt. cap. 11. v. 28.

Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum, Magiſter, quid faciemus? at ille dixit ad eos, nihil amplius quam quod conſtitutum eſt vobis: faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes, quid faciemus & nos? & ait illis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Luc. cap. 3. v. 12.

Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum. Epiſt. ad Philip. cap. 4. v. 9.

Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt: ut tranquillam & quietam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Epiſt. ad Timot. cap. 2. v. 1.

Simile eſt Regnum Cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ

habet; & emit agrum illum. Matt. cap. 13. verſ. 44.

Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt. Pſal. 143. verſ. 4. & 5.

Finis autem præcepti eſt Charitas de corde purò, & conſcientia bona; & fide non ficta. 1. Epiſt. ad Timot. cap. 1. v. 5.

Ex his Sacræ Scripturæ verbis edocteris ſolo Dei auxilio te poſſe ſuſtentari inter hujus vitæ labores & pericula, teque ab ipſo Jeſu Chriſto invitari ad jugum illius ferendum: quod tibi leve per gratiam ſuam effecturum promittit. Et ideò unum è duobus à te eſſe eligendum, aut miſeram ducere vitam, in ea exiſtendo privatus ſingularibus gratiæ auxiliis, quibus in hac vita tantopere indigemus: aut jugum Chriſti tollere, quod nihil aliud eſt quàm vera devotio, ad quam omnes debent contendere: cùm nec publicani nec milites ab ea repellantur. Hæc verba edocent ad pacem cum Deo tecúmque conſequendam: Apoſtolorum cæterorúmque Sanctorum veſtigia per devotionem eſſe ſectanda, hanc ſuum aſſeclam omnibus commodum efficere, nec tantùm pacem parere: ſed etiam omnium benevolentiam ſibi conciliare per bona officia, quæ omnibus exhibere ſtudet. Hâc etiam animam ſanctâ lætitiâ, & dulci conſolatione repleri, tùm ex anticipato Regni cœleſtis guſtu: tùm ex Dei bonitatis & miſericordiæ cum noſtris miſeriis comparatione. Ibi demum vides conſummationem devotionis in ſola Charitate ac ſincera ſui ipſius abnegatione conſiſtere, quibus mitis effectus ac humilis corde: verus Chriſti fias diſcipulus. Utriuſque Doctoris ea de re audi ſententiam.

Ex Introductione ad vitam devotam, lib. 1. cap. 3. ubi devotio omnigenæ hominum vocationi, Statui & profeſſioni: convenire probatur.

IN ipſa rerum creatione plantis mandavit creator Deus, ut unaquæque fructum ferret: ſecundum genus ſuum. Ita Chriſtianis, qui vivæ Eccleſiæ ſuæ plantæ ſunt, imperavit: ut quiſque devotionis fructum pro qualitate, ſtatu & vocatione ſua proferret. Diverſimodè, inquam, devotio eſt exercenda, à nobili videlicet, & à mechanico, à famulo, & à principe; à vidua & puella innupta, ac conjugata. Imò ne hoc quidem ſatis eſt; ſed & ipſa devotionis praxis, viribus, negotiis & officiis cujúſque in particulari, eſt accommodanda. Dic mihi obſecro Philothea mea, conſentaneúm-ne foret, ſi Epiſcopus Cartuſianorum inſtar, ſolitudinem conſectari vellet, ſi conjugati non magis de peculio ſuo adaugendo ſolliciti eſſent, quàm Capucini, ſi Religioſi

in motem, mechanicus totos dies in templo ageret; & Religioſus vice verſâ, ad omnes caſus & eventus qui proximi neceſſitatem & utilitatem concernerent: Epiſcopi exemplo, ſemper eſſet expoſitus. An non devotio hæc ridicula, inordinata & intolerabilis foret? Hic tamen error & abſurditas ſæpiſſimè occurrit; & hinc mundus, qui devotionem veram ab eorum, qui ſe putant devotos eſſe, indiſcretione non diſcernit; aut ſaltem non vult diſcernere: devotionem carpit & ſugillat, quæ tamen harum inordinationum nequit eſſe cauſa.

Nequaquam, mea Philóthea. Etenim devotio, ſiquidem ea vera & ſincera eſt, nihil omninò deſtruit: ſed cuncta perficit & conſummat. Et ſi quando legitimæ alicujus vocationi ac ſtatui contrariatur & adverſatur: haud dubiè falſa eſt. Apis ita ſuum è floribus mel, teſte Ariſtotele, colligit; ut eos minimè lædat aut deſtruat: tam eos integros, intaminatos, & recentes relinquens atque eos reperit. Meliùs verò id præſtat vera devotio; nam adeò nullum vocationis aut negotiorum genus deſtruit: ut ea etiam exornet ac condécoret. Nam ut quælibet gemmæ melli impoſitæ, pro ſuo quæque colore, fulgentiores & rutilantiores fiunt; ſic in ſua quiſque vocatione acceptior fit & perfectior: ſi devotioni illam conjungat. Per hanc fit enim, ut familiæ cura longè reddatur quietior; mutuus inter maritum & uxorem amor ſincérior: obſequium Principi debitum fidelius; & omnes, quotque ſunt: occupationes ſuaviores & meliores.

Error proinde eſt, quin & hæreſis, devotionis exercitium à cohortibus militaribus; ab officina opificum, ab aulis principum: à familia conjugatorum velle excludere. Fateor quidem, chariſſima Philóthea; devotionem quæ purè contemplativa, Monaſtica, & Religioſa eſt: hiſce in officiis & ſtatibus minimè exerceri poſſe. At præter triplex hoc devotionis genus; ſunt & aliæ multæ ad eos qui in ſtatibus ſæcularibus vivunt: perficiendos peraccommoda. Teſtes rei hujus in veteri quidem Teſtamento ſunt Abraham, Iſaac, Jacob, David, Job, Tobias, Sara, Rebecca, Judith; in novo verò, S Joſephus, Lydia, & S. Criſpinus: qui perfectè devoti ſuis in officinis fuêre: S. Anna, Martha, Monica, Aquila & Priſcilla in rei ſuæ familiaris & domeſticæ cura; SS. Cornelius, Sebaſtianus, Mauricius inter arma & gladios: Conſtantinus, Helena, S. Ludovicus, B. Amedeus, S. Eduardus ſuis in ſoliis regalibus. Imò verò plurimi in media ſolitudine, quæ tamen perfectioni comparandæ adeò optabilis eſt: devotionis jacturam fecerunt; & vice verſâ permulti, in ipſo negotiorum ſtrepitu, & medios inter homines, inter quos perfectio, ſi qua ſit, deſtruenda & minimè provehenda videtur: eam conſervârunt. [*Hinc agnoſce; Unumquemque debere voluntatem Dei perquirere per media ad hoc inſtituta: antequam fixum vitæ ſtatum amplectatur.*] Sic Loth, inquit S. Gregorius, qui impia in Urbe adeò honeſtè vixerat; in ſolitudine tam fœdè corruit: ſéque inceſtu polluit. Ubi-

cumque locorum ergò ſumus ; ad vitam perfectam aſpirare : & debemus & poſſumus.

Paucis verbis hic omnes edocentur qualiter quiſque debeat ſe gerere prudenter & diſcretè in ſua profeſſione ; & omnibus omnia ſe facere : juxta rectas regulas Charitatis. Quiſque reperit in ſua profeſſione materiam bonum operandi ; opus ergò tantum eſt : ut forma materiæ convenienter applicetur. Sed ut ad tuum proprium ſtatum benè honorandum accendaris ; in quo tot media reperis quibus ad guſtandum quam ſuavis ſit Dominus & ad perfectionem pervenire potes : ea monita & incentiva ſequere quæ tibi tradit Liber Imitationis Chriſti.

De lætitia bonæ conſcientiæ.
Libro 2. cap. 6.

1. GLoria boni hominis : eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ. Habe bonam conſcientiam ; & ſemper habebis lætitiam. Bona conſcientia valdè multa poteſt portare : & valdè læta eſt inter adverſa. Mala conſcientia ſemper timida eſt & inquieta. Suaviter requieſces : ſi te cor tuum non reprehenderit. Noli lætari niſi cùm bene feceris. Mali nunquam habent veram lætitiam ; nec internam ſentiunt pacem ; quia *non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Et ſi dixerint ; In pace ſumus, non venient ſuper nos mala ; & quis nobis nocere audebit? Ne credas eis ; quoniam exurget repente ira Dei, & in nihilum redigentur actus eorum ; & cogitationes eorum peribunt. *Iſai.57.21. & Sap.48. 22.*

2. Gloriari in tribulatione, non eſt grave amanti ; ſic enim gloriari : eſt in cruce Domini gloriari. [*Hoc gaudium intellige ſecundum interiorem hominem : in intimo animæ ac conſcientiæ.*] Brevis gloria, quæ ab hominibus datur & accipitur. Mundi gloriam ſemper comitatur triſtitia. Bonorum gloria in conſcientia eorum : & non in ore hominum. Juſtorum lætitia de Deo & in Deo eſt : & gaudium eorum de veritate. Qui veram & æternam gloriam deſiderat : temporalem non curat. Et qui temporalem quærit gloriam, aut non ex animo contemnit : minùs amare convincitur cæleſtem. Magnam habet cordis tranquillitatem : qui nec laudes curat nec vituperia.

3. Facilè erit contentus & pacatus : cujus conſcientia munda eſt. Non es ſanctior ſi laudaris ; nec vilior ſi vituperaris. Quod es, hoc es ; nec major dici vales, quàm, Deo teſte, ſis. Si attendis quid apud te ſis intùs, non curabis quid de loquantur homines foris. *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Homo conſiderat actus : Deus verò penſat intentiones. Benè ſemper agere, & modicùm de ſe ſentire : humilis animæ indicium eſt. Nolle conſolari ab aliqua creatura : magnæ puritatis & internæ fiduciæ ſignum eſt. *1.Reg.16.7.*

4. Qui nullum extrinſecùs pro ſe teſtimonium quærit : liquet quòd

ſe totaliter Deo commiſit. *Non enim qui ſeipſum commendat, ille proba-*
2. Cor. 10. 18. *tus eſt* (ait B. Paulus:) *ſed quem Deus commendat.* Ambulare cum Deo intùs, nec aliquâ affectione teneri foris, ſtatus eſt interni hominis. [*Hæc noviſſima verba axioma componunt: quod omnia complectitur.*]

De mirabili affectu divini amoris. Lib. 3. cap. 5.

1. BEnedico te Pater cœleſtis ꟸ Pater Domini mei Jeſu Chriſti: quia mei pauperis dignatus eſt recordari. *O Pater miſericordiarum, & Deus* 2. Cor. 1. 3. *totius conſolationis* ꟸ gratias tibi ago; qui me indignum omni conſolatione quandoque tua recreas conſolatione. Benedico te ſemper & glorifico, cum unigenito filio tuo, & ſpiritu ſancto paraclito: in ſæcula ſæculorum. Eia Domine Deus, amator ſancte meus ꟸ cùm tu veneris in cor meum: exultabunt omnia interiora mea. Tu es gloria mea: & exultatio cordis mei. Tu ſpes mea: & refugium meum in die tribulationis meæ.

2. Sed quia adhuc debilis ſum in amore, & imperfectus in virtute ꟸ ideò neceſſe habeo à te confortari, & conſolari: propterea viſita me ſæpiùs, & inſtrue diſciplinis tuis ſanctis. Libera me à paſſionibus malis ꟸ & ſana cor meum ab omnibus affectionibus inordinatis: ut intùs ſanatus & benè purgatus ꟸ aptus efficiar ad amandum; fortis ad patiendum, ſtabilis ad perſeverandum.

3. Magna res eſt amor, magnum omninò bonum ꟸ quod ſolum leve facit omne oneroſum: & fert æqualiter omne inæquale. Nam onus ſine onere portat; & omne amarum dulce ac ſapidum efficit. [*Quæcumque hic de amore dicuntur ꟸ de effectibus quos in animæ ac conſcientia intimis imprimit: non verò de ſenſibili affectu ſunt intelligenda. Tunc enim ſolummodò ſenſibiliter afficit ꟸ cùm illam nobis conſolationem Deus elargitur: quæ ſæpius ab Authore noſtro gratia & gratiæ præſentia nuncupatur.*] Amor Jeſu nobilis, ad magna operanda impellit; & ad deſideranda ſemper perfectiora excitat. Amor vult eſſe ſurſum: nec ullis infimis rebus retineri. Amor vult eſſe liber, & ab omni mundana affectione alienus ꟸ ne intimus ejus impediatur affectus; ne per aliquod commodum temporale implicationes ſuſtineat, aut per incommodum ſuccumbat. Nihil dulcius eſt amore ꟸ nihil fortius, nihil altius, nihil latius: nihil jucundius, nihil plenius ꟸ nec melius in cœlo & in terra: quia amor ex Deo natus eſt, nec poteſt niſi in Deo ſuper omnia creata quieſcere.

4. Amans volat, currit, & lætatur; liber eſt, & non tenetur. Dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus ꟸ quia in uno ſummo bono ſuper omnia quieſcit; ex quo omne bonum fluit & procedit. Non reſpicit ad dona: ſed ad donantem ſe convertit ſuper omnia bona. Amor ſæpe modum neſcit: ſed ſuper omnem modum ferveſcit. Amor onus non ſentit ꟸ labores non reputat; plus affectat, quàm valet ꟸ de impoſſi-

impoſſibilitate non cauſatur : quia cuncta ſibi licere ac poſſe arbitratur. [*Hic tibi explicat qualiter amor zelum inflammat : ſed non dicit zeli iſtius, cui omnia licere videntur, impulſum ſemper ſequendum : quod alibi fuſius tibi exprimit. Nihil inſolitum attentandum eſt aut aggrediendum : ſine prudentis Directoris aut Superioris conſilio.*] Valet igitur ad omnia : & multa implet, & effectui mancipat; ubi non amans deficit & jacet.

5. Amor vigilat, & dormiens non dormitat. Fatigatus non laxatur : arctatus non coarctatur : territus non conturbatur ; ſed ſicut vivax flamma, & ardens favilla ſurſum erumpit, ſecutéque pertranſit. Si quis amat, novit quid hæc vox clamat. Magnus clamor in auribus Dei eſt ipſe ardens affectus animæ, quæ dicit : Deus meus, amor meus : tu totus meus, & ego tuus.

6. Dilata me in amore, ut diſcam interiori ore cordis deguſtare; quàm ſuave ſit amare, & in amore liqueſieri & natare. Teneat amore, vadens ſupra me præ nimio fervore ac ſtupore. Cantem amoris canticum : ſequar te dilectum meum in altum : deficiat in laude tua anima mea, jubilans ex amore. Amem te pluſquam me, nec me niſi propter te : & omnes in te, qui verè amant te, ſicut jubet lex amoris lucens ex te.

7. Eſt amor velox, ſincerus, pius, jucundus & amœnus : fortis, patiens, fidelis, prudens, longanimis, virilis : & ſeipſum nunquam quærens. [*Hic averte qualiter verè devotus ſe gerere : & quâ ratione agere debeat. Cùm devotionis eſſentia in vero amore conſiſtat. Verum dico, qui operatur prout hîc dicitur : magna enim operatur, ut dicit D. Greg. ſi eſt : ſi verò non operatur amor non eſt.*] Ubi enim ſeipſum aliquis quærit, ibi ab amore cadit. Eſt amor circumſpectus, humilis, & rectus : non mollis, non levis, nec vanis intendens rebus; ſobrius, caſtus, ſtabilis, quietus, & in cunctis ſenſibus cuſtoditus. Eſt amor ſubjectus, & obediens Prælatis, ſibi vilis, & deſpectus : Deo devotus, & gratificus, fidens, ſemper ſperans in eo, etiam cùm ſibi non ſapit Deus : quia ſine dolore non vivitur in amore.

8. Qui non eſt paratus omnia pati, & ad voluntatem ſtare dilecti : non eſt dignus amator appellari. Oportet amantem, omnia dura, & amara propter dilectum amplecti libenter : nec ob accidentia contraria ab eo deflecti.

De vili æſtimatione ſui ipſius in oculis Dei. Lib. 3. cap. 8.

1. LOquar *ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis.* Si me amplius reputavero : ecce tu ſtas contra me : & dicunt teſtimonium verum iniquitates meæ, nec poſſum contradicere. Si autem me vilificavero & ad nihilum redegero : & ab omni propria reputatione defecero : atque ſicut ſum pulverizavero : erit mihi propitia gratia tua & Gen. 18. 27.

vicina cordi meo lux tua: & omnis æſtimatio quantulacumque minima in valle nihilitatis meæ ſubmergetur, & peribit in æternum. Ibi enim oſtendes me mihi quid ſum, quid fui, & quo deveni: quia nihil ſum, & neſcivi. Si mihi ipſi relinquor: ecce nihil & tota infirmitas. Si autem ſubito me reſpexeris: ſtatim fortis efficior, & novo repleor gaudio. [*Habes hic effectum ſubſtractionis gratiæ ſenſibilis: & reditûs ejus in animam clarè expreſſum.*] Et mirum valdè eſt quòd ſic repente ſublevor, & tam benignè a te complector: qui proprio põdere ſemper ad ima feror.

2. Facit hoc amor tuus gratis præveniens me, & in tam multis ſubveniens neceſſitatibus, à gravibus quoque cuſtodiens me periculis; & ab innumeris, ut verè dicam, eripiens malis. Me ſiquidem malè amando me perdidi, & te ſolum quærendo & purè amando, me & te pariter invéni: atque ex amore profundiùs ad nihilum me redégi. Quia tu, ô dulciſſime JESU, facis mecum ſupra omne meritum meum: & ſupra quàm ſperare audeam vel rogare.

3. Benedictus ſis Deus meus, quia licèt ego omnibus bonis ſim indignus: tua tamen nobilitas & infinita bonitas nunquam ceſſat benefacere etiam ingratis & longè à te averſis. Converte nos ad te ut ſimus grati, humiles & devoti: quia ſalus noſtra tu es, virtus & fortitudo noſtra. *Iſta omnia tàm clarè & dilucidè à SS. iſtis Magiſtris expreſſa ſunt; ut ulteriori explicatione non indigeant. Ibi enim apertè vides quæ & qualia ſint fundamenta & ſuſtentacula vitæ ſpiritualis; quidque de Deo & de teipſo ſentire debeas.*

LECTIO TERTIA.

De neceſſitate ducatum Pij & prudentis Directoris ſequendi, & de Doctrina veritatis, de obedientia, & proprij ſenſûs abnegatione: cum monitis ſervandis ad pacem obtinendam.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

O*Mnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem: ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem: ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.* Joan. cap. 3. v. 20.

Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt? Matt. cap. 6. v. 23.

Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet: ambo in foveam cadunt. Matt. cap. 15. v. 14.

Chariſſimi, nolite omni Spiritui credere: ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſint. Epiſt. 1. Joan. cap. 4. v. 1.

Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos ; quoſdam autem Prophetas ; alios verò Evangeliſtas ; alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificátionem Corporis Chriſti : donec occurramus omnes in unitatem Fidei ; & agnitionis Filij Dei : in virum perfectum ; in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti : ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Epiſt. ad Ephe. cap. 14. v. 11.

Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus : hic hoſpitatur apud Simonem quemdam Coriarium ; cujus eſt domus juxtà mare : hic dicet tibi quid te oporteat facere. Act. Apoſt. cap. 10. verſ. 5.

Hæc verba ſatis exprimunt neceſſitatem proprium ſenſum non ſequendi : nec ejus conductu utendi. Si naturale lumen quod in te eſt tenebræ ſunt : tótque experimentis compertum habeas animi præoccupationem rationem obcæcare ; ſi non fruſtrà Chriſtianis Paſtores & Doctores Deus dederit ; imò ipſos quos miraculosè convertit homines ſimiles illis paſſibiles remiſerit : ut ab eis quæ credere & facere deberent edocerentur. Meritò ergò hoc Apoſtoli monitum debes amplecti ; nolite credere omni ſpiritui : cùm etiam & ipſe Sathanas transfiguret ſe in Angelum lucis. Variæ autem & ſingulares hominum opiniones ſatis comprobant ſua varietate & inſtabilitate ; quàm neceſſe ſit ad rectè & ſecurè procedendum viri prudentis conſiliis & monitis: aut Superioribus cæleſti quâdam miſſione ad nos regendum deſtinatis morem gerere. Utriuſque Doctoris ea de re audi ſententiam.

Ex Introductione ad vitam devotam cap. 4. ubi ad devotionem auſpicandam & aliquem in ea progreſſum faciendum: directore & conductore opus eſſe probatur.

TObias filius, juſſus à parente in Rages proficiſci ; *Viam*, inquit *per quam pergatur illuc, non cognoſco*? cui pater : *Perge, & inquire tibi aliquem fidelem virum qui eat tecum.* Idem tibi dico, mea Philóthea. Serióne vis ad devotionem tendere? quære tibi virum aliquem honeſtum & fidelem, qui te dirigat & conducat. [*Si ſeculares tantopere indigent ductore cujus conſilia requirant & ſequantur ; quanto magis Religioſi obedientiæ voto aſtricti Superiorum conſiliis debent obſequi ; eorúmque ſenſum aut ordinationes requirere*? Hoc omnium monitorum & conſiliorum primum ac præcipuum eſt : & quantumcúmque (ajebat pius ille doctor M. Avila) Dei voluntatem exquiſieris ; nunquam tamen eam tam certò indubitatéque reperies : ac per humilis hujus odedientiæ viam, quam omnes quotquot olim fuêre devoti, & ſervari ab aliis præcepêre, & ipſimet etiam ſervârunt & uſurpârunt. Beata Mater Tereſia videns Catharinam Corduben-

ſem magnas & intenſas quaſdam auſteritates ſubire; in his eam, diſſuadente licet Confeſſario, qui id fieri vetabat, imitari maximopere cupiebat: útque illi hac in parte morem minimè gereret, rentabatur. Sed Dominus illi poſteà in viſione ait: Bonâ & tuta via incedis, filia. Viden', pœnitentiam quam illa ſubit: ego verò pluris tuam facio obedientiam. Unde etiam ita erga virtutem hanc ipſa afficiebatur; ut præter obedientiam, quam ſuis debebat Superioribus: aliam in particulari voveret viro cuidam perito & prudenti præſtandam, illius directionem, conſilia & monita in omnibus ſecuturam ſe promittens. Unde etiam magnam in ſe exinde conſolationem ſenſit. Sic quoque poſt & ante illam, plurimi virtutum ſectatores, quò melius Deo ſe ſubjicerent; ſuam ſervorum ejus voluntati ſubjecere, quam S. Catharina Senenſis praxim ſuis in Dialogis mirificè dilaudat & commendat. Sic pia illa Regina Elizabeth; inſigni cum obedientiæ exemplo: ſe in omnibus ſubjecit directioni & arbitrio Doctoris M. Conradi. En tibi quoque unum è monitis, quæ magnus Rex Ludovicus ante mortem filio ſuo præſcripſit; *Sæpius peccata tua confitére; Confeſſarium tibi ſelige idoneum, qui probus ſit & prudens, & qui quæ facienda & cavenda ſunt: liberè certóque tibi poſſit proponere.*

Amicus fidelis, inquit Sapiens, *protectio fortis; qui autem invenit illum: invenit theſaurum. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis; & qui metuunt Dominum, invenient illum.* Divina hæc verba immortalitatem præcipuè reſpiciunt, uti vides; ad quam comparandam, amicus hic fidelis, qui ſuis inſtructionibus & conſiliis actiones noſtras dirigat, itáque à cacodæmonis inſidiis & verſutiis nos protegat: ante omnia maximéque nobis habendus eſt. Erit autem hic nobis velut theſaurus quidam ſapientiæ; in noſtris afflictionibus, preſſuris & lapſibus: medicamenti item loco, ad animos noſtros in ægritudinibus & morbis ſpiritualibus ſublevandos & conſolandos. Tuebitur ille quoque nos à malo; bonum verò noſtrum reddet melius: & ſi qua nobis infirmitas & ægritudo advenerit, efficiet ne illa nobis ad mortem ſit. Nam remedium eidem adhibendo: ipſam à nobis auferet. At, quis amicum hunc inveniet? Reſp. Sapiens. *Qui metuunt Dominum*, 1. humiles: qui ſui in ſpiritu profectûs quàm maximè cupidi ſunt. Cùm ergò tanti tua, Philóthea, refeRat aliquem in ſancta hac devotionis via ductorem & directorem habere & ſequi; Deum quàm ferventiſſimè roga, aliquem tibi ſuppeditet, qui ſecundum cor ſuum ſit: & certa eſto, aliquem tibi ab eo ſubmittendum. Nam eſto, etiam Angelum de cœlo ſubmittere deberet, ſicuti Tobiæ juniori ſubmiſit: bonum aliquem certè tibi & fidelem ducem ſubmittet.

Porrò hic tibi ſemper inſtar Angeli ſit oportet; id eſt poſtquam eum inveneris, noli eum ſimpliciter & nudè ut hominem conſiderare: nec tam ipſi ejúſque ſcientiæ humanæ confide, quàm Deo qui tibi haud dubiè aderit; & per hunc hominem, ut organum & inſtrumentum ſuum:

tibi loquetur: ea illius menti & ori indens, quæ ad ſalutem, bonum, & incolumitatem tuam erunt neceſſaria: adeo ut ei, ceu Angelo de cœlo delapſo, ut te eòdem deducat, auſcultari debeas. Age ergo cum eo apertè, candidè, & in omni ſinceritate & fidelitate ⁋ ei clarè & ſine ulla duplicitate & diſſimulatione: quodcumque bonum & malum tuum patefaciendo. Hac quippe ratione bonum tuum explorabitur, & magis aſſecurabitur; malum verò tuum emendabitur & corrigetur ⁋ in afflictionibus quoque tuis allevaberis & corroboraberis: in conſolationibus autem moderata eris & ordinata ⁋ ſummam in eo colloca fiduciam, quam tamen ſacra quædam comitetur reverentia: adeò ut nec nimia reverentia imminuat fiduciam, nec fiducia impediat reverentiam. Tali cum circumſpectione & reverentia illi fide, cum quali, filia fidit patri ⁋ & ea cum fiducia illum reverêre: quâ filius matrem. Denique amicitia hæc debet eſſe fortis & ſuavis ⁋ tota ſancta, tota ſacra: tota quoque divina & ſpiritualis.

Quamobrem inter mille tibi ſelige unum, ut ait M. Avila: ego verò dico, inter decem millia. Pauciores enim, qui ad hoc munus idonei ſint: reperire eſt quam dici queat. Plenus porrò is ſit oportet charitate, ſcientiâ, & prudentia ⁋ harum partium una ſi ei defuerit: res periculo non vacat. Sed iterum tibi dico, & repeto poſtula illum à Deo ⁋ & ubi jam eum obtinuiſti & inveniſti: divinæ ejus Majeſtati gratias age ⁋ conſtans eſto, nec alios tibi quære: ſed ſimpliciter & fiducialiter procede, ſic enim iter tuum proſperabitur. *Cùm tantoperè ductoris egeas conſiliis ⁋ Iiſdemque obſequi debeas: neceſſè eſt ut benè addiſcas propriam voluntatem propriùmque ſenſum abdicare. Itaque altiùs animo infige quæ liber de Imitatione mox ſuggeret rationéſque graviſſimas quibus ad id urget. Sanè ſecurim ad radicem ponit, quâ proprius ſenſus dejiciatur & propoſitâ ratione benè cognoſcendi veritatem, & obediendi neceſſitate; viam tibi aperit ad magnam pacem internam cujus aditum patefaciet mentis devota & fidelis ſubmiſſio.*

De Doctrina Veritatis. Lib. 1. cap. 3.

1. Felix, quem veritas per ſeipſam docet ⁋ non per figuras, & voces tranſeuntes: ſed ſicuti ſe habet. Noſtra opinio, & noſter ſenſus ſæpe nos fallunt: & modicum vident. Quid prodeſt magna cavillatio de occultis, & obſcuris rebus, de quibus non arguemur in judicio quia ignoravimus? Grandis inſipientia, quòd, neglectis utilibus & neceſſariis ⁋ ultrò intendimus curioſis & damnoſis: oculos habentes non videmus.

2. Et quid curæ nobis de generibus, & ſpeciebus? Cui æternum Verbum loquitur: à multis opinionibus expeditur. Ex uno Verbo omnia, & unum loquuntur omnia: & hoc eſt principium quod & loquitur

nobis. Nemo ſine illo intelligit, aut rectè judicat. Cui omnia unum ſunt, quique ad unum omnia trahit, & omnia in uno videt; poteſt ſtabilis corde eſſe, atque in Deo pacificus permanere. O veritas Deus, fac me unum tecum in charitate perpetua. Tædet me ſæpe legere multa, & audire: in te eſt totum, quod volo, & deſidero. Taceant omnes doctores: ſileant univerſæ creaturæ in conſpectu tuo; tu mihi lóquere ſolus.

3. Quantò quis magis unitus ſibi, & interiùs ſimplificatus fuerit: tantò plura, & altiora ſine labore intelliget: quia deſuper lumen intelligentiæ accipiet. Purus, ſimplex, & ſtabilis ſpiritus, in multis operibus non diſſipatur: quia omnia ad Dei honorem operatur; & in ſe otioſus, ab omni propria exquiſitione eſſe nititur. Quis te magis impedit, & moleſtat, quàm tua immortificata cordis affectio? [*Hoc maximè notandum: indubitatum quippe eſt. At etiam ſemper memoriâ tenendum eſt: hanc cordis humani inordinationem quamdiu vixerimus non poſſe penitus extingui. Mortificari quidem poteſt & cum gratiæ cœleſtis auxilio impugnari & vinci: ſed noſtro non ſubjacet arbitrio illius punctiones & inſultus non ſentire.*] Bonus & devotus homo opera ſua priùs intùs diſponit; quæ foris agere debet. Nec illa trahunt eum ad deſideria vitioſæ inclinationis: ſed ea ipſe inflectit ad arbitrium rectæ rationis. Quis habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere ſeipſum? Et hoc deberet eſſe negotium noſtrum: vincere videlicet ſeipſum: & quotidiè ſeipſo fortiorem fieri, atque in melius aliquid perficere.

4. Omnis perfectio in hac vita, quandam imperfectionem habet ſibi annexam: & omnis ſpeculatio noſtra: quâdam caligine non caret. Humilis tui cognitio, certior via eſt ad Deum: quàm profunda ſcientiæ inquiſitio. Non eſt culpanda ſcientia, aut quælibet ſimplex rei notitia: quæ bona eſt in ſe conſiderata, & à Deo ordinata: ſed præferenda eſt ſemper bona conſcientia, & virtuoſa vita. Quia verò plures magis ſcire deſiderant, quàm bene vivere: ideò ſæpè errant, & penè nullum, vel modicum fructum ferunt.

5. O ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inſerendas, ſicut ad movendas quæſtiones: non fierent tanta mala, & & ſcandala in populo: nec tanta diſſolutio in Cœnobiis. Certè, adveniente die judicij non quæretur à nobis quid legerimus, ſed quid fecerimus: nec quàm bene dixerimus, ſed quàm religioſè vixerimus. Dic mihi, ubi ſunt modò omnes illi magiſtri, quos noviſti benè dum adhuc viverent, & in ſtudiis florerent? Jam eorum præbendas alij poſſident: & neſcio utrum de eis recogitent. In vita ſua videbantur aliquid; modò autem de illis tacetur.

6. O quàm citò tranſit gloria mundi! Utinam vita eorum concordaſſet ſcientiæ ipſorum: tunc benè ſtuduiſſent, & legiſſent. Quàm multi pereunt per vanam ſcientiam in hoc ſæculo: qui parùm curant de Dei

ſervitio. Et quia magis eligunt magni eſſe, quàm humiles: ideò *evaneſcunt in cogitationibus ſuis.* Verè magnus eſt, qui magnam habet charitatem ⁊ qui parvus in ſe eſt: & omne culmen honoris ducit pro nihilo. Verè prudens eſt, qui terrena omnia arbitratur ut ſtercora: ut Chriſtum lucrifaciat. Et verè benè doctus eſt; qui Dei voluntatem facit, & ſuam relinquit. Rom. 1. 21.

De obedientia & ſubjectione.
Libro 1. cap. 9.

1. Valdè magnum eſt in obedientia ſtare ⁊ ſub Prælato vivere: & ſui juris non eſſe. Multò tutiùs eſt ſtare in ſubjectione: quàm in Prælatura. Multi ſunt ſub obedientia magis ex neceſſitate, quàm ex charitate: & illi pœnam habent, & leviter murmurant. Nec libertatem mentis acquirent: niſi ex toto corde propter Deum ſe ſubjiciant. Curre hùc, vel illùc, non invenies quietem: niſi in humili ſubjectione ſub Prælati regimine. Imaginatio locorum & mutatio multos fefellit. [*Id Monachis maximè convenit quibus tentatio mutandi locum periculoſa cenſenda eſt: & in laqueos injicit, quando ei ſuccumbitur. Ei ergo viriliter reſiſtendum eſt: ſi deceptionem velint vitare.*]

2. Verum eſt quòd unuſquiſque libenter agit pro ſenſu ſuo: & inclinatur ad eos magis qui ſecum ſentiunt. Sed ſi Deus eſt inter nos: neceſſe eſt ut relinquamus etiam quandoque noſtrum ſentire propter bonum pacis. Quis eſt ita ſapiens, qui plenè omnia ſcire poſſit? Ergo noli nimis in ſenſu tuo confidere: ſed velis etiam libenter ſenſum aliorum audire. Si bonum eſt tuum ſentire ⁊ & hoc ipſum propter Deum dimittis, & aliud ſequeris; magis exinde proficies.

3. Audivi etiam ſæpe ⁊ ſecuriùs eſſe audire atque accipere conſilium: quàm dare. Poteſt etiam contingere ut bonum ſit uniuſcujuſque ſentire ⁊ ſed nolle aliis acquieſcere, cùm id ratio vel cauſa poſtulat: ſignum eſt ſuperbiæ ac pertinaciæ.

De quatuor magnam importantibus pacem.
De Imitat. Libro 3. cap. 23.

SALVATOR.

1. Fili nunc docebo te viam pacis: & veræ libertatis.

DISCIPULUS.

Fac Domine quod dicis: quia hoc mihi gratum eſt audire.

SALVATOR.

Stude fili alterius facere voluntatem potiùs quàm tuam. Elige ſemper

minùs quàm plus habere; Quære ſemper inferiorem locum & omnibus ſubeſſe: opta ſemper & ora, ut Dei voluntas integrè in te atque in omnibus fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis, & quietis.

D I S C I P U L U S.

2. Domine ſermo tuus iſte brevis multum in ſe continet perfectionis: Parvus eſt dictu; ſed plenus ſenſu: & uber in fructu. Nam ſi poſſet à me fideliter cuſtodiri: non deberet in me turbatio tam facilis oriri. Nam quoties me impacatum ſentio & gravatum: ab hac doctrina me receſſiſſe invenio. Sed tu qui omnia potes & profectum animæ ſemper diligis; adauge majorem gratiam; ut poſſim tuum complere ſermonem, & meam perficere ſalutem.

Oratio contra malas cogitationes.

D I S C I P U L U S.

Pſ. 70. 12. 3. DOmine *Deus meus, ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice. Quoniam inſurrexerunt in me* variæ cogitationes: & timores magni affligentes animam meam. Quomodò pertranſibo illæſus? Quomodò perfringam eas?

S A L V A T O R.

Iſa. 45. 2. *Ego*, inquit, *ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo.* Aperiam januas carceris: & arcana ſecretorum revelabo tibi.

D I S C I P U L U S.

Fac Domine ut loqueris: & fugiant à facie tua omnes iniquæ cogitationes. Hæc ſpes & unica conſolatio mea ad te in omni tribulatione mea confugere; tibi confidere; te ex intimo affectu invocare: & patienter conſolationem tuam expectare.

Oratio pro illuminatione mentis.

4. CLarifica me, bone Jeſu, claritate interni luminis: & educ de habitaculo cordis mei tenebras univerſas. Cohibe evagationes malas: & elide vim facientes tentationes. Pugna pro me fortiter, & expugna malas beſtias; concupiſcentias dico illecebroſas: ut fiat pax in virtute tua, & abundantia laudis reſonet in aula ſancta, hoc eſt, in conſcientia pura. Impera ventis, & tempeſtatibus: dic mari, quieſce; ac Aquiloni, ne flaveris; & erit tranquillitas magna.

Pſ. 142. 3. 5. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam*, ut luceant ſuper terram: quia terra ſum inanis, & vacua donec illumines me. Effunde gratiam tuam deſuper; perfunde cor meum rore cæleſti: miniſtra devotionis aquas ad irrigandam faciem terræ, ad producendum fructum bonum & optimum. Eleva mentem preſſam mole peccatorum; & ad cæleſtia totum deſiderium meum ſuſpende: ut guſtata ſuavitate ſupernæ felicitatis pigeat de terrenis cogitare.

6. Rape me & eripe me ab omni creaturarum indurabili cōſolatione: quia nulla res creata valet appetitum meum plenariè quietare & cōſolari. [*Omni ad creaturas adhæſioni: penitùs renunciandum eſt. In hanc*

enim

enim cor humanum & carneum maximè propendet. Hic autem notatur quam tibi neceſſe ſit: ad id obtinendum gratiæ auxilium implorare.] Junge me tibi inſeparabili dilectionis vinculo, quoniam tu ſolus ſufficis amanti: & abſque te frivola & vana ſunt univerſa.

Vide artic. 2. & 3. cap. 7. lib. 3. de Imitatione infrà lectione 41.

LECTIO QUARTA,

De Purificatione Animæ, Imitatione Chriſti: & contemptu omnium mundi vanitatum. De humili ſentire ſuipſius: & de interna cum Deo converſatione.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

M*Unda priùs quod intùs eſt calicis & paropſidis: ut fiat id, quod deforìs eſt mundum.* Matt. cap. 23. verſ. 26.

Regnum Cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud. Matt. cap. 11. verſ. 12.

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis; ita & vos faciatis. Joan. cap. 13. verſ. 15.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum; non eſt Charitas Patris in eo. Epiſt. 1. Joan. cap. 2. v. 15.

Id ipſum invicem ſentientes, non alta ſapientes: ſed humilibus conſentientes. Epiſt. ad Rom. cap. 12. verſ. 16.

Non judicavi me ſcire aliquid inter vos: niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 2. verſ. 2.

Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito; & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Matt. cap. 6. veſ. 6.

Ex his Spiritûs Sancti verbis colligere debes, 1. neminem poſſe Deo placere: qui interiori animæ purgationi non inſiſtat. 2. Sibimet vim inferendam eſſe in ejuſmodi animæ purgatione: ad Regnum Cælorum conſequendum. 3. Chriſti vitam & actiones in exemplum ſibi eſſe proponendas, quas nemo ad praxim benè deducet: niſi verum mundi contemptum concipiat. 4. Animi deſideria comprimenda, ipſiúſque curioſitatem: ac nimiam de ſeipſo quâ laborat exiſtimationem. 5. Hominum vanis confabulationibus nugíſque nuncium eſſe remittendum: ut diſcamus cum Deo converſari. 6. Denique converſationem noſtram in Cælos eſſe transferendam per cæleſtium rerum meditationem, & orationem; ut diſcamus in terris cæleſtem vitam ducere. Sanctiſſima ſuper his Magiſtrorum tuorum documenta perpende.

E

Ex Libro introductionis cap. 5. ubi ab Animæ purgatione incipiendum eſſe docetur.

FLores inquit ſponſus, *apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advénit.* Qui nam ſunt animarum noſtrarum flores, Philóthea ⁊ niſi bona deſideria? Quæ ſtatim ac apparent ⁊ falcula in manus accipienda eſt: quâ omnia opera mortua & ſuperflua à conſcientia noſtra reſcindantur. Puella allienigena Iſraëlitæ nuptura olim, captivitatis ſuæ veſtem exuere debebat ⁊ ungues reſcindere: & cæſariem radere. Sic & anima, filij Dei ſponſa eſſe deſiderans ⁊ veterem hominem exuat, & novum peccato relicto, induat: exinde omnigena impedimenta, ab amore Dei ipſam avocantia, reſcindat & abradat, neceſſe eſt. Sanitatis noſtræ principium eſt: à malignis & peccaminoſis humoribus expurgari. Apoſtolus Paulus unico momento perfectâ quâdam purgatione expurgatus eſt: uti & S. Catharina Senenſis, Maria Magdalena, S. Pelagia, & aliquot alij. At hocce purgationis genus omninò miraculoſum eſt & extraordinarium in ipſa gratia ⁊ ſicuti mortuorum reſurrectio in natura: adeò ut ad hujuſmodi nos aſpirare nefas ſit. Purgatio verò & ſanatio ordinaria tàm corporum quàm animarum non niſi paulatim & gradatim ⁊ ex uno profectu ſcilicet in alium aſcendendo: idque cum labore aliquo & per otium, peragitur.

Angeli in ſcala Jacobi viſi alas quidem habent ⁊ attamen non volant: ſed ordinatim & gradatim ex uno gradu in alium aſcendunt & deſcendunt. Anima quæ è ſtatu peccati ad devotionem aſcendit, amore ſtimulatur ⁊ hæc autem dum exoritur: unico momento noctis tenebras non diſpellit, ſed paulatim. Sanatio (ut aphoriſmus medicorum docet) quæ paulatim lentéque fit: ſemper multò eſt certior. Morbi enim animi, uti & corporis, veniunt (ut ita dicam) equites & curſitando: ſed nonniſi pedites & lento gradu recedunt. Hac ergò in re animoſitate, conſtantiâ & patientia noſtrâ opus eſt: mea Philóthea. Ah, quàm deploranda res eſt, quòd animæ videntes ſe, poſtquam jam aliquantiſper ſeſe in devotione exercuêre ⁊ adhuc permiſtis imperfectionibus obnoxias & ſubjectas eſſe: inquietari, turbari, & omnino dejici incipiant ⁊ parùm ut abſit quin cœpta omnia ſimul deſerant: & retrò reſpiciant. Et vice verſa ⁊ an non extremo in periculo illæ verſantur animæ, quæ in oppoſitam partem tendentes ⁊ jam tùm primo quo purgari incipiunt die ab omnibus imperfectionibus ſuis purgatas ſe arbitrantur? penè antè planè perfectas ſe eſſe ratæ, quàm perficiantur: & volare geſtientes antequam habeant alas. Quàm hæ in præſenti, Philóthea, recidivæ ac relapſûs periculo verſantur: quòd ſeſe nimis citò medici manibus ſubduxerint. Ne ſurgatis, ſuadet Propheta, *ante lucem*: ſed *ſurgite poſt-*

quam ſederitis. Quare & ipſe hanc doctrinam practicavit, & jam lotus & emundatus: *amplius* & rursùs *lavari* expetit.

Purgationis animæ exercirium nonniſi unà cum vita noſtra finiri poteſt ac debet. Non eſt ergò, quod ob imperfectiones noſtras turbemur, perfectio quippe noſtra conſiſtit in eo, ut ipſas oppugnemus: oppugnare autem eas non poſſemus, niſi videremus, nec exſuperare: niſi ante oculos haberemus. Victoria noſtra in eo ſita non eſt, ut ipſas non ſentiamus: at in eo, ut iis non conſentiamus. [*Hinc diſce qualiter tibi in humilitate & patientia ſtandum ſit: & pietatis cultoribus toto vitæ decurſu labori incumbendum.*]

Porrò iis conſentire non eſt: ab iis ſubinde impeti & vulnerari. Nam ad humilitatem exercendam, convenit nos interdum in ſpirituali hoc conflictu vulnerari ac ſuccumbere; at non ante ſumus victi, quàm aut vitam, aut animum amiſerimus. Cæterùm imperfectiones, & peccata venialia ſpiritualem nobis vitam eripere non poſſunt: etenim hæc non niſi mortali peccato deperditur. [*Hic ſpiritualia peccati mala prudenter ab invicem diſtinguenda eſſe doceris. Quod latiùs infrà explicatum reperies in tractatu de pace animæ.*] Hoc ergò ſolum curandum ac videndum; ne animum illa nos deſpondére faciant.

Libera me Domine, ajebat Pſaltes *à puſillanimitate*: & meticuloſitate. Felices ſanè in hoc vitiorum conflictu ſumus, dum ſemper victoriam referimus: dummodò certare & confligere tantùm velimus.

Neceſſitas & modus te prudenter in animæ purificatione exercendi: hic tibi eleganter exprimuntur. At tria ſequentia capita ex Libro Imitationis excerpta; edocebunt te ad quid extendi debeat tuum propoſitum, quibúſque motivis & mediis uti debeas ad obtinendam cordis puritatem: qualis in hac vita haberi poteſt. Cujus tota ratio & ſumma: in convenienti opinione & æſtimatione quam de Doctrina Chriſti concipere debemus, in mundi & noſtri contemptu: & in intima cum Deo converſatione conſiſtit.

De Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi. Libro 1. *cap.* 1.

1. QVi *ſequitur me, non ambulat in tenebris*: dicit Dominus. Hæc ſunt verba Chriſti, quibus admonemur, quatenùs vitam ejus, & mores imitemur; ſi velimus veraciter illuminari, & ab omni cæcitate cordis liberari. Summum igitur ſtudium noſtrum ſit: in vita JESU CHRISTI meditari. *Ioan. 8. 12.*

2. Doctrina Chriſti omnes doctrinas Sanctorum præcellit, & qui ſpiritum ejus haberet; abſconditum ibi manna inveniret. Sed contingit, quod multi ex frequenti auditu Evangelij pium deſiderium non ſentiunt: quia Spiritum Chriſti non habent. Qui autem plenè vult &

ſapidè Chriſti verba intelligere: oportet ut totam vitam ſuam illi ſtudeat conformare.

3. Quid prodeſt tibi alta de Trinitate diſputare˥ ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati? Verè alta verba non faciunt ſanctum & juſtum: ſed virtuoſa vita efficit Deo charum. Opto magis ſentire compunctionem: quàm ejus ſcite definitionem. Si ſcires totam Bibliam, & omnium Philoſophorum dicta˥ quid tibi totum prodeſſet ſine Dei gra-
Eccleſ.1. 1. tia & Charitate? *Vanitas* ergò *vanitatum, & omnia vanitas:* præter amare Deum, & illi ſoli ſervire. Iſta eſt ſumma ſapientia: per contemptum mundi tendere ad cæleſtia regna.

4. Vanitas eſt, divitias perituras quærere; ac in illis ſperare. Vanitas eſt, honores ambire; atque in altum ſe extollere. Vanitas eſt, carnis deſideria ſequi: & illud deſiderare, unde poſtmodùm graviter puniri oportet. Vanitas eſt, longam vitam optare: de bona autem vita modicùm curare. Vanitas eſt, præſentem vitam ſolùm attendere: & quæ futura ſunt non prævidere. Vanitas eſt, illud diligere, quod cum omni celeritate tranſit˥ & illùc non feſtinare; ubi gaudium permanet ſempiternum.

5. Memento illius frequenter Proverbij˥ quia *non ſatiatur oculus*
Eccleſ.1. 8. *viſu: nec auris impletur auditu.* Stude ergo cor tuum ab amore viſibilium abſtrahere: atque ad inviſibilia transferre. Nam ſequentes ſuam ſenſualitatem˥ maculant conſcientiam; & perdunt Dei gratiam.

De humili ſentire ſeu cognitione ſuiipſius. Cap. 2.

1. OMnis homo naturaliter ſcire deſiderat˥ ſed ſcientia ſine timore Dei quid importat? Melior eſt profectò humilis ruſticus, qui Deo ſervit˥ quàm ſuperbus Philoſophus, qui ſe neglecto: curſum cæli conſiderat. Qui benè ſe ipſum cognoſcit˥ ſibi ipſi vileſcit: nec laudibus delectatur humanis. Si ſcirem omnia, quæ in mundo ſunt, & non eſſem in charitate˥ quid me juvaret coram Deo, qui me judicaturus eſt ex facto?

2. Quieſce à nimio ſciendi deſiderio: quia magna ibi diſtractio invenitur & deceptio. Scientes libenter volunt videri: & ſapientes dici. Multa ſunt: quæ ſcire, parùm, vel nihil animæ prodeſt. Et valdè inſipiens eſt: qui aliis intendit, quàm iis, quæ ſaluti ſuæ deſerviunt. Multa verba non ſatiant animam˥ ſed bona vita refrigerat mentem: & pura conſcientia magnam præſtat ad Deum confidentiam.

3. Quantò plus & meliùs ſcis: tantò graviùs inde judicaberis, niſi ſanctiùs vixeris. Noli ergo extolli de arte ulla, vel ſcientia: ſed potiùs time de data tibi notitia. Si tibi videtur, quòd multa ſcis, & ſatis benè intelligis: ſcito tamen, quia ſunt multò plura, quæ neſcis. *Noli altum ſapere:* ſed ignorantiam tuam magis fatére. Quid te vis alicui præferre˥

cùm plures doctiores te inveniantur, & magis in lege periti? Si vis utiliter ſcire aliquid, & diſcere: ama neſciri, & pro nihilo reputari.

4. Hæc eſt altiſſima, & veriſſima lectio: ſui ipſius vera cognitio, & deſpectio. De ſeipſo nihil tenere ˥ de aliis autem benè ſemper, & altè ſentire: magna ſapientia eſt, & perfectio. Si videres aliquem apertè peccantem, vel aliqua gravia perpetrantem ˥ non deberes tamen te meliorem illo æſtimare; quia neſcis quamdiù poſſis in bono ſtare. Omnes fragiles ſumus; ſed tu neminem fragiliorem teipſo tenebis.

De interna converſatione. Libro 2. cap. 1.

1. R*Egnum Dei intra vos eſt*; dicit Dominus. *Converte te ex toto corde* Luc.17. 21.
tuo ad Dominum ˥ & relinque hunc miſerum mundum: & inve- Ioel.2. 12.
niet anima tua requiem. Diſce exteriora contemnere ˥ & ad interiora
te dare: & videbis Regnum Dei in te venire. *Eſt* enim *Regnum Dei juſti-* Ro. 14. 17.
tia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto: quod non datur impiis. Veniet ad te Chriſtus oſtendens tibi conſolationem ſuam; ſi dignam illi ab intùs paraveris manſionem. Omnis gloria ejus & decor ab intra eſt: & ibi complacet ſibi. Frequens illi viſitatio cum homine interno ˥ dulcis ſermocinatio; grata conſolatio ˥ multa pax: familiaritas ſtupenda nimis.

2. Eia anima fidelis præpara huic ſponſo cor tuum ˥ quatenùs ad
te venire: & in te habitare dignetur. Sic enim dicit ˥ *Si quis diligit me:* Ioa.14.23.
ſermonem meum ſervabit ˥ *& ad eum veniemus: & manſionem apud eum faciemus.* Da ergò Chriſto locum: & cæteris omnibus nega introitum. Cùm Chriſtum habueris ˥ dives es: & ſufficit tibi. Ipſe erit proviſor tuus ˥ & fidelis procurator in omnibus: ut non ſit opus in hominibus
ſperare. Homines enim citò mutantur ˥ & deficiunt velociter: *Chriſtus* Io. 12. 34.
autem *manet in æternum*, & aſtat uſque in finem firmiter.

3. Non eſt magna fiducia ponenda in homine fragili & mortali, etiam ſi utilis ſit & dilectus ˥ neque triſtitia multa capienda ex hoc: ſi interdum adverſetur & contradicat. [*En permtile documentum, quo edoceris ad ſervandum cor tuum ab hominum amore liberum* ˥ *nec eorum amicitiæ plus æquo fidendum: quippè qua aura inſtabilior ſit.*] Qui hodie tecum ſunt: cras contrariari poſſunt, & è converſo, ſæpe ut aura vertuntur. Pone totam fiduciam tuam in Deo: & ſit ipſe timor tuus, & amor tuus. Ipſe pro te reſpondebit: & faciet benè ſicut meliùs fuerit. Non habes hîc manentem civitatem ˥ & ubicumque fueris: extraneus es & peregrinus nec requiem aliquando habebis, niſi Chriſto intimè fueris unitus.

4. Quid hîc circumſpicis ˥ cùm iſte non ſit locus tuæ requietionis? In cæleſtibus debet eſſe habitatio tua: & ſicut in tranſitu cuncta terrena ſunt aſpicienda. Tranſeunt omnia: & tu cum eis pariter. Vide ut non inhæreas: ne capiaris & pereas. Apud Altiſſimum ſit cogitatio tua: &

deprecatio tua ad Chriſtum ſine intermiſſione dirig ıtur. Si neſcis alta ſpeculari & cæleſtia, requieſce in Paſſione Chriſti : & in ſacris vulneribus ejus libenter habita. [*Hic nota varios animæ ſtatus in oratione, humılitatémque ac patienti.am : in ea exercendam. Hoc exercitio in ariditate frequenter utere, neminémque Magiſtrum effici memineris : quin pr·us fuerit Diſcipulus.*] Si enim ad vulnera & pretioſa ſtigmata Jeſu devote confugeris, magnam in tribulatione confortationem ſenties : nec multù.n curabis hominum deſpectiones, faciléque verba detrahentia perferes.

5. Chriſtus fuit etiam in hoc mundo ab hominibus deſpectus, & in maxima neceſſitate : à notis & amicis inter opprobria derelictus. Chriſtus pati voluit & deſpici, & tu audes de aliquo conqueri? Chriſtus habuit adverſarios & oblocutores, & tu vis omnes habere amicos & benefactores? Unde coronabitur patientia tua, ſi nihil adverſitatis occurrerit? [*Nota perfectionem per adverſa benè portata comparari.*] Si nihil contrarium vis pati, quomodò eris amicus Chriſti? Suſtine te cum Chriſto & pro Chriſto : ſi vis regnare cum Chriſto.

6. Si ſemel perfectè introiſſes in interiora Jesu, & modicum de ardenti amore ejus ſapuiſſes : tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares, ſed magis de opprobrio illato gauderes : quia amor Jesu facit hominem ſeipſum contemnere. Amator Jesu, & verus internus, & liber ab affectionibus inordinatis, poteſt ſe ad Deum liberè convertere : & levare ſe ſuper ſeipſum in ſpiritu, ac fruitivè quieſcere.

7. Cui ſapiunt omnia prout ſunt, non ut dicuntur, aut æſtimantur: hic verè ſapiens eſt & doctus magis à Deo, quàm ab hominibus. Qui ab intra ſcit ambulare, & modicùm res ab extra ponderare : non requirit loca, nec tempora expectat ad habenda devota exercitia. Homo internus citò ſe recolligit ; quia nunquam ſe totum ad exteriora effundit. [*Perutilis regula hic tibi conſtituitur : quâ ad omnia moderatè agenda edocéris.*] Non illi obeſt labor exterior, aut occupatio ad tempus neceſſaria ; ſed ſicut res eveniunt, ſic ſe illis accommodat. [*Hæc omninò concordant cum animi flexibilitate : quam S. Franciſcus Saleſius tantoperè commendat.*] Qui intùs benè diſpoſitus eſt & ordinatus : non curat mirabiles & perverſos hominum geſtus. Tantùm homo impeditur & diſtrahitur : quantùm ſibi res attrahit.

8. Si rectè tibi eſſet, & benè purgatus eſſes : omnia tibi in bonum cederent & profectum. Ideò multa tibi diſplicent, & ſæpè conturbant: quia adhuc non es perfectè tibiipſi mortuus, nec ſegregatus ab omnibus terrenis. [*memento, hujuſce mortificationis exercitio non uno tantùm die, ſed toto vitæ tempore inſiſtendum eſſe : ut jam diximus. Quicquid autem in nobis quotidiè reviviſcit : materiam honorandi Deum in ejuſmodi mortificationis exercitio ſubminiſtrat.*] Nihil ſic maculat & implicat cor

hominis : ſicut impurus amor in creaturis. Si renuis conſolari exteriùs, poteris ſpeculari cæleſtia, & frequenter jubilare interiùs.

LECTIO QUINTA.

De prima purificatione quæ eſt à peccatis : & de ſecunda quæ eſt ab affectibus ad peccatum. De inſtabilitate cordis ; & de intentione ad Deum unicè dirigenda. Quod tandem amanti ſapit Deus ſuper omnia & in omnibus.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

SI quis vult venire poſt me : abneget ſemepipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matth. cap. 16. verſ. 24.

Beati mundo corde : quoniam ipſi Deum videbunt. Matt. cap. 6. v. 8.

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham. Matt. cap. 3. v. 9.

Si filij Abrahæ eſtis ; opera Abrahæ facite. Joan. cap. 8. v. 39.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò : aptus eſt Regno Dei. Luc. cap. 9. v. 62.

Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati : quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Epiſt. ad Rom. cap. 7. v. 22. & ſeqq.

Si quis diligit me : ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum : & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joan. cap. 14. verſ. 23.

Hæc verba tibi innuunt. 1. Ad Chriſtum ſequendum non ſolum omnibus exterioribus quæ ei diſplicere poſſunt eſſe renunciandum : ſed & iis quæ intra nos ejus oculis non placere novimus. 2. Eos tantummodo qui mundo corde ſunt : divinarum conſolationum fieri participes. 3. Anteactæ vitæ damna per pœnitentiam animosè compenſanda. 4. Nomen Chriſtiani & filiorum Crucis fruſtrà nobis imponi : ſi per opera id nos eſſe non comprobemus. 5. Recta ad æternitatem tendendum, nec retrò aſpiciendum : ut temporalia conſideremus. 6. Vitæ pericula tentationéſque imperturbata mente ſuſtinendas, cùm vel ſanctiſſimi quique viri ab eis immunes non fuerint : & ad quælibet agenda & ſuperanda gratia Dei nobis ſufficiat. Eum denique qui Deum diligit opere & veritate : etiam in hac vita mercedem recipere. Doctorum tuorum ea de re ſententiam auſculta.

Ex Introductione cap. 6. ubi agitur de prima purgatione, quæ eſt à peccatis mortalibus.

PRima, quæ facienda eſt purgatio, eſt à peccatis: ea autem fit per
ſanctum Sacramentum pœnitentiæ. Proindè Confeſſarium tibi de-
lige quàm potes digniſſimum; deinde accipe unum è libellis illis, qui
ad conſcientias, quo ritè confeſſio inſtituatur, adjuvandas compoſiti
ſunt: uti ſunt Ludov. Granatenſis, Vinc. Brunus, Fran. Arias, & Edm.
Angerius. Hos ſedulò pervolve; & per peccata & ſingula puncta diſ-
curre examinando in quibus deliqueris & offenderis: ſcilicet jam inde
ab eo tempore quo primum ratione uti cœpiſti, uſque in præſens omne
vitæ tuæ curriculum percurrẽdo. Et ſi memoriæ tuæ diffidas; quaſi om-
nia retinere nequeas: ſcripto committe in quibus te offendiſſe Deum
deprehendes. Ubi ergò peccaminoſos & malignos conſcientiæ tuæ hu-
mores jam hoc modo præparaſti, & in unum collegiſti; eoſdem ſeriò
deteſtare: & per, quam ferre cor tuum poteſt, maximam contritionem &
diſplicentiam à te ejicere conare, quatuor illa peccati mala conſideran-
do; quòd videlicet per ipſum Dei gratiam amiſeris: quantùm eſt à
parte tua, cœlum deſerueris; æternos inferni cruciatus in te accerſie-
ris: æterno Dei amori renunciaris. Vides credo, Philóthea, me de ge-
nerali totius vitæ confeſſione loqui; quæ (ut verum fatear) non ſem-
per abſolutè hìc neceſſaria eſt: tametſi interim nôrim, illam hocce in
principio ſummè tibi utilem fore: unde eam tibi quàm maximè con-
ſulo. Sæpè namque contingit; ordinatas eorum qui vitam commu-
nem & vulgarem agunt, confeſſiones: magnorum plenas eſſe defec-
tuum. Etenim ſæpè fit, ut homo ſe ad eam minimè diſponat; aut certè
admodùm parùm: vel requiſitam debitámque contritionem non ha-
beat; imò verò, non raro ad confeſſionem accedit cum tacita denuò
ad peccatum redeundi, (eò quod peccati occaſionem evitare, ac vitæ
emendandæ neceſſaria media uſurpare detrectat:) voluntate. Porrò, in
omnibus his caſibus generalis confeſſio neceſſaria eſt ac requiritur:
quò anima tranquilletur & in tuto collocetur. Ad hæc ipſa generalis
confeſſio nos ipſos nobis patefacit; & quales ſumus oſtendit: ad ſalu-
tarem de vita præterita confuſionem & erubeſcentiam provocat; miſe-
ricordiam Dei admirari nos facit: utpote qui tàm patienter nos ex-
pectavit. Inſuper corda noſtra tranquillat; ſpiritum ſerenat; bona
in nobis propoſita excitat; Patri quoque noſtro ſpirituali occaſionem
dat ad convenientia conditioni noſtræ monita & conſilia nobis ſugge-
renda: animum denique nobis addit; ut in pòſt ſecuturis confeſſio-
nibus: fiducialiter ei nos ipſos declaremus & patefaciamus.

Ergò de generali quadam cordis noſtri renovatione: pro univerſali
animæ

animæ noſtræ ad Deum omnipotentem converſione ˥ Idque per aggreſſionem & ſuſceptionem vitæ devotæ loquendo : meritò tibi, ô Philothea, hanc confeſſionem generalem conſulere poſſe videor.

Ex Introductione Cap. 7. ubi agitur de ſecunda purgatione ab affectibus ſcilicet & inclinationibus erga peccatum.

OMnes quidem Iſraëlitæ reipſâ & de facto ex Ægypto egreſſi ſunt: ſed non omnes affectu & voluntate: hinc cùm in deſerto agerent ˥ plurimi ipſorum murmurabant : & dolebant quod allia & ollas carnium Ægypti non haberent. Sic & plurimi ſunt pœnitentes, qui de facto quidem è peccatis quaſi egrediuntur ˥ affectum tamen erga eadem non exuunt: id eſt, proponunt quidem, poſthàc non amplius peccare ˥ attamen quamdam intra ſe amaritudinem & dolorem ſentiunt quòd deteſtabilibus illis, quas peccatum involuit, delectationibus & voluptatibus : carere & abſtinere debeant. Animus quidem eorum peccato renunciat, ab eóque ſe ſubducit ˥ interim tamen verſus eam partem velut redeundo, ſæpè proſpectat & affectu vergit : quemadmodum Lothi uxor Sodomam verſus deſpectabat. Sic quippe abſtinent peccato, ſicuti ægroti melonibus ˥ qui his ideò abſtinent: quòd medicus ipſis mortem, ſi comedant, comminetur. Ipſi interim quod abſtinere debeant inquieti ſunt : de eo loquuntur ˥ inquirunt num aliquo iis modo veſci liceat ˥ ipſos ſaltem olfacere volunt : & beatos reputant eos quibus eos comedere licet. [*Religioſus poteſt iſta omnia applicare ad ſeculares vanitates ac nugas; cùm de illis curioſius inquirit, aut earum relationes libentiùs audit.*] Ad eumdem modum hi debiles & languidi pœnitentes ad tempus quidem peccato abſtinent : ſed inviti & reluctanter. Hinc vellent ſibi liceret peccare ˥ modò poſſent damnationem evadere : quin & aliquo cum guſtu & ſenſu de peccato loquuntur ˥ eóſque lætè agere exiſtimant, & beatos reputant : qui ipſum admittunt. Qui vindictam de inimico ſuo capere ſtatuit ˥ confeſſionem inſtituens : voluntatem quidem ſuam mutabit. Paulò poſt tamen, inter amicos ſuos agenti ˥ volupe ei erit de ſua contentione apud eos loqui : dicétque ˥ ni Deum timuiſſet : hæc & illa ſeſe facturum fuiſſe. Legem divinam quoad hoc offenſas & injurias condonandi punctum, difficilem & arduam eſſe ˥ & optare ſe : fas ut cuivis eſſet de injuriam inferentibus ultionem capere. [*Hinc diſce quanti momenti ſit leviores animi ægritudines comprimere ˥ nec eas renovare : abſque vera neceſſitate per verba. Cordis enim affectus & animi cogitationes : per ejuſmodi querelas excitantur. Applica ſic tibi ſpeciatim : quod in genere dicitur.*] Quis non videt, miſerum hunc, etiamſi extra peccatum ſit : erga ipſum tamen planè pro-

penſum eſſe : & affectu ferri. Et licet reipſa extra Ægyptum ſit : appetitu tamen, affectu & voluntate adhuc in ipſa hærere : ad allia & cepas, quæ ibidem comedere ſolebat, identidem ſuſpirando. Perinde ac mulier illa facit, quæ licet illicitos jam amores ſit pertæſa ; gaudet nihilominus ab amatis amari : ambiri, & circumcingi. Hem ! quam qui hujuſmodi ſunt : in graviſſimo periculo verſantur?

Quòd verò, Philothea, ad vitam devotam aſpires, eámque conſectari geſtias ; non ſolum tibi ipſum peccatum deſerendum : ſed & animus ab omnibus à peccato dependentibus affectibus prorsùs expurgandus eſt. Nam præterquam quòd periculum eſſet, ne in illud aliquando relaberéris ; infelices hi affectus jugiter ſpiritum tuum elanguidum redderent : itáque gravarent & opprimerent ; ut bona opera promptè, diligenter & frequenter exequi non poſſet : in quo tamen vera devotionis eſſentia & ſubſtantia conſiſtit. Porrò animæ, quæ quidem è ſtatu peccati egreſſæ, hos tamen affectus & languidas erga ipſum propenſiones habent ; perſimiles ſunt, meo quidem judicio, puellis pallidum vultum habentibus, quæ quidem in ſe ægrotæ non ſunt : at omnes earum actiones ſunt morbidæ. Etenim comedunt ſine ſapore : dormiunt ſine requie ; rident ſine animi hilaritate : & proſerpunt potiùs quàm incedunt. Sic hæ animæ bonum quod faciunt ; eo cum ſpiritûs languore & animi laſſitudine peragunt : ut à bonis ſuis exercitiis (quæ & numero pauca, & effectu exigua ſunt) omnem gratiam auferant.

[*Quæcunque ſanctiſſimus præſul documenta hîc tibi tradit ; tam juſta támque perſpicua tibi apparebunt : ut ſtatim convictum te fateberis de illorum veritate & convenientia. Verùm ut in interna purgationis via animosè procedas ; nec occurrentibus contradictionibus perterrearis aut ab affectanda perfectione deſiſtas : alterius Magiſtri conſilia percipe, illáque animo altiùs infige.*]

De inſtabilitate cordis, & intentione finali ad Deum habenda. Lib. 3. cap. 33. de Imitat.

1. FILI noli credere affectui tuo, qui nunc eſt : & citò mutabitur in aliud. Quamdiù vixeris, mutabilitati ſubjectus eris, etiam nolens. [*Nota, nos in hac vita, militum ad inſtar dato ſigno paratos eſſe debere; ſive ad decertandum ſive ad migrandum, &c.*] Ut modò lætus, modò triſtis ; modò pacatus, modò turbatus ; nunc devotus, nunc indevotus ; nunc ſtudioſus, nunc acedioſus ; nunc gravis, nunc levis inveniaris. [*Hic varij animalis hominis motus exprimuntur ; quos ſentire, patienter ferre, ac ſuperare debemus.*] Sed ſtat ſuper hæc mutabilia ſapiens & benè doctus in ſpiritu ; non attendens quid in ſe ſentiat ; vel quâ parte flet ventus inſtabilitatis ; ſed ut tota intentio mentis ſuæ ad debi-

tum & optimum proficiat finem. Nam ſic poterit unus & idem, inconcuſſúſque permanere; ſimplici intentionis oculo per tot varios eventus ad me imprætermiſsè directo.

2. Quantò enim purior eſt intentionis oculus; tantò conſtantiùs inter diverſas itur procellas. Sed in multis caligat oculus puræ intentionis: reſpicit enim citò in aliquod delectabile quod occurrit. Nam & raro totus liber quis invenitur à nævo propriæ exquiſitionis. Sic Judæi olim venerant in Bethaniam ad Mariam, & Martham: *non propter* JESUM *tantùm, ſed & ut Lazarum viderent.* Mundandus eſt ergò intentionis oculus: ut ſit ſimplex & rectus; atque ultra omnia varia media ad me dirigendus. *Ioan.* 12. 9.

Quod amanti ſapit Deus ſuper omnia & in omnibus. Lib. 3. *cap.* 34. *de Imitat.*

1. Ecce Deus meus & omnia. Quid volo amplius? & quid felicius deſiderare poſſum? O ſapidum & dulce verbum! ſed amanti verbum, non mundum; nec ea quæ in mundo ſunt. Deus meus, & omnia. Intelligenti ſatis dictum eſt: & ſæpè repetere jucundum eſt amanti. Te ſiquidem præſente jucunda ſunt omnia; te autem abſente faſtidio ſunt omnia. [*Nota hanc Dei præſentiam eſſe intelligendam de affectu ſenſibili quem ejus gratia in anima imprimit. Dei verò abſentiam: ejus ſolummodo ſubſtractionem ſignificare.*] Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam; lætitiámque feſtivam. Tu facis benè ſentire de omnibus, & in omnibus te laudare: nec poteſt aliquid diù ſine te placere. Sed ſi debet gratum eſſe & benè ſapere: oportet gratiam tuam adeſſe, & condimento tuæ ſapientiæ condiri.

2. Cui tu ſapis! quid ei rectè non ſapiet? Et cui tu non ſapis! quid ei ad jucunditatem eſſe poterit? Sed deficiunt in ſua ſapientia mundi ſapientes, & qui carnem ſapiunt: quia ibi plurima vanitas, & hîc mors invenitur. Qui autem te per contemptum mundanorum, & carnis mortificationem ſequuntur! verè ſapientes eſſe cognoſcuntur: quia de vanitate ad veritatem, de carne ad ſpiritum transferuntur. Iſtis ſapit Deus! & quidquid invenitur in creaturis: totum referunt ad laudem ſui Creatoris. Diſſimilis tamen & multùm diſſimilis ſapor Creatoris, & creaturæ! æternitatis, & temporis: lucis increatæ, & lucis illuminatæ.

3. O lux perpetua, cuncta creata tranſcendens lumina! fulgura coruſcationem de ſublimi: penetrantem omnia intima cordis mei. Purifica, lætifica, clarifica, & vivifica ſpiritum meum cum ſuis potentiis: ad inhærendum tibi jubiloſis exceſſibus. O quando veniet hæc beata, & deſiderabilis hora: ut tua me ſaties præſentia, & *ſis mihi*

Ephe 1. 23. *omnia in omnibus.* Quamdiu hoc datum non fuerit : nec plenum gaudium
Coloſ. 3. 11. erit. Adhuc, proh dolor! vivit in me vetus homo, non eſt totus cru-
cifixus : non eſt perfectè mortuus. Adhuc concupiſcit fortiter adver-
ſus ſpiritum, bella movet inteſtina : nec regnum animæ patitur eſſe
quietum.

4. Sed *tu, qui dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum ejus miti-*
Pſ. 43. 26. *gas : exurge, adjuva me. Diſſipa gentes, quæ bella volunt, contere eas in*
Pſ. 67. 32. *virtute tua : oſtende,* quæſo, *magnalia tua, & glorificetur dextera tua:*
Pſ. 58. 12. quia non eſt ſpes alia, nec refugium mihi, niſi in te Domine Deus
Eccli. 17. 7. meus.
Eccli. 36. 3.
& 7.
Ep. 14. 14.

LECTIO SEXTA.

De mediis ad purgationem faciendam ab affectibus peccandi. De compunctione cordis, de confeſſione propriæ infirmitatis & hujus vitæ miſeriis : & quòd in Deo ſuper omnia bona & dona requieſcendum eſt.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

MOdicum fermentum totam maſſam corrumpit. Expurgate ergò vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio : ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ : ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. 1. Epiſt. ad Cor. cap. 5. v. 6.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum. Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Luc. cap. 19. v. 8.

Pater peccavi in cælum, & coram te ; jam non ſum dignus vocari filius tuus. Dixit autem Pater ad ſervos ſuos, citò proferte ſtolam primam, & induite illum & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus : & adducite vitulum ſaginatum, & occidite & manducemus, & epulemur : quia hic filius meus mortuus erat, & revixit : perierat, & inventus eſt. Luc. cap. 15. v. 21.

Igitur, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſursùm ſunt quærite ; ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſursùm ſunt ſapite : non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm Chriſtus apparuerit, vita veſtra ; tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate ergò membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Epiſt. ad Col. cap. 3. verſ. 1.

Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei IESVS. Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt & crediderunt. Ioan. cap. 20. verſ. 28.

Hæc verba tibi indicant neceſſitatem ſedulò vacandi purgationi internæ ⁏ quâ vetus homo noſter cum actibus ſuis: abſque ulla reſervatione exuendus eſt. Et in Zachæi exemplo demonſtrant quid anima ad Deum perfectè converſa præſtare parata ſit: quantáque alacritate & omni prorsùs cunctatione rejectâ ad ipſum feratur. Patris verò cœleſtis benignitas, erga peccatores ad ipſum converſos urgebit te: ad juſtum dolorem de peccatis contra tam bonum parentem a te commiſſis concipiendum. Ibi vides qualiter anima à peccati morte ſuſcitata ſe gerere debeat ⁏ ac demùm in D. Thomæ exemplo diſcis quanta ſit Dei bonitas erga eos qui ipſum diligunt ⁏ quæ & qualia auxilia eis impertiatur: fideque ac fiducia eos fieri beatos qui eas, ut par eſt exercent. Utriuſque Doctoris in hoc argumentum documenta ſuſcipe.

Ex Introductione Lib. 1. *cap.* 8. *ubi agitur, qua ratione ſecunda hæc purgatio inſtitui queat.*

PRima & præcipua ad ſecundam purgationem perveniendi ratio: eſt viva & vehemens apprehenſio mali illius, quod peccatum nobis adfert. Per hanc enim apprehenſionem, ad profundam & inſignem quamdam contritionem pertingimus. [*Hanc vehementem contritionem intellige quoad rationis intimum, quæ cognita peccati gravitate: vult illud ſuper omnia deteſtari per actum voluntatis. Senſibilis etenim affectus in contritione qui lacrymas ab oculis elicit, &c. non eſt neceſſarius; nec ullo modo à noſtra pendet voluntate*] Nam ſicuti contritio (dummodo vera ſit) quantumlibet parva: accedente præſertim Sacramentorum virtute, ſufficienter nos ab omni peccato expurgat ⁏ ita dum eadem intenſa & vehemens eſt: ab omnibus qui peccatum ſequuntur, affectibus nos emundat. Exiguum alicujus odium & rancor facit ⁏ ut animo quidem averſiore ſimus ab eo, quem ódimus: nóſque illius commercium ſubterfugere compellit. At ſi odium mortale & violentum ſit: non modò eum quem odio proſequimur, fugimus & deteſtamur: ſed & omnium conſanguineorum & amicorum ejus converſationem averſamur, & abhorremus. Imò nequidem imaginem ejus, aut aliquid ad ipſum ſpectans férimus ⁏ ita, dum pœnitens peccatum ſuum non niſi levi, tametſi vera, contritione odit: proponit quidem non amplius peccare. At, cum potenti & animoſa contritione ipſum execratur ⁏ non tantùm ipſum: ſed & omnes ejuſdem affectus, dependentias, conductus, & tendentias ad peccandum deteſtatur. Quo circà, quantùm poſſibile erit ⁏ noſtra nobis eſt, Philothea, augenda contritio & pœnitudo: ut

etiam ad minimas uſque peccati affinitates & conſanguinitates ſeſe extendat. Sic S. Maria Magdalena ſua in converſione ; ita omnem erga peccata, & delectationes quas ex eis aliquando ſenſerat, ſenſum guſtúmque depoſuit : ut nunquam exinde amplius de eo cogitârit. [*De ipſis, intellige, non amplius cogitavit : ut deliberatâ voluntate inde delectaretur. Simplices enim cogitationes non ſemper in rationis poteſtate ſunt.*] Et David ajebat ; ſe non ſolùm peccatum : ſed & omnes ad *iniquitatem vias* & ſemitas *odio habuiſſe*. Atque in hoc nova animæ juventus, quam idem Propheta renovationi aquilæ comparat : conſiſtit.

Ut autem ad hanc, quàm dixi, apprehenſionem & contritionem pertingas ; in ſequentibus te meditationibus ſeriò exerceas oportet : quæ ſi ritè debitéque exerceantur ; non ſolùm peccatum : ſed & primarias quaſque erga ipſum affectiones, concurrente Dei gratiâ, ex animo tuo eradicabunt. Nam ad hunc eas uſum & finem : præcipuè & expreſsè concinnavi. Tu verò eas conſequenter, unam poſt aliam, uti eas aſſignavi, uſurpabis ; ſed unam duntaxat quâlibet die capiendo ; quam manè, ſi fieri poteſt, inſtitues. (Hoc enim tempus eſt ad quaſlibet Spiritûs actiones & exercitia peragenda maximè oportunum :) eámque deinde per reliquum diei tecum ruminabis. Si verò nondum noſti, quâ ratione te meditari oporteat : legito ea quæ in ſecunda operis hujus parte ſcribentur.

[*Hic loquitur piis animabus qui tempus habent in ſuo arbitrio : At Religioſi Regulæ ſuæ directionem debent obſervare. Antequam verò ſequentibus meditationibus animum intendas ; documenta quæ libro de Imitatione Chriſti tibi traduntur ſedulò perpendenda ſunt : quæ multùm conferent ad excitandum & nutriendum in te ſpiritum compunctionis ; efficiéntque ut infirmitates tuas in pœnitentiæ fructus convertas ; eas feras in ſpiritu lenitatis ; & ad Deum amanter confugias : ejúſque gratiæ conſolationem in animam tuam contritam & humiliatam attrahas.*]

De compunctione cordis. Lib. 1. de Imitatione. Cap. 21.

1. SI vis aliquid proficere ; conſerva te in timore Dei, & noli eſſe nimis liber : ſed ſub diſciplina cohibe omnes ſenſus tuos, nec ineptæ tradas te lætitiæ. Da te ad cordis compunctionem : & invenies devotionem. Compunctio multa bona reperit : quæ diſſolutio citò perdere conſuevit. Mirum eſt quòd homo poſſit unquam perfectè in hac vita lætari : qui ſuum exilium, & animæ ſuæ pericula tam multa conſiderat & penſat.

2. Propter levitatem cordis & negligentiam defectuum noſtrorum non ſentimus animæ noſtræ dolores ; ſed ſæpe vanè ridemus quando meritò flere deberemus. Non eſt vera libertas, nec bona lætitia : niſi in timore Dei cum bona conſcientia. Felix qui abjicere poteſt omne

impedimentum diſtractionis: & ad unionem ſe recolligere ſanctæ compunctionis. Felix qui à ſe abdicat quidquid conſcientiam ſuam maculare poteſt, vel gravare. Certa viriliter: conſuetudo conſuetudine vincitur. Si tu ſcis homines dimittere: ipſi benè te dimittent tua facta facere.

3. Non attrahas tibi res aliorum, nec implices cauſis majorum. Habe ſemper oculum ſuper te primùm: & admoneas teipſum ſpecialiter præ omnibus tibi dilectis. Si non habes favorem hominum, noli ex hoc triſtari: ſed hoc ſit tibi grave; quia non habes te ſatis benè ac circumſpectè, ſicut decet Dei ſervum, & devotum religioſum converſari. Utiliùs eſt ſæpe atque ſecuriùs: quòd homo non habeat multas conſolationes in hac vita, ſecundùm carnem præcipuè. Tamen quòd divinas non habemus, aut rariùs ſentimus, nos in culpa ſumus: quia compunctionem cordis non quærimus: nec vanas & externas abjicimus. [*Nota, divinas conſolationes de quibus hîc loquitur: non ſemper animam ſenſibiliter afficere; ſed tantùm rationem firmiorem & validiorem ad bonum operandum efficere.*]

4. Cognoſce te indignum divina conſolatione: ſed magis dignum multa tribulatione. Quando homo eſt perfectè compunctus: tunc gravis & amarus eſt ei totus mundus. Bonus homo ſufficientem invenit materiam dolendi & flendi. Sive enim ſe conſiderat: ſive de proximo penſat: ſcit quia nemo ſine tribulatione hîc vivit. Et quantò ſtrictiùs ſeſe conſiderat: tantò ampliùs dolet. Materiæ juſti doloris & internæ compunctionis ſunt peccata & vitia noſtra: quibus ita involuti jacemus: ut rarò cæleſtia contemplari valeamus. [*Hîc vides quos effectus habitus peccandi producat: de quibus gemendum eſt: & ad pœnitentiam recurrendum.*]

5. Si frequentiùs de morte tua, quàm de longitudine vitæ tuæ cogitares: non dubium quin te ferventiùs emendares. Si etiam futuras inferni, ſive purgatorij pœnas cordialiter perpenderes: credo quòd laborem & dolorem ſuſtineres libentiùs: & nihil rigoris formidares. Sed quia ad cor iſta non tranſeunt: & adhuc blandimenta amamus: ideò frigidi & valdè pigri remanemus.

6. Sæpe eſt inopia ſpiritûs: unde tam leviter conqueritur miſerum corpus. Ora igitur humiliter ad Dominum, ut det tibi compunctionis ſpiritum: & dic cum Propheta: *Ciba me, Domine, pane lacrymarum, & potum da mihi in lacrymis in menſura.* *Pſ. 79. 6.*

De confeſſione propriæ infirmitatis, & hujus vitæ miſeriis. Lib. 3. de Imitat. cap. 20.

1. CONfitebor *adverſum me injuſtitiam meam*: confitebor tibi Domine infirmitatem meam. Sæpe parva res eſt quæ me dejicit & *Pſal. 31. 5.*

contriſtat. Propono me fortiter acturum; ſed cùm modica tentatio advenerit: magna mihi anguſtia fit. Valdè vilis quandoque res eſt unde gravis tentatio provenit. Et dum puto me aliquantulùm tutum, cùm non ſentio: invenio me nunnunquam pænè devictum ex levi flatu.

2. Vide ergo, Domine, humilitatem meam, & fragilitatem tibi undique notam. *Miſerere mei, & eripe me de luto, ut non infigar:* non permaneam dejectus uſquequaque. Hoc eſt quod frequenter me reverberat, & coram te confundit: quòd tam labilis ſum & infirmus ad reſiſtendum paſſionibus. Et ſi non omninò ad conſenſionem; tamen mihi etiam moleſta & gravis eſt earum inſectatio: & tædet valdè ſic quotidiè vivere in lite. Exhinc nota mihi fit infirmitas mea: quia multò faciliùs irruunt abominandæ ſemper phantaſiæ, quàm diſcedant.

Pſ. 25. 11.
Pſ. 68. 15.

3. Utinam fortiſſime Iſraël, zelator animarum fidelium, reſpicias ſervi tui laborem & dolorem: aſſiſtáſque illi in omnibus ad quæcumque perrexerit. Robora me cæleſti fortitudine; ne vetus homo, miſera caro necdum ſpiritui ſubjecta valeat dominari: adverſus quam certare oportebit quamdiù ſpiratur in hac vita miſerrima. Heu qualis eſt hæc vita, ubi non deſunt tribulationes & miſeriæ; ubi plena laqueis & hoſtibus ſunt omnia? Nam una tribulatione, ſeu tentatione recedente, alia repentè accedit; ſed & adhuc priore durante conflictu: aliæ plures ſuperveniunt & inſperatæ.

4. Et quomodò amari poteſt vita habens tantas amaritudines; tot ſubjecta calamitatibus & miſeriis? Quomodò etiam dicitur vita tot generans mortes & peſtes? Et tamen amatur, & in ea delectari à multis quæritur. Reprehenditur frequenter mundus quòd fallax ſit & vanus; nec tamen facilè relinquitur: quia concupiſcentiæ carnis nimiùm dominantur. Sed alia trahunt ad amandum, alia ad contemnendum. Trahunt quidem ad amorem mundi, *deſiderium carnis; deſiderium oculorum, & ſuperbia vitæ:* pœnæ autem ac miſeriæ ſequentes, & odium mundi pariunt & tædium.

1.Ioan.2.16

5. Sed vincit, proh dolor! delectatio prava mentem mundo deditam; *& eſſe ſub ſentibus delicias reputat*: quia Dei ſuavitates, & internam virtutis amœnitatem nec vidit, nec guſtavit. Qui autem mundum perfectè contemnunt, & Deo vivere ſub ſancta diſciplina ſtudent; iſti dulcedinem divinam, veris abrenunciatoribus promiſſam, non ignorant; & quàm graviter mundus errat, varièque fallitur clariùs vident.

Iob. 30. 7.

Quòd

Quòd in Deo ſuper omnia bona & dona requieſcendum eſt. Libro 3. de Imitat. cap. 21.

Discipulus.

1. Super omnia & in omnibus requieſce anima mea in Domino ſemper: quia ipſe eſt Sanctorum æterna requies. Da mihi, dulciſſime & amantiſſime Jesu, in te ſuper omnem creaturam requieſcere: ſuper omnem ſalutem, & pulchritudinem: ſuper omnem gloriam & honorem: ſuper omnem potentiam & dignitatem: ſuper omnem ſcientiam & ſubtilitatem: ſuper omnem lætitiam & exultationem: ſuper omnem famam & laudem: ſuper omnem ſuavitatem & conſolationem: ſuper omnem ſpem & promiſſionem: ſuper omne meritum & deſiderium: ſuper omnia dona & munera, quæ potes dare atque infundere: ſuper omne gaudium & jubilationem, quam poteſt mens capere ac ſentire: denique ſuper Angelos & Archangelos, & ſuper omnem exercitum cæli: ſuper omnia viſibilia & inviſibilia, & ſuper omne quod tu Deus meus non es. [*Sic anima cogitationes ſuas ac deſideria confidenter Deo debet exprimere: Ita tamen ut ſemper ſervet in intimis perfectam reſignationem divino bene placito; ſéque ejus favoribus indignam reputet. Id tibi ubique præſens caput innuit.*]

2. Quia tu Domine Deus meus ſuper omnia bonus es; tu ſolus altiſſimus: tu ſolus potentiſſimus: tu ſolus ſufficientiſſimus & pleniſſimus: tu ſolus ſuaviſſimus & ſolatioſiſſimus: tu ſolus pulcherrimus & amantiſſimus: tu ſolus nobiliſſimus & glorioſiſſimus ſuper omnia: in quo cuncta bona ſimul perfectè ſunt, fuerunt, & ſemper erunt: atque ideò minus eſt & inſufficiens quidquid præter teipſum mihi donas, aut de teipſo revelas, vel promittis, te non viſo, nec plenè adepto. Quoniam quidem non poteſt cor meum veraciter requieſcere, nec totaliter contentari: niſi in te requieſcat, omniáque dona, omnémque creaturam tranſcendat.

3. O mi dilectiſſime Sponſe Jesu Christe, amator puriſſime, dominator univerſæ creaturæ: quis mihi det pennas veræ libertatis ad volandum, & pauſaudum in te? O quando ad plenum dabitur vacare mihi, & videre quàm ſuavis es Domine Deus meus? Quando ad plenum me recolligam in te: ut præ amore tuo non ſentiam me, ſed te ſolum ſupra omnem ſenſum & modum, in modo non omnibus noto? Nunc autem frequenter gemo: & infelicitatem meam cum dolore porto. Quia multa mala in hac valle miſeriarum occurrunt, quæ me ſæpiùs conturbant, contriſtant & obnubilant; ſæpiùs impediunt & diſtrahunt, alliciunt & implicant: ne liberum habeam acceſſum ad te; & ne jucundis fruar amplexibus præſtò beatis ſemper ſpiritibus. Moveat te

ſuſpirium meum & deſolatio multiplex in terra.

4. O Jesu ſplendor æternæ gloriæ ⁊ ſolamen peregrinantis animæ: apud te eſt os meum ſine voce, & ſilentium meum loquitur tibi. Uſquequò tardat venire Dominus meus? Veniat ad me pauperculum ſuum & lætum faciat. Mittat manum ſuam, & miſerum eripiat de omni anguſtia. Veni, veni, quia ſine te nulla erit læta dies aut hora: quia tu lætitia mea, & ſine te vacua eſt menſa mea. Miſer ſum, & quodammodò incarceratus & compedibus gravatus ⁊ donec luce præſentiæ tuæ me reficias: ac libertati dones, vultúmque amabilem demonſtres. [*Hanc libertatem intellige de facilitate ad bonum operandum; abſque tot moleſtis & importunis naturæ contradictionibus.*]

5. Quærant alij pro te aliud quodcumque libuerit ⁊ mihi aliud interim nihil placet, nec placebit: niſi tu Deus meus, ſpes mea, ſalus æterna. Non reticebo, nec deprecari ceſſabo, donec gratia tua revertatur, mihíque tu intùs loquaris. [*Nota ⁊ hæc eſſe intelligenda de gratia: quæ ſenſibiliter per reditum ſuum animam afficit.*]

SALVATOR.

6. Ecce adſum ⁊ Ecce ego ad te, quia invocaſti me: lacrymæ tuæ & & deſiderium animæ tuæ, humiliatio tua, & contritio cordis tui inclinaverunt me, & adduxerunt ad te.

DISCIPULUS.

Et dixi ⁊ Domine invocavi te, & deſideravi frui te: paratus omnia reſpuere propter te. Tu enim prior excitaſti me ut quærerem te. [*Anima quam gratia viſitavit ac ſenſibiliter penetravit ⁊ omnia quæ hic expreſſa habes ſic penitus intelligit: ac ſi ea manibus contrectaret. Verum, ſtatim ac ſubtracta illa gratia ſibimet relinquitur: tantæ ſuavitati illicò labor ſuccedit.*] Sis ergo benedictus, Domine, qui feciſti hanc bonitatem cum ſervo tuo: ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ.

7. Quid habet ultrà dicere, Domine, ſervus tuus coram te, niſi ut humiliet ſe valdè ante te, memor ſemper propriæ vilitatis & iniquitatis? Non enim eſt ſimilis tui in cunctis mirabilibus cæli & terræ. Sunt opera tua bona valdè ⁊ judicia tua vera: & providentiâ tuâ reguntur univerſa. Laus ergò tibi & gloria, ô Patris ſapientia: te laudet & benedicat os meum, anima mea, & cuncta creata ſimul.

LECTIO SEPTIMA.

De creatione noſtra : & ad quid creati ſumus. De altioribus rebus & occultis Dei judiciis non ſcrutandis : & quod omnis ſpes & fiducia in ſolo Deo eſt figenda.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Quod notum eſt Dei; manifeſtum eſt in illis. Deus enim manifeſtavit illis. Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi : per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas. Ita ut ſint inexcuſabiles. Epiſt. ad Rom. cap. 1. v. 19.

Expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat : vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens; ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis; in libertatem filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhùc. Epiſt. ad Rom. cap. 8. v. 19.

Deum qui te genuit dereliquiſti; & oblitus es Domini *Creatoris tui. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt : quia provocaverunt eum filij ſui, & filiæ.* Deut. cap. 32. v. 18.

O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei : quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus; & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia : ipſi gloria in ſæcula. Amen. Epiſt. ad Rom. cap. 11. v. 33.

Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos : non plus ſapere, quam oportet ſapere : ſed ſapere ad ſobrietatem : & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei. Epiſt ad Rom. cap. 12 v. 3.

Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus in teſtimonium eorum quæ dicenda erant : Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua : quæ domus ſumus nos; ſi fiduciam, & gloriam ſpei uſque ad finem, firmam retineamus. Epiſt. ad Hæbreos. Cap. 3. v. 5.

Ex ſupradictis conſtat : 1. Univerſas creaturas convictorium ferre teſtimonium contra eum: qui Deo tanquam ſupremo omnium rerum authori debitam reverentiam obſequiúmque non exhibet. 2. Eum qui abutitur creaturis contra finem à Deo intentum; illis violentiam damnabilem inferre. 3. Oblivionem Dei in quam incidiſti : majorem erubeſcentiæ & confuſionis tibi cauſam eſſe; quàm ſi vel ipſius patris fuiſſes oblitus. 4. Spiritum noſtrum ſemper eſſe humiliandum & comprimendum : ne arcana Dei conſilia inveſtigare attentet; aut de proprio ſenſu

præſumat. 5, Omnia denique a Chriſto, veluti paternæ Domus Domino expectanda eſſe; qui univerſa tibi neceſſaria abundè ſubminiſtrabit: ſi fiduciam ac ſpem omnem in illo colloces. Quid ea de re Magiſtri tui ſentiant diligenter attende.

Ex Introductione Libro 1. cap. 9.

Meditatio prima de creatione.

I. Colloca te in Dei præſentia.

II. Illum ora, ut tibi inſpiret cogitanda.

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

PRimò conſidera, non niſi tot annos effluxiſſe, ex quo in mundo eſſe cœpiſti; & ante quos in eo non eras: & eſſe tuum, merum fuiſſe nihil. Ubinam eramus anima mea, ante illud tempus? Tanto jam tempore mundus duraverat & ſteterat; nullàque prorſus adhuc noſtri erat mentio.

Secundò, Deus ex hoc nihilo prodire te fecit, & eduxit; ut tibi daret id quod es; non quod te opus haberet, ſed duntaxat è ſola ſua miſericordia & bonitate.

Tertiò, conſidera Eſſe, quod Deus tibi dedit; eſt enim id primum Eſſe mundi viſibilis: & vitæ ſempiternæ, perfectæque cum divina Majeſtate unionis capax. [*Meditationes iſtæ breves quidem ſunt: & nihil niſi vulgare habere videntur; ſed ea omnia ſubſtantialiter complectuntur: quæ poſſunt nos efficaciùs ad cognitationem Dei & noſtram ducere & promovere.*]

AFFECTUS ET PROPOSITA.

Primò humilia te profundè coram Deo, & dic cum Vate Regio; EGO VELUT NIHILUM ANTE TE DOMINE; & quomodo recordatus es mei, ut me creâris? Eras, ô anima mea, in antiquum illud nihil abſorpta, & etiamnùm abſorpta eſſes: niſi Deus indè te eduxiſſet. Et quid quæſo, in illo nihilo ageres? [*Ex his actibus ediſce, ſimiles coram Deo formare: cum magna animi ſimplicitate & ingenuitate*]

Secundò, age Deo gratias, dicens; ô quantùm tibi, ô magne & benefice Creator, debeo, quòd me in nihilo meo quærere dignatus ſis: ut me per miſericordiam tuam faceres eam quæ modo ſum. Quid, quæſo, unquam faciam, ut dignè & prout oportet nomini tuo magno benedicam; & immenſæ bonitati tuæ æquivalentes gratias agam?

Tertiò confunde te. Sed, eheu, Creator mi, adeò me tibi per amorem & obſequium non univi; ut per inordinatos & effrænes appetitus & effectus malos planè me tibi rebellem oſtenderim: à te recedens &

me ſubducens, quò peccato adhærerem ⁏ non magis bonitatem tuam honorans & reverens; quam ſi Creator meus non extitiſſes.

Quartò, dejice te coram Deo. Nôris, ô anima mea, Dominum tuum, eſſe Deum ⁏ ipſe fecit te, non tu teipſam; opus manuum tuarum ſum Domine.

Quamobrem nolo poſthàc ampliùs in memetipſa mihi complacere; utpote quæ à parte mea nihil ſum. Quid ſuperbis pulvis & cinis? imò verò merum nihil, quid te exaltas? Utque me humiliem, hoc & hoc facere volo ⁏ tales & tales contumelias, vilipendia, vituperia tolerare ⁏ vitam mutare, Creatorem meum poſthàc ſequi & illi adhærere ⁏ méque ob id Eſſe quòd mihi dedit, felicem & honoratam reputare ⁏ ipſum ad voluntati ejus totaliter obſequendum impendens ⁏ idque per media quæ mihi ſuggerentur; & quæ à Patre meo ſpirituali ſciſcitabor.

CONCLUSIO.

Primò, gratias age Deo. Benedic anima mea Dominum; & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus. Ejus namque bonitas è nihilo me eduxit, & miſericordia ejus creavit me.

Secundò, offer. Offero tibi, Deus meus, ex toto corde meo id Eſſe quod antè mihi dediſti, ipſúmque tibi dedico & conſecro.

Tertiò, ora. Corrobora & conforta me, Deus meus, in hiſce affectibus & propoſitis meis ⁏ tu eos, ô ſanctiſſima Virgo filij tui miſericordiæ commenda: uti & omnes illos pro quibus orare teneor, &c. *Pater noſter, Ave Maria.*

Oratione abſolutâ, paululum obambulando ⁏ parvulum devotionis faſciculum è conſiderationibus quas perpendiſti, tibi colligito; quem deinde toto diei tempore olfacias, & naribus velut admoveas.

Iſtis attentè conſideratis peſpicuum erit tibi ⁏ quàm iniquè contra Deum egeris; cùm hoc ipſo eſſe, quòd tibi donavit, ad illum offendendum abuſus es. Hoc Dei beneficium ingratitudini tuæ comparatum ⁏ doloris & amoris incitamenta tibi ſuppeditare debet, unde contritio enaſcatur; ad quam Sanctus Præſul, hácce meditatione & ſequentibus te excitare intendit.

Ex Introductione Libro 1. *cap.* 10.

Meditatio ſecunda de fine ob quem conditi ſumus.

I. In Dei conſpectu te conſtitue.

II. Eum precare, ut tibi cogitanda inſpiret.

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

PRimò, non ideò te Deus hoc in mundo conſtituit, quòd in aliquo te opus haberet ⁏ quæ ei prorsùs inutilis es; ſed tantùm ut ſuam

in te bonitatem exerceret, ſuam tibi gratiam & gloriam tribuendo. Idcircò tibi dedit intellectum, ad eum cognoſcendum; memoriam, ut per hanc illius recordareris: voluntatem, ad eum amandum; imaginationem, ut hujus ope & adminiculo, illius tibi beneficia repræſentares; oculos, ad operum illius mirabilia contemplanda; linguam, ad eum laudandum: ac ſic de reliquis facultatibus.

Secundò, cùm hac de cauſa creata, & in hoc mundo collocata ſis: omnes quæ huic directè cotrariantur, actiones rejiciendæ tibi ſunt & evitandæ; quæque ad finem hunc aſſequendum nihil omninò conducunt: ceu vanæ & ſuperfluæ, contemnendæ.

Tertiò, conſidera mundi hujus & mundanorum miſeriam ac cæcitatem; utpotè qui de hoc ne cogitant quidem: verùm ita vivunt; perindè ac ſi crederent, non ad aliud ſe conditos eſſe: quàm ad domos conſtruendas, arbores plantandas, divitias coacervandas, & nugas agendas.

AFFECTVS ET PROPOSITA.

Primò, confunde te, animæ tuæ miſeriam & cæcitatem exprobrandò; utpote quæ tanta antehàc fuit: ut de his omnibus raro, aut fortaſsè nunquam cogitàrit. Ah, (inquies) quid cogitabam, Deus meus, cùm de te non cogitabam? cujus rei recordabar, cùm tui obliviſcebar? quid, quæſo amabam, cùm te non amabam? ipſa veritate, eheu! refici & paſci debebam; & merâ me implebam vanitate, mundóque ſerviebam: qui tamen ad mihi ſerviendum factus eſt.

Secundò, vitam tranſactam deteſtare. Renuntio vobis, ô vanæ & inutiles cogitationes; abrenuntio vobis deteſtabiles & frivolæ recordationes; repudio vos amicitiæ infidæ & perfidæ; obſequia amiſſa & infelicia, gratificationes ingratæ: & complacentiæ diſplicentes & moleſtæ.

Tertiò, converte te ad Deum. Tu verò, ô Deus & ſervator meus, poſthàc unicum cogitationum mearum objectum eris; & nunquam ullis cogitationibus quæ tibi diſpliceant, animum meum ſinam intendere: & memoria mea, quoad vivam, nihil niſi bonitatis tuæ tam benignè erga me exercitæ magnitudinem pervolvet. Tu eris unicæ cordis mei deliciæ: & affectuum meorum dulcedo. [*Hæc de anima firmo propoſito ac rationis intimo: ſunt intelligenda.*]

Itaque tales ac tales nugæ, & inaniæ quibus me applicabam; talia & talia vana exercitia, quibus me integros dies impendebam; tales & tales affectus, qui animum & cor meum prorsùs ad ſe rapiebant, poſthàc mihi horrori erunt: atque hunc ad finem his & illis remediis utar. [*Quæ hic pro ſecularibus dicta ſunt: à Religioſo applicari poſſunt vanis quarumdam affectionum nugis quæ illum attrahunt & alliciunt.*]

CONCLVSIO.

Primò, Deo gratias age, qui ad tam excellentem finem te creavit,

Feciſti me Domine propter te, ut gloriæ tuæ immenſitate æternùm fruar ; quando verò eâdem digna ero ; & quando te prout oportet, & officium meum exigit, benedicam?

Secundò, offer. Offero tibi amantiſſime Creator meus, omnes hoſce affectus & propoſita : ídque ex tota anima mea, & ex toto corde meo.

Tertiò, roga. Rogo te, Domine, ut ſuſpiria & vota mea tibi placeant ; ſanctámque benedictionem tuam animæ meæ impertias : ut hæc eadem adimplere poſſit, ídque per ſanguinis filij tui in cruce effuſi meritum, &c. *Pater noſter, Ave Maria.*

Concinna faſciculum devotionis; ut ſuprà.

Propoſitis tibi in prima hujus Lectionis parte, amoris ac doloris incitamentis ; In poſteriori documenta ſuggerimus quæ optimè conveniunt; quibus intellectus ad rectè diſcernendum, ac voluntas in formandis propoſitis dirigantur ; & quæ menti tuæ altiùs imprimant : quid de Deo ſentire debeas. Doctoris ergò tui ſenſum : corde percipe.

De altioribus rebus & occultis judiciis Dei non ſcrutandis. Libro 3. cap. 58. de Imit.

1. Filli caveas diſputare de altis materiis, & de occultis Dei judiciis: cur iſte ſic relinquitur, & ille ad tantam gratiam aſſumitur. Cur etiam iſte tantum affligitur; & ille tam eximiè exaltatur. [*Ejuſmodi derelictio ; nunquam totaliter in præſenti vita contingit : ut variis aliis locis idem Magiſter tuus ſatis exprimet. Nec fit niſi ex juſtis cauſis, quas præbuerit qui ſic relinquitur : de quibus ratiocinari nobis non licet ; ſed omninò credendum eſt tanquam certiſſimum : id accidere tantùm ex præcedenti abuſu gratiarum Dei.*] Iſta omnem humanam facultatem excedunt; nec ad inveſtigandum divinum judicium ulla ratio prævalet vel diſputatio. Quando ergò hæc ſuggerit inimicus ; vel quidam curioſi inquirunt homines; reſponde illud Prophetæ, *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et illud ; *Judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.* Judicia mea metuenda ſunt, non diſcutienda; quia humano intellectui ſunt incomprehenſibilia. Pſalm. 118. 137. Pſ. 18. 10.

2. Noli etiam inquirere, nec diſputare de meritis Sanctorum, quis alio ſit ſanctior ; aut quis major fuerit in Regno Cælorum? Talia generant ſæpe lites, & contentiones inutiles ; nutriunt quoque ſuperbiam & vanam gloriam : unde oriuntur invidiæ & diſſentiones, dum iſte iſtum ſanctum, & alius alium conatur ſuperbè præferre. Talia autem velle ſcire ac inveſtigare, nullum fructum affert, ſed magis diſplicet Sanctis ; quia *non ſum Deus diſſenſionis, ſed pacis* ; quæ pax magis in humilitate vera, quàm in propria exaltatione conſiſtit. 1. Cor. 14. 33.

3. Quidam zelo devotionis trahuntur ad hos vel ad illos ampliori

affectu; ſed humano potiùs quam divino. Ego ſum qui cunctos condidi Sanctos; ego donavi gratiam; ego præſtiti gloriam. Ego novi
Pſ. 4. 20. ſingulorum merita: *Ego præveni eos in benedictionibus dulcedinis meæ.* Ego præſcivi dilectos ante ſæcula; ego eos elegi de mundo, non ipſi præelegerunt. Ego vocavi per gratiam; attraxi per miſericordiam; ego perduxi eos per tentationes varias. Ego infudi conſolationes magnificas; ego dedi perſeverantiam; ego coronavi eorum patientiam.

4. Ego primum & noviſſimum agnoſco; ego omnes inæſtimabili dilectione amplector. Ego laudandus ſum in omnibus Sanctis meis; ego ſuper omnia benedicendus ſum & honorandus in ſingulis: quos ſic glorioſè magnificavi, & prædeſtinavi ſine ullis præcedentibus meritis propriis. Qui ergò unum de minimis meis contempſerit, nec magnum honorat; quia puſillum, & magnum ego feci. Et qui derogat alicui Sanctorum; derogat & mihi & cæteris omnibus in Regno cælorum. Omnes enim unum ſunt per charitatis vinculum; idem ſentiunt, idem volunt; & omnes in unum ſe diligunt.

5. Adhuc autem (quod multò altius eſt:) plus me, quàm ſe ſuáque merita diligunt. Nam ſupra ſe rapti, & extra propriam dilectionem tracti; toti in amorem meum pergunt: in quo & fruitivè quieſcunt. Nihil eſt quod eos avertere poſſit, aut deprimere; quippe qui æternâ veritate pleni: igne ardeſcunt inextinguibilis charitatis. Taceant igitur carnales & animales homines de Sanctorum ſtatu diſſerere: qui non nôrunt niſi privata gaudia diligere. Demunt & addunt pro ſua inclinatione: non prout placet æternæ Veritati.

6. In multis eſt ignorantia; maximè qui parùm illuminati: raro aliquem perfecta dilectione ſpirituali diligere nôrunt. Multùm adhuc naturali affectu, & humanâ amicitiâ ad hos vel ad illos trahuntur; & ſicut in inferioribus ſe habent: ita de cæleſtibus imaginantur. Sed eſt diſtantia incomparabilis eorum, quæ imperfecti cogitant: & quæ illuminati per revelationem ſupernam ſpeculantur. [*Hanc revelationem intellige de gratiæ divinæ illuſtrationibus; per quas purioribus & purgatis animabus veritas detegitur: & in earum mentibus ſeſe quodammodò imprimit.*]

7. Cave ergo, fili, de iſtis curioſè tractare, quæ tuam ſcientiam excedunt; ſed hoc magis ſatage & intende: ut vel minimus in Regno Dei queas inveniri. Et ſi quiſpiam ſciret, quis alio eſſet ſanctior, vel major haberetur in Regno cælorum; quid hæc ei notitia prodeſſet, niſi ſe ampliùs ex hac cognitione humiliaret coram me, atque in majorem mei nominis laudem exurgeret? multò acceptiùs Deo facit, qui de peccatorum ſuorum magnitudine, ac virtutum ſuarum parvitate; quámque longe diſtat à perfectione Sanctorum cogitat: quàm is, qui de majoritate illorum diſputat vel parvitate. Meliùs eſt Sanctos devotis precibus & lacrymis exorare; ipſorúmque glorioſa humili mente

imploras

implorate ſuffragia; quàm ſecreta eorum vanâ inquiſitione perſcrutari. [*Hæc aliis periculoſis animi curioſitatibus applicanda ſunt; ut cùm, videlicet de prædeſtinationis myſterio, vult ratiocinari.*]

8. Illi benè atque optimè contentarentur; ſi homines ſcirent contentari, & vaniloquia ſua compeſcere. Non gloriantur de propriis meritis ↿ quippe qui ſibi nihil bonitatis, ſed totum mihi adſcribant: quoniam ipſis cuncta ex infinita charitate mea donavi. Tanto amore divinitatis & gaudio ſuperfluenti replentur: ut nihil eis deſit gloriæ, nihilque deeſſe poſſit felicitatis. Omnes Sancti quantò altiores in gloria, tantò humiliores in ſeipſis: mihique viciniores, & dilectiores exiſtunt. Ideóque habes ſcriptum, quia *mittebant coronas ſuas ante Deum. Et ceciderunt in facies ſuas coram Agno; & adoraverunt Viventem in ſæcula ſæculorum.* Apoc.4.10. 5.14.

9. Multi quærunt, *quis major ſit in Regno cælorum*; qui ignorant, an Matt.18.1.
cum minimis erunt digni computari. Magnum eſt vel minimum eſſe in cælo, ubi omnes magni ſunt: quia omnes filij Dei vocabuntur, & erunt. *Minimus erit in mille; & peccator centum annorum morietur.* Cùm Iſa.60. 22. & 65.20.
enim quærerent Diſcipuli ↿ *Quis major eſſet in Regno cælorum?* Tale audierunt reſponſum. *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli: non intrabitis in Regnum cælorum. Quicumque ergò ſe humiliaverit ſicut parvulus iſte; hic eſt major in Regno cælorum.* Matt.18.1. Matt.18.3. & 4.

10. Væ eis, qui cum parvulis humiliare ſe ſponte dedignantur: quoniam humilis janua cæleſtis Regni eos non admittet intrare. *Væ etiam divitibus qui habent hîc conſolationes ſuas:* qui pauperibus intrantibus in Regnum cælorum, ipſi ſtabunt foris ejulantes. *Gaudete humiles, & exultate pauperes ↿ quia veſtrum eſt Regnum Dei; ſi tamen in veritate ambulatis.* Luc. 6.24. Matt. 5. 3. Luc.6. 20. 3.Reg.2. 4.

Quod omnis ſpes & fiducia in ſolo Deo figenda eſt. Lib. 3. de Imitatione cap. 59.

1. DOmine quæ eſt fiducia mea quam in hac vita habeo: aut quod majus ſolatium meum ex omnibus apparentibus ſub cælo? Nonne tu, Domine Deus meus, *cujus miſericordia non eſt numerus*? Ubi mihi Pſ. 24. 6. 145. 5.
benè fuit ſine te? Aut quando malè eſſe potuit præſente te? Malo pauper eſſe propter te: quàm dives ſine te. Eligo potiùs in terra tecum peregrinari: quàm ſine te cælum poſſidere. Ubi tu, ibi cælum: atque ibi mors & infernus, ubi tu non es. Tu mihi in deſiderio es: & ideò poſt te gemere, & clamare, & exorare neceſſe eſt. In nullo denique poſſum confidere plenè, qui in neceſſitatibus auxilietur opportunis: niſi in te ſolo Deo meo. Tu es ſpes mea, & fiducia mea ↿ tu conſolator meus; & fideliſſimus in omnibus adjutor.

Phil. 2. 21. 2. *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt*: tu ſalutem meam & profectum meum ſolummodò prætendis: & omnia in bonum mihi convertis. Etiam ſi variis tentationibus & adverſitatibus exponas: hoc totum ad utilitatem meam ordinas: qui mille modis dilectos tuos probare conſueviſti. In qua probatione non minùs diligi debes & laudari; quàm ſi cæleſtibus conſolationibus me repleres.

3. In te ergò, Domine Deus meus, pono totam ſpem meam & refugium: omnem tribulationem & anguſtiam meam conſtituo: quia totum infirmum & inſtabile invenio, quidquid extra te conſpicio. Non enim proderunt multi amici: neque fortes auxiliarij adjuvare poterunt: neque prudentes conſiliarij reſponſum utile dare: neque libri Doctorum conſolari: nec aliqua pretioſa ſubſtantia liberare: nec locus aliquis ſecretus contutari: ſi tu ipſe non aſſiſtas, juves, confortes, conſoleris, inſtruas & cuſtodias. [*Hæc animo altiùs infigenda ſunt; & in praxim perpetuò aſſumenda.*]

4. Omnia namque, quæ ad pacem videntur eſſe & felicitatem habendam, te abſente nihil ſunt: nihilque felicitatis in veritate conferunt. Finis ergò omnium bonorum, & altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tu es: & in te ſuper omnia ſperare fortiſſimum eſt ſolatium ſervorum Dei. *Ad te ſunt oculi mei*; *in te confido*, Deus meus, miſericordiarum Pater. Benedic, & ſanctifica animam meam benedictione cæleſti: ut fiat habitatio tua ſancta, & ſedes æternæ gloriæ tuæ: nihilque in templo tuæ divinitatis inveniatur, quod oculos tuæ Majeſtatis offendat. *Secundùm magnitudinem bonitatis tuæ, & multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me*: & exaudi orationem pauperis ſervi tui, longè exulantis in regione umbræ mortis. Protege & conſerva animam ſervuli tui inter tot diſcrimina vitæ corruptibilis: ac comitante gratia tua dirige per viam pacis ad patriam perpetuæ claritatis. Amen.

Pſ. 140. 8. Pſ. 24. 1. Pſ. 68. 17.

LECTIO OCTTAVA.

De Beneficiis Dei, & recordatione eorum ſemper habenda. De peccatis contra eum commiſſis: & quòd homo non debeat ſe reputare conſolatione dignum: ſed verberibus reum.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo antè mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per

Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ: in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis, in omni ſapientia & prudentia: ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum ejus quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo: in quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum Conſilium voluntatis ſuæ: ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui antè ſperavimus, in Chriſto. Epiſt. ad Epheſ. cap. 1. verſ. 1. [*Hîc obiter annotandum eſt, Apoſtolum, cùm de prædeſtinatis & prædeſtinatione loquitur, non ſemper id intelligere de prædeſtinatione ad gloriam; ſed ſæpius de prædeſtinatione ad fidem. Hîc enim & alibi de ea veluti de re certa & evidenti loquitur; quod non niſi de prædeſtinatione ad fidem dici poteſt. Videmus hominem Chriſtianum, & certò poſſumus dicere eum prædeſtinatum eſſe ut ſit Chriſtianus: ſed non idem eſt de prædeſtinatione ad gloriam. Id ſoli Deo notum eſt; nec ipſe Apoſtolus ſciebat an eſſet de numero prædeſtinatorum cum diceret, caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne cum aliis prædicaverim ipſe reprobus efficiar.*]

Reſpondens autem Ieſus, dixit: nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt? Luc. cap. 17. verſ. 17.

Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos; & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, (cujus gratia eſtis ſalvati:) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu. Epiſt. ad Epheſ. cap. 2. v. 4.

Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſi ſunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Matt. cap. 23. v. 27.

De propitiato peccato nolli eſſe ſine metu: neque adjicias peccatum ſuper peccatum. Et ne dicas: miſeratio Domini magna eſt: multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant: & in peccatores reſpicit ira illius. Eccleſiaſt. cap. 5. v. 5.

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt: per exhortationem quâ exhortamur & ipſi à Deo. Epiſt. ad Cor. 2. cap. 1. v. 3.

Ex his Sacræ Scripturæ verbis collige. 1. Collata tibi à Deo beneficia ſuperare quicquid ſperare poſſes, nec niſi ex charitatis ejus immenſitate: poſſe procedere. 2. Ingratitudinis vitium tantum eſſe, ut vel ipſum Chriſtum ſtupore affecerit; & ad illud exprobrandum compulerit. 3. Bonitatem tamen ipſius: ingratitudine noſtrâ ſemper majorem eſſe. 4. Lamentationem illam quam ſuper Jeruſalem protulit tibi indicare, quòd ex Divinarum inſpirationum contemptu ac gratiarum

abuſu: parem gemendi occaſionem ei frequenter dedetis. 5. Te ſemper in filiali timore perſiſtere debere de peccatis præteritis; & exorta inde mala & damna quàm maximâ fidelitate compenſate. 6. Ac deinique ex conſolationibus divinis quas recipies & ſenties; potiùs in admirationem Divinæ bonitatis & in tuiipſius majorem contemptum adduci debere: quam inde aliquam tui opinionem concipere. Doctorum tuorum documentis ea de re ſtudioſè attende.

Ex Introductione. Cap. 11. ubi agitur de Divinis beneficiis.

Meditatio tertia.

I. Deo te præſentem ſiſte.

II. Eum roga ut tibi cogitanda inſpiret.

CONSIDERATIONES ET PVNCTA.

PRimò, conſidera dona & beneficia corporalia, quæ Deus tibi dedit; quale nimirùm corpus, qualia ad ipſum ſuſtentandum media & commoditates: qualem ſanitatem, quales conſolationes ei licitas, quales amicos, qualia ſubſidia. Sed dum hæc conſideras; conſidera ſimul tam multos alios, qui plures & digniores quàm tu ſunt: & tamen hiſce beneficiis deſtituuntur: horum namque alij corpus habent mancum; alij valetudinem infirmam, alij membra luxata & fracta; alij opprobriis, contemptui hominum & ignominiæ expoſiti ſunt; alij paupertate premuntur: te autem Deus adeò miſerum & abjectum eſſe noluit.

Secundò, perpende dona animi tui; & quàm multi in mundo ſint ſtupidi, furioſi & inſani; cur autem tu de horum numero non es? quia Deus tibi benefacere voluit. Quàm multi item ſunt, qui inter agreſtes & ſumma in rerum inſcitia ſunt educati; divina autem benignitas & providentia diſpoſuit; ut tu civiliter & honeſtè educareris.

Tertiò, perpende tecum Philothea, beneficia ſpiritualia. Es namque de numero filiarum Eccleſiæ; jam inde à pueritia ſui notitiam Deus tibi tradidit; quoties te Sacramentorum ſuorum fecit participem? quoties tibi inſpirationes bonas & illuſtrationes internas dedit? quoties quò vitam emendares, te coarguit ac reprehendit? quoties tua peccata tibi condonavit? quoties è præſentiſſimo pereundi, in quod te conjeceras, periculo te eduxit? & omnibus illis annis tranſactis; an non vel aliquod otium & commoditatem habuiſti, ad proficiendum in animæ tuæ bonis? Vide ergò ſigillatim & enucleatè, quàm tibi Deus benignus, & beneficus fuerit.

AFFECTVS ET PROPOSITA.

Primò, Dei bonitatem admirare. Quàm Deus erga me bonus eſt!

quàm munificus: quàm cor tuum, Domine, dives eſt in miſericordia, & in benignitate liberale. Narremus in æternum, anima mea; quanta is nobis beneficia contulerit & fecerit.

Secundò, tuam admirare ingratitudinem. At quid ego ſum, Domine, ut tu mei memoriam habeas? Ah, quanta mea indignitas; Beneficia tua pedibus quodammodo proculcavi, gratias tuas inhonoravi: iis ad ſupremæ tuæ bonitatis abuſum & contemptum uſa ſum. [*Abuſum gratiarum Dei ſemper conſidera: velut omnium malorum radicem.*] Et ingratitudinis meæ abyſſum: abyſſo gratiæ & favoris tui ex adverſo objeci.

Tertiò, excita te ad gratitudinem. Eia ergò, cor meum, magno huic benefactori tuo noli eſſe infidele: ingratum, & perfidum. Quid? Nonne ex hoc momento Deo ſubjecta erit anima mea; qui in me tot mirabilia & beneficia eſt operatus?

Quartò, corpus itaque tuum, Philothea, ab his & illis voluptatibus ſequeſtra; & Dei è contra obſequio illud mancipa: utpote qui tanta illius cauſa præſtitit. Animam verò tuam ad illum cognoſcendum & agnoſcendum applica; idque per talia & talia exercitia: quæ ad hoc requiruntur. [*Quæ de ſæcularibus hîc dicuntur; à Religioſis ad regularem obſervantiam ſunt applicanda.*] Et quæ ſunt in Eccleſia ad tui ſalvationem, & Deum amandum media inſtituta; ſtudioſè & diligenter uſurpa. Hinc orationem frequentabo, & ſancta Sacramenta; ſanctum Dei verbum audiam: inſpirationes & conſilia divina uſurpabo.

CONCLUSIO.

Primò gratias age Deo; quòd tibi jam eorum quæ illi præſtare teneris: nec non omnium beneficiorum ante receptorum, notitiam dederit.

Secundò, offer illi cor cum omnibus propoſitis tuis.

Tertiò, precare ut robur tibi det, ad eadem fideliter practitanda: idque per meritum mortis filij ejus. Præterea B. Virginis, & omnium Sanctorum patrocinium implora. *Pater noſter, Ave Maria.*

Collige faſcilulum ſpiritualem, ut ſuprà.

Auſculta attentiùs alterius Magiſtri ſequentia documenta; quibus diſponet te ad beneficia Dei ſublimiori adhuc modo recognoſcenda; & ad ea ſubtiliùs diſcernenda.

De recordatione multiplicium beneficiorum Dei. Libro 3. de Imitatione, cap. 22.

1. APERI *Domine cor meum in lege tua; & in præceptis tuis doce me ambulare.* Da mihi intelligere voluntatem tuam; & cum magna 2. *Mach.* 1.
reverentia ac diligenti conſideratione beneficia tua, tam in generali 4.
quàm in ſpeciali memorari: ut dignè tibi exhinc valeam gratias referre;

Verùm ſcio, & confiteor nec pro minimo puncto: me poſſe debitas gratiarum laudes perſolvere. Minor ego ſum omnibus bonis mihi præſtitis ˥ & cùm tuam nobilitatem attendo; deficit præ magnitudine illius ſpiritus meus.

2. Omnia quæ in anima & in corpore habemus ˥ & quæcumque exteriùs vel interiùs, naturaliter vel ſupernaturaliter poſſidemus: tua ſunt beneficia ˥ & te beneficum, pium, ac bonum commendant; à quo bona cuncta accepimus. Et ſi alius accipit plura, alius pauciora ˥ omnia tamen tua ſunt; & ſine te nec minimum haberi poteſt. Ille qui majora accepit, non poteſt ſuo merito gloriari ˥ neque ſuper alios extolli, nec inſultare minori: quia ille major & melior qui ſibi minùs adſcribit, & in regratiando humilior eſt atque devotior. [*Nota humilitatem præferri ſublimioribus donis.*] Et qui omnibus ſe viliorem exiſtimat ˥ & judicat indigniorem; aptior eſt ad percipiendum majora.

3. Qui autem pauciora accepit, contriſtari non debet: nec indignanter ferre, neque invidere ditiori. [*Id intelligendum de his quæ exteriùs apparent & refulgent: nam quod internum eſt, ſoli Deo notum eſt.*] Sed te potiùs attendere, & tuam bonitatem maximè laudare: quòd tam ſufficienter & affluenter, tam gratis, & libenter, ſine perſonarum acceptione tua munera largiaris. Omnia ex te; & ideò in omnibus es laudandus. Tu ſcis quid unicuique donari expediat ˥ & cur iſte minùs, & ille ampliùs habeat, non noſtrum, ſed tuum eſt hoc diſcernere; apud quem ſingulorum definita ſunt merita.

4. Unde, Domine Deus, pro magno etiam reputo beneficio non multa habere: unde exteriùs & ſecundùm homines laus appareat & gloria. [*Nota quod hìc dicitur ˥ & diſce exercitium gaudendi de ſuo ſtatu, quòd deſtitutus ſit illis magnis dotibus: præcellere omnibus quæ homines in noſtri admirationem adducerent.*] Ita ut quis, conſideratâ paupertate ac vilitate perſonæ ſuæ, non modò nullam gravitatem, aut triſtitiam vel dejectionem indè concipiat ˥ ſed potiùs conſolationem & hilaritatem magnam: quia tu Deus pauperes, & humiles, atque huic mundo deſpectos tibi elegiſti in familiares & domeſticos. Teſtes ſunt ipſi Apoſtoli tui, quos principes conſtituiſti ſuper omnem terram. Et fuerunt tamen ſine querela converſati in mundo, tam humiles & ſimplices, ſine omni malitia & dolo ˥ ut etiam pati contumelias pro nomine tuo gauderent: & quæ mundus abhorret, ipſi amplecterentur affectu magno.

5. Nihil ergò amatorem tuum, & cognitorem beneficiorum tuorum ita lætificare debet, ſicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ diſpoſitionis tuæ ˥ de qua tantùm contentari debet & conſolari: ut ita libenter velit eſſe minimus ſicut alius optaret eſſe maximus. Et ita pacificus & contentus in noviſſimo, ſicut in loco primo ˥ atque ita libenter deſpicabilis & abjectus, nullius quoque nominis & famæ: ſicut

cæteris honorabilior & major in mundo. [*Hoc gaudium in animæ intimo exóritur : & ſenſim creſcit aſſiduo humilitatis exercitio.*] Nam voluntas tua & amor honoris tui omnia excedere debet : & plus eum conſolari, magiſque placere; quàm omnia beneficia ſibi data vel danda.

Contraria contrariis oppoſita magis eluceſcunt : propterea Dei donis & beneficiis tibi ſuprà expoſitis ad conſiderationem peccatorum te ducimus; ut indè ingratitudinis tuæ gravitatem & dolorem faciliùs concipias.

Ex Introductione cap. 12.

Meditatio quarta, de peccatis.

I. Conſtitue te coram Deo.

II. Illum roga ut tibi cogitanda inſpiret.

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

PRimò, conſidera, à quanto jam tempore peccare inceperis : & quantùm jam inde à primo illo principio peccata in corde tuo multiplicata ſint : & quomodo ſingulis diebus illa contra Deum, temetipſum, & proximum, opere, verbo, deſiderio, & cogitationibus adauxeris.

Secundò, revolve pravas tuas inclinationes: & quomodo eas ſis ſecuta. Et ex hiſce duobus punctis notabis, peccata tua & culpas ſuper capillos capitis tui : quin & ſuper arenam, quæ eſt in littore maris: eſſe multiplicata.

Tertiò, peccatum ingratitudinis erga Deum ſeparatim conſidera; quod nimirùm eſt peccatum generale : ſe per omnia alia peccata diffundens: eáque infinitiès enormiora & graviora reddens. Vide ergò, quoniam tibi Deus beneficia præſtiterit : te verò omnibus contra donatorem & collatorem tuum abuſum eſſe; atque imprimis, quot ſanctas inſpirationes neglexeris : quot ſanctos Dei inſtinctus inutiles: & fruſtraneos reddideris. Et (quod majus eſt) quoties Sacramenta tanta ſuſcepiſti : & ubinam ſunt eorum fructus? ubinam pretioſa illa monilia, quibus dilectiſſimus ſponſus tuus te condecorârat? omnia hæc ſub iniquitatibus tuis tecta delituerunt. Quâ etiam præparatione animi eadem recepiſti? Perpende tecum hanc ingratitudinem : quòd cum Deus tam impensè te conſectatus ſit, ad te ſalvandam : tu ſemper ab illo aufugeris, in interitum tuum properans.

AFFECTUS ET PROPOSITA.

Primò, ob miſeriam & indignitatem tuam : erubeſce & confúndere. Quomodò, ô Deus meus, in conſpectu tuo comparere audebo? eheu,

non ſum niſi mundi apoſtema : & ingratitudinis & iniquitatis ſentina. Fieri-ne poteſt, adeò me perfidum fuiſſe , ut ne unus quidem ſenſus meus, una quoque animæ meæ potentiarum fuerit , quam non inquinârim, corruperim , ac ne unus quidem vitæ meæ dies effluxerit , quo non pravos affectus produxerim? Itáne me Creatoris mei beneficia remunerari , & effuſo Redemptoris mei ſanguini reſpondere & par pari referre oportebat?

Secundò, Veniam roga, & ad Domini pedes te, perinde ac filius quidam prodigus, Maria quædam Magdalena , & tanquam mulier illa plurimis adulteriis infamis, abjiciens dic : Miſerere Domine indigniſſimæ hujus peccatricis , ah, vivæ compaſſionis fons : miſereat te miſellæ hujus prævaricatricis.

Tertiò, vitæ emendationem propone. Non amplius, Domine, non amplius, mediante gratiâ tuâ : non amplius poſthàc me peccato tradam & implicabo. Eheu, nimis ipſum hactenus amavi , jam verò ipſum deteſtor : téque amplector. Tibi, ô Pater miſericordiæ, volo vivere ; & in te mori.

Quartò, quò præterita peccata deleam , ultroneè & animosè me accuſabo ; & ne unum quidem relinquam, quod non expellam & effugem.

Quintò, faciam quidquid poſſum ad fibras ejus è corde meo penitùs evellendas , ac præſertim talium ac talium : quæ mihi plus moleſtiarum inferunt & maximè infeſtant.

Sextò, quò autem melius id faciam , amplectar conſtanter omnia quæ mihi ſuggerentur conſilia & monita ; & nunquam ſatis me feciſſe putabo, ad tam ingentes & graves defectus reparandos.

CONCLVSIO.

Primò, gratias age Deo , qui te uſque in hanc horam tam patienter expectavit : & bonos hos affectus tibi ſuggeſſit.

Secundò , cor tuum illi offer : ad eos opere exequendos.

Tertiò, eum precare, ut tibi ad eoſdem fideliter practitandos vires det : ídque per meritum filij ejus. Invoca quoque B. V. & Sanctorum Patrocinium. *Pater noſter, Ave Maria.*

Collige dein faſciculum ſpiritualem, ut ſuprà.

Verùm ut ad agendam pœnitentiam vehementiùs accendaris , diſpone te ad quaſlibet vitæ moleſtias ſuſtinendas : indignum te reputans divinis conſolationibus , téque ſatis felicem æſtimans : ſi illius fortis gratiæ auxilium habeas, quæ ſenſibili conſolatione animam non afficit. Audi quid de hac re dicat Magiſter.

Quod

Quod homo non reputet ſe conſolatione dignum, ſed verberibus reum. Lib. 3. de Imitatione cap. 52.

1. DOMINE non ſum dignus conſolatione tuâ: nec aliquâ ſpiritali viſitatione: & ideò juſtè mecum agis quando me inopem & deſolatum relinquis. [*Hîc evidenter apparet iſtam derelictionem de ſenſibili gratiæ conſolatione: eſſe intelligendam.*] Si enim ad inſtar maris lacrymas effundere poſſem: adhuc conſolatione tuâ dignus non eſſem: & ideò juſtè mecum agis. Unde nihil dignus ſum, quàm flagellari & puniri: quia graviter & ſæpè te offendi, & in multis valdè deliqui. Ergò verâ penſatâ ratione: nec minimâ ſum dignus conſolatione. Sed tu clemens & miſericors, qui non vis perire opera tua: ad oſtendendum divitias bonitatis tuæ in vaſa miſericordiæ: etiam præter omne proprium meritum dignaris conſolari ſervum tuum ſupra humanum modum. Tuæ enim conſolationes non ſunt ſicut humanæ conſolationes.

2. Quid egi, Domine, ut mihi conferres aliquam cæleſtem conſolationem? Ego nihil boni egiſſe me recolo: ſed ſemper ad vitia pronum: & ad emendationem pigrum fuiſſe. Verum eſt & negare non poſſum. Si aliter dicerem: tu ſtares contra me: & non eſſet qui defenderet. Quid merui pro peccatis meis, niſi infernum, & ignem æternum? In veritate confiteor, quoniam dignus ſum omni ludibrio & contemptu: nec decet me inter devotos tuos commorari. Et licèt hoc ægrè audiam: tamen adverſum me, pro veritate, peccata mea arguam: ut faciliùs miſericordiam tuam merear impetrare.

3. Quid dicam reus, & omni confuſione plenus? Non habeo os loquendi niſi tantùm hoc verbum: Peccavi Domine, peccavi: miſerere mei, ignoſce mihi. *Sine me paululùm, ut plangam dolorem meum: antequam vadam ad terram tenebroſam: & opertam mortis caligine.* Quid tàm maximè à reo & miſero peccatore requiris: niſi ut conteratur & humiliet ſe pro delictis ſuis? in vera contritione, & cordis humiliatione naſcitur ſpes veniæ: reconciliatur perturbata conſcientia: reparatur gratia perdita: tuetur homo à futura ira: & occurrunt ſibi mutuò in oſculo ſancto Deus & pœnitens anima. *Iob. 10.20.*

4. Humilis peccatorum contritio acceptabile tibi eſt, Domine, ſacrificium: longè ſuaviùs odorans in conſpectu tuo, quàm thuris incenſum. Hoc eſt gratum etiam unguentum: quod pedibus tuis infundi voluiſti: quia *cor contritum, & humiliatum nunquam deſpexiſti.* Ibi eſt locus refugij à facie iræ inimici. Ibi emendatur, & abluitur: quidquid aliundè contractum eſt & inquinatum. *Pſ. 50. 19.*

Hæc omnia adeò perſpicua ſunt; ut ampliori annotatione non indigeant. Ea tantummodo ad mentem revoca: quæ ſuperiùs dicta ſunt de contritione,

inferiori animæ parti ſenſibili: quæ non ſemper in noſtra reſidet poteſtate.

LECTIO NONA.

De morte, & mortis Meditatione: de judicio & de pœnis peccatorum.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Deſtruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea: & dicam animæ meæ: anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt? Luc. cap. 12. v. 18.

Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit. Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum ſuam: & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis: & janitori præcepit, ut vigilet. Vigilate ergò. Neſcitis enim quando Dominus domûs veniat: ſerò, an media nocte, an Galli cantu, an manè: ne cum venerit repentè inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate. Marc. cap. 13. v. 33.

Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium: præ confuſione ſonitûs Maris & Fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. Nam virtutes Cælorum movebuntur. Luc. cap. 21. v. 25.

Sic loquimini, & ſic facite; ſicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim ſine miſericordia illi: qui non fecit miſericordiam. Epiſt. Jac. cap. 2. v. 12.

Noviſſimorum memoriam multùm prodeſſe ad vitanda peccata ſapiens aſſerit; ſed ſapientia incarnata hic edocet te. 1. Eum inſenſatè agere qui ſic vivit: ac ſi brevi non eſſet moriturus. 2. Te ſemper ad mortem paratum eſſe debere: cùm nec ejus horam nec ſortem noveris. 3. Mundum & quicquid tibi offert gratum & oculis ſpecioſum: aliquando tibi fore materiam horrendi timoris. 4. Denique miſericordiam in proximum exercendam eſſe: cùm unicum medium ſit ad obtinendum judicium temperatum in actus tuos ac miſerias. Audi & diligentiùs attende quæ ambo Magiſtri, tibi ſuggeſturi ſunt: ut mortem & judicium utiliter prævenias.

Ex Introductione. Cap. 13.

Meditatio quinta. De Morte.

1. *Conſtitue te in præſentia Dei.*
2. *Illius gratiam expoſce.*
3. *Imaginare te præ morbi gravitate ad extrema redactam in lecto mortali decumbere: adeò ut nulla tibi ſpes evadendi effulgeat.*

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

PRimò, conſidera incertitudinem diei mortis tuæ. Semel te, ô anima mea, ex hoc corpore emigrare oportebit. At quando hoc continget? in hyeme, an in æſtate? in urbe, an rure? noctu, an interdiu? improviſò, an exſpectatè & advertenter? an hoc è morbo, an morte caſuali? otiúmne ac tempus peccatorum confeſſionis inſtituendæ tibi erit, an non? Confeſſarium, aut Patrem tuum ſpiritualem apud te habebis an non? Horum omnium, eheu: nihil certò ſcimus. Hoc duntaxat certum eſt, nos morituros, & ſemper opinato celeriùs & citiùs.

Secundò, conſidera mundum hunc, quòd ad te ſpectat, tùm finiendum ⁊! & illius tibi quidem nihil tunc amplius reliquum fore; illum ante oculos tuos invertendum, & tamen in ſe permanſurum. Et verè ⁊! etenim voluptates, vanitates, mundana gaudia, & vani affectus: tunc tibi ceu inania phantaſmata, & evanidæ nubeculæ videbuntur. Ah miſera ⁊! quaſnam ob nugas & chimæras Deum meum offendi? nam videbis tunc nos Deum propter nihilum dereliquiſſe. Devotio & bona opera è contrà tunc tibi valdè deſiderabilia & dulcia videbuntur. Cur autem amœnam & jucundam hanc viam non ſum ſecuta? Tunc quoque peccata, quæ exigua antè videbantur ⁊! montium inſtar vaſta & gravia videbuntur: devotio verò tua nimis quàm exigua.

Tertiò, perpende tecum magnum illud & triſte ſupremum vale: quod anima tua mundo huic inferiori dabit. Vale dicet ſiquidem divitiis, vanitatibus & inanibus ſodalitiis ⁊ voluptatibus, luſibus, recreationibus ⁊! amicis item & vicinis ⁊! conſanguineis, filiis, marito, uxori: denique omnibus omninò creaturis. Summâ, etiam corpori ſuo: quod pallidum, horridum, luridum, deforme & putridum relinquet.

Quartò, quàm omnes ſatagent & ſeriò ſe accingent, ad exangue illud corpus indè amovendum ⁊! & in terræ viſceribus abſcondendum:

& illo jam ſepulto , vix ullum ampliùs de te cogitaturum ; nec amplius nllam tui memoriam fore : perindè atque tu vix unquam de aliis mortuis, dum viveres, cogitaſti. Dicent quidem de te, *Requieſcat in pace*: dein nihil amplius. Quàm ô mors, digna es, quæ perpendaris ; quàm verò ipſa immitis & implacabilis es ?

Quintò , cogita animam corpore jam egredientem, viam ſuam ingredi, ſive ad dextram, ſive ad ſiniſtram. Ah quonam abibit tua ? quamnam iuibit viam ? non aliam certè, quàm illam, quam in hoc mundo inire cœpit.

AFFECTVS ET PROPOSITA.

Primò, Ora Deum, téque intra brachia ejus conjice. Tu me, quæſo, Domine, pro die illa tremenda, in tuam protectionem & tutelam recipe ; fac obſecro, mihi horam illam felicem & favorabilem ; reliquæ verò omnes vitæ horæ potiùs mihi triſtes ſint & amaræ.

Secundò, mundum deſpice. Cùm horam neſciam quâ tu mihi, ô munde, relinquendus ſis : nolo poſthàc ampliùs tibi adhærere. Sinite me, quæſo cariſſimi amici, affines & contubernales mei ; vos poſthàc non alio affectu & amicitiâ proſequi: quàm ſancto, qui in æternum durare queat. Ad quid enim, tali amicitiâ vobis uniar & conjungar ; ut vinculum & unionem ejus poſteà cogamur abrumpere ?

Ad hanc horam ergò me præparare volo ; & eam ſolicitudinem & diligentiam adhibere : quæ ad tranſitum illum feliciter faciendum requiritur. Conſcientiæ meæ ſtatum, quantùm mihi poſſibile erit, in tuto collocare : & tales defectus emendare mihi propoſitum eſt.

CONCLVSIO.

Deo Opt. Max. ob hæc propoſita, quæ tibi ſuggeſſit, gratias agito ; Majeſtatique ejus eadem offerto : eum quoque roga , ut mortem tuam felicem reddat.

Beatæ Virginis, & Sanctorum opem ad hoc implora. *Pater noſter, Ave Maria.*

Faſciculum myrrhæ hîc tibi colligito.

Suprà dictis mox ſubjunge ; quæ liber de Imitatione in idem argumentum conſilia tibi ſuggerit.

De Meditatione mortis. Lib. 1. De Imitatione. Cap. 23.

1. VAldè citò tecum erit hîc factum ; vide ergò qualiter modò te habeas. Hodie homo eſt, & cras non comparet. Cùm autem ſublatus fuerit ab oculis: etiam citò tranſit à mente. O hebetudo & duritia cordis humani ; quod ſolùm præſentia meditatur : & futura non magis prævidet. Sic te in omni facto & cogitatu deberes tenere ; quaſi hodiè vel ſtatim eſſes moriturus. Si bonam conſcientiam haberes : non multùm mortem timeres. Meliùs eſſet peccata cavere ; quàm mortem.

fugere. Si hodie non es paratus ˥ quomodò cras eris? Cras eſt dies incerta ˥ & quid ſcis ſi craſtinum habebis?

2. Quid prodeſt diu vivere quando tam parùm emendamur? ah longa vita non ſemper emendat: ſed ſæpe culpam magis auget. Utinam per unam diem benè eſſemus converſati in hoc mundo. Multi annos converſionis computant: ſed ſæpe parvus eſt fructus emendationis. Si formidoloſum eſt mori: forſitan periculoſiùs erit diutiùs vivere. Beatus qui horam mortis ſuæ ſemper ante oculos habet: & ad moriendum quotidiè ſe diſponit. Si vidiſti aliquando hominem mori: cogita quia & tu per eamdem viam tranſibis.

3. Cùm manè fuerit: puta te ad veſperum non perventurum. Veſperè autem facto: manè non audeas tibi polliceri. Semper ergò paratus eſto ˥ & taliter vive: ut nunquam te imparatum mors inveniat. Multi ſubitò & improvisè moriuntur. Nam *horâ, quâ non putatur: Filius hominis venturus eſt.* *Luc.12.40.* Quando illa extrema hora venerit multùm aliter ſentire incipies de tota vita tua præterita ˥ & valdè dolebis; qui tam negligens & remiſſus fuiſti.

4. Quàm felix & prudens, qui talis nunc nititur eſſe in vita: qualis optat inveniri in morte. Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi ˥ fervens deſiderium in virtutibus proficiendi: amor diſciplinæ, labor penitentiæ ˥ promptitudo obedientiæ, abnegatio ſui: & ſupportatio cujuſlibet adverſitatis pro amore Chriſti. Multa bona potes operari dum ſanus es: ſed infirmatus neſcio quid poteris. Pauci ex infirmitate emendantur: ſicut qui multùm peregrinantur, rarò ſanctificantur.

5. Noli confidere ſuper amicos, & proximos ˥ ne in futurum tuam ſalutem differas: quia citiùs obliviſcentur tui homines quàm æſtimas. Meliùs eſt nunc tempeſtivè providere, atque aliquid boni præmittere: quàm ſuper aliorum auxilio ſperare. Si non es pro teipſo ſollicitus modò ˥ quis erit ſollicitus pro te in futuro? Nunc tempus eſt valdè pretioſum. *Nunc ſunt dies ſalutis: nunc tempus acceptabile.* Sed proh *2.Cor. 6.2.* dolor ˥ quòd hoc utilius non expendis, in quo promereri vales; unde æternaliter vivas. Veniet quando unum diem, ſeu horam pro emendatione deſiderabis; & neſcio an impetrabis.

6. Eia cariſſime, de quanto periculo te poteris liberare ˥ de quàm magno timore eripere: ſi modò ſemper timoratus fueris & de morte ſuſpectus. Stude nunc taliter vivere: ut in hora mortis valeas potiùs gaudere, quàm timere. Diſce nunc mori mundo: ut tunc incipias vivere cum Chriſto. Diſce nunc omnia contemnere: ut tunc poſſis liberè ad Chriſtum pergere. Caſtiga nunc corpus tuum per pœnitentiam: ut tunc valeas certam habere confidentiam.

7. Ah ſtulte ˥ quid cogitas te diu victurum cùm nullum diem habeas hic ſecurum? Quàm multi decepti ſunt, & inſperatè de corpore extracti?

Quoties audiſti à dicentibus ˥ quia ille gladio cecidit, ille ſubmerſus eſt: ille ab alto ruens cervicem fregit ˥ ille manducando obriguit: ille ludendo finem fecit. Alius igne, alius ferro, alius peſte ˥ alius latrocinio interiit: & ſic omnium finis mors eſt, & vita hominum tanquam umbra pertranſit.

8. Quis memorabitur tui poſt mortem? aut quis orabit pro te? Age, age nunc, cariſſime, quidquid agere potes ˥ quia neſcis quando morieris: neſcis etiam quid te poſt mortem ſequetur. Dum tempus habes congrega tibi divitias immortales. Præter ſalutem tuam nihil cogites: ſolùm quæ Dei ſunt cures. Fac nunc tibi amicos venerando Dei Sanctos, & eorum actus imitando ˥ ut cùm defeceris in hac vita: illi te recipiant in æterna tabernacula.

9. Serva te tanquam peregrinum & hoſpitem ſuper terram: ad quem nihil ſpectat de mundi negotiis. Serva cor liberum, & ad Deum ſurſùm erectum: quia non habes hìc manentem civitatem. Illùc preces & gemitus quotidianos cum lacrymis dirige: ut ſpiritus tuus mereatur ad Dominum poſt mortem feliciter tranſire. Amen.

Ex Introductione Cap. 14.

Meditatio ſexta, de judicio.

1. *Imaginare te coram Deo conſiſtere.*
2. *Eum roga, ut cogitanda tibi inſpirare dignetur.*

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

PRimò, tandem poſt tempus, quòd Deus mundi hujus durationi præfinivit, evolutum ˥ póſtque plurima ſigna, & horrenda præſagia & prænuntia, quibus viſis homines areſcent præ horrore & pavore: ignis inſtar diluvij ſuperadveniens ˥ univerſam terræ ſuperficiem ita comburet, atque in cineres rédiget: ut nihil eorum quæ jam in illa videmus ab eo futurum ſit immune & excipiendum.

Secundò, poſt hoc flammarum & fulminum diluvium ˥ homines omnes (præter eos qui jam reſurrexêre) è terra redivivi reſurgent: & ad vocem Archangeli in valle Joſaphat comparebunt. Sed quo eheu cum diſcrimine? nam hi quidem in glorioſis & fulgidis ibi apparebunt corporibus; alij in fœdis & horrendis.

Tertiò, perpende Majeſtatem, in qua ſummus ipſe Judex adveniet. Omnibus enim Angelis & Sanctis erit circumdatus ˥ & ante ſe habebit crucem ſuam ſole ipſo rutilantiorem: quæ gratiæ ſignum erit bonis, indignationis & rigoris improbis.

Quartò, ſupremus hic Judex terribili juſſu ſuo, qui quàm primùm etiam executioni mandabitur; bonos ſequeſtrabit a malis: illos quidem ad dextram ſuam, hos ad ſiniſtram collocaturus. Æterna hæc ſeparatio erit; poſt illam nunquam ampliùs utraque hæc pars invicem ſe videbunt: aut uuum in locum convenient.

Quintò, ſequeſtratione hâc peractâ, & libris conſcientiarum apertis: liquidò patebit hinc improborum malitia, & quo Deum contempſere, neglectus; illinc verò proborum pœnitentia, gratiæ à Deo acceptæ effectus: adeò ut nihil illic abſconditum futurum ſit. Quantam illi quidem, Deus bone, ibi ſentient confuſionem; hi verò conſolationem?

Sextò, perpende tecum ſupremam Judicis adverſus reprobos ſententiam, *Ite maledicti in ignem æternum; qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Quæ verba adeò gravia maturè & exactè tecum velim examines. *Ite*, inquit, eſt verbum perpetuæ rejectionis; quâ Deus hujuſmodi ſceleratos à ſe rejecit: æternùm eos à facie ſua ablégans & éffugans. Dein, vocat eos *maledictos*; quàm gravis, ô anima mea, hæc eſt maledictio? Maledictio eſt generalis, quæ omnia quotquot ſunt, in ſeſe mala complectitur; maledictio irrevocabilis: quæ omnia tempora, quin & ipſam æternitatem involuit. Addit, *in ignem æternum*; conſidera & intuêre, ô anima mea: longam hanc æternitatem. Quàm, ô æterna pœnarum æternitas, terribilis tu es & horrenda?

Septimò, contrariam quæ in bonos feretur: ſententiam conſidera. *Venite*, inquit Judex; eſt hoc ſuave verbum ſalutis: quo Deus nos ad ſe trahit, atque intra bonitatis ſuæ ſinum recipit *benedicti Patris mei.* O cara & optabilis benedictio: quæ omnem benedictionem complectitur. *Poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Hem quantum hoc, Deus bone, beneficium eſt: nam Regnum hoc nunquam habebit finem.

AFFECTVS ET PROPOSITA.

Primò, contremiſcas & paveas ô anima mea, dum hæc recordaris. Quis, ô Deus meus, pro die illa ſecuram me reddat, in qua columnæ cæli præ pavore contremiſcent?

Secundò, peccata tua deteſtare: quæ ſola te in horrenda illa die perdere & damnare poſſunt. Jam me hìc dijudicare volo, ut ibi non judicer; jam conſcientiam meam examinare; méque condemnare, accuſare, & emendare: ne me Judex in terribili illo die condemnet. Quocircà jam confitebor: & ſalutaria neceſſariáque conſilia amplectar, &c.

CONCLVSIO.

Deo gratias age; qui tibi modum & occaſionem ſuggeſſit ſalutis tuæ in diem illum aſſecurandæ; nec non tempus pœnitentiæ faciendæ conceſſit.

Cor tuum, ad illam faciendam illi offer.

Illum ora, gratiam tibi debitè officio tuo fungendi concedat. *Pater noſter, Ave Maria.*

Collige faſciculum.

Eadem alter Doctor eximiè proſequitur.

De judicio & pœnis peccatorum. Lib. 1. *cap.* 24. *de Imitatione.*

1. IN omnibus rebus reſpice finem, & qualiter ante diſtrictum ſtabis Judicem, cui nihil eſt occultum: qui muneribus non placatur, nec excuſationes recipit: ſed quod juſtum eſt judicabit. O miſerrime & inſipiens peccator, quid reſpondebis Deo omnia mala tua ſcienti, qui interdum formidas vultum hominis irati? Ut quid non provides tibi in diem judicij, quando nemo poterit per alium excuſari vel defendi, ſed unuſquiſque ſufficiens onus erit ſibiipſi? Nunc labor tuus eſt fructuoſus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis: dolor ſatiſfactorius & purgativus.

2. Habet magnum & ſalubre purgatorium patiens homo, qui ſuſcipiens injurias plus dolet de alterius malitia, quàm de ſua injuria, qui pro contrariantibus ſibi libenter orat, & ex corde culpas indulget: qui veniam ab aliis petere non retardat, qui faciliùs miſeretur, quam iraſcitur: qui ſubiipſi violentiam frequenter facit, & carnem omninò ſpiritui ſubjugare conatur. Meliùs eſt modo purgare peccata, & vitia reſecare: quàm in futuro purganda reſervare. Verè nos ipſos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus.

3. Quid aliud ille ignis devorabit, niſi peccata tua? quantò tibi ipſi ampliùs nunc parcis, & carnem ſequeris: tantò duriùs poſteà lues, & majorem materiam comburendi reſervas. In quibus homo peccavit; in illis graviùs punietur. Ibi accedioſi ardentibus ſtimulis pungentur: & guloſi ingenti ſiti ac fame cruciabuntur. Ibi luxurioſi & voluptatum amatores ardenti pice, ac fœtido ſulphure perfundentur: & ſicut furioſi canes præ dolore invidioſi ululabunt.

4. Nullum vitium erit; quod ſuum proprium cruciatum non habeat. Ibi ſuperbi omni confuſione replebuntur: & avari miſerrimâ egeſtate arctabuntur. Ibi erit una hora gravior in pœna, quàm hîc centum anni in amariſſima pœnitentia. Ibi nulla requies eſt, nulla conſolatio damnatis: hîc tamen interdum ceſſatur à laboribus, atque amicorum fruitur ſolatiis. Eſto modò ſollicitus & dolens pro peccatis tuis: ut in die judicij ſis ſecurus cum Beatis. *Tunc enim juſti ſtabunt in magna conſtantia adverſus eos: qui ſe anguſtiaverunt*, & depreſſerunt. Tunc ſtabit ad judicandum qui modò ſe ſubjicit humiliter judiciis hominum. Tunc magnam fiduciam habebit pauper & humilis: & pavebit undique ſuperbus. (Sap. 5. 1.)

5. Tunc

5. Tunc videbitur ſapiens in hoc mundo fuiſſe; qui pro Chriſto didicit ſtultus & deſpectus eſſe. Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpeſſa: *& omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* Tunc gaudebit omnis devotus: & mœrebit omnis irreligioſus. Tunc plus exultabit caro afflicta: quàm ſi in deliciis fuiſſet ſemper nutrita. Tunc ſplendebit habitus vilis: & obtenebreſcet veſtis ſubtilis. Tunc plus laudabitur pauperculum domicilium: quàm deauratum palatium. Tunc plus juvabit conſtans patientia: quàm omnis mundi potentia. Tunc ampliùs exaltabitur ſimplex obedientia; quàm omnis ſecularis aſtutia. *Pſ. 106 42.*

6. Tunc plus lætificabit pura, & bona conſcientia: quàm docta Philoſóphia. Tunc plus ponderabit contemptus divitiarum; quàm totus theſaurus terrigenarum. Tunc magis coſolaberis ſuper devota oratione: quàm ſuper delicata comeſtione. Tunc potiùs gaudebis de ſervato ſilentio: quàm de longa fabulatione. Tunc plus valebunt ſancta opera; quàm multa pulchra verba. Tunc plus placebit ſtricta vita, & ardua pœnitentia: quàm omnis delectatio terrena. Diſce nunc in modico pati: ut tunc valeas à gravioribus liberari. Hìc primò proba quid poſſis poſteà. Si nunc tam parùm non vales ſuſtinere? quomodò æterna tormenta poteris ſufferre? Si modò modica paſſio tam impatientem efficit? quid gehenna tunc faciet? Ecce verè non potes duo gaudia habere? delectari hìc in mundo: & poſteà regnare cum Chriſto.

7. Si uſque in hodiernum diem ſemper in honoribus & voluptatibus vixiſſes? quid totum tibi prodeſſet, ſi jam in inſtanti mori contingeret? Omnia ergo vanitas: præter amare Deum, & illi ſoli ſervire. Qui enim Deum ex toto corde amat? nec mortem, nec ſupplicium, nec judicium, nec infernum metuit; quia perfectus amor ſecurum ad Deum acceſſum facit. [*Hunc timorem intellige: quoad rationem & voluntatem. Pars enim inferior animæ; ab eo non ſemper immunis eſt.*] Quem autem adhuc peccata delectant: non mirum ſi mortem & judicium timeat. Bonum tamen eſt, ut ſi nec dum amor à malo te revocat: ſaltem timor gehennalis coërceat. Qui verò timorem Dei poſtponit? diu ſtare in bono non valebit; ſed diaboli laqueos citiùs incurret.

LECTIO DECIMA.

De inferno & Paradiſo: & quod omnia gravia pro vita æterna ſunt toleranda. De die æternitatis & hujus vitæ anguſtiis.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus animam autem non poſſunt occidere. Sed potius timete eum: qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. Matt. c. 10. v. 28.

Si oculus tuus ſcandaliſat te; abjice eum. Bonum eſt tibi luſcum introire in Regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne ſalietur; & omnis victima ſale ſalietur. Marc. cap. 9. v. 46.

Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? ſcimus enim qui dixit. Mihi vindictam: & ego retribuam. Et iterum, quia judicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Epiſt. ad Hebræos. Cap. 10. v. 28.

Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes, amen dico vobis, quod præcinget ſe: & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Luc. cap. 12. v. 37.

Fulgebunt juſti, ſicut ſol; in Regno Patris eorum. Matt. cap. 13. verſ. 43.

Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ: ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: Epiſt. 2. ad Cor. cap. 4. v. 17.

Hæc verba qualitatem ſuppliciorum quibus reprobi afficiuntur, ac judicis eos condemnantis juſtitiam exprimunt, nec non quæ fidelibus ſervis Deus præparavit: atque etiam tibi exhibent, quid præſtiturus ſit iis, qui ſuum in ipſum amorem vigilantiâ ac fidelitate comprobaverint. Quod ea de re Magiſtri tui dicturi ſunt: ſtudioſiùs excipe.

Ex Introductione capite 15.

Meditatio ſeptima. De inferno.

PRÆLUDIA.

1. *Finge te coram divina Majeſtate conſtitutam eſſe*
2. *Humilia te ejúſque opem implora.*
3. *In imaginatione tibi depinge urbem quamdam tenebroſam, ſulphure & pice graveolenti undique ardentem: & civibus egredi ex illa non valentibus pleniſſimam.* [Hæc ſpecies imaginaria, non eſt neceſſaria: ut infrà alio loco tibi dicet idem Sanctus Doctor. Si tamen eâ Tirones uti voluerint; monita quæ eis ad id impertietur; diligenter obſervent.]

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

PRimò, damnati in infernali abyſſo perinde ſunt conſtituti, atque in urbe illa infortunata quàm nobis depinximus: in qua ineffabilia

in omnibus ſenſibus & membris ſuis tormenta patiuntur. Nam ſicuti omnes ſenſus ſuos & membra peccato impenderunt: ita & in omnibus membris & ſenſibus pœnas peccato debitas ſuſtinebunt. Oculi quidem, propter laſcivos & vetitos aſpectus: horribili cacodæmonum intuitu, & inferni viſione torquebuntur. Aures verò, quòd è rerum vetitarum & improbarum auditione voluptatem ceperint: aliud quàm comploratus, lamenta deſperantium, indignationes non audient. Et ſic de ceteris.

Secundò, præter omnia illa tormenta ſenſuum eſſe aliud longè graviùs; ipſa inquam gloriæ cæleſtis carentia & amiſſio, à qua in æternum excluſi ſunt: quámque nunquam videre dabitur. Si enim Abſalon amabilis & gratioſi vultûs patris ſui David carentiam exilio ſuo graviorem & amariorem duxit; quàm Deus, bone, amarum & triſte erit, ſuavi & amabili vultu ac conſpectu tuo æternùm privari.

Tertiò, perpende in primis & quàm maximè tormentorum tuorum æternitatem; quæ ſola infernum reddit intolerabilem. Si enim vel pulex, qui in aurem irrepſit; ſi modicæ febriculæ æſtus brevem noctem longam adeò & moleſtam tibi videri facit; quàm ſanè erit terribilis illa æternitatis nox, tot tormentis comitata? Ex hac autem æternitate: naſcitur æterna deſperatio, blaſphemiæ, & infinita rabies.

AFFECTUS ET PROPOSITA.

Animam tuam perterrefac verbis illis *Iſaiæ c.* 33. Poteríſne, ô anima mea, habitare in æternum cum ardoribus illis ſempiternis; & cum igne illo devorante? quid? Deúmne tuum in æternum deſerere & amittere cupis?

Confitere, id te aliquando promeritam eſſe: & quidem toties. Porrò poſthàc aliam viam inire volo. Cur enim in abyſſum illam deſcendam?

Ergò, hoc & illo modo peccatum, quòd ſolùm mihi mortem hanc æternam adferre poteſt: evitare conabor.

Gratias age; teipſam offer; & precare, ut ſuprà.

Ex Introductione. Cap. 16.

Meditatio octava. De Paradiſo.

1. *Conſtitue te in Dei præſentia.*
2. *Opem divinam implora.*

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

PRimò, conſidera noctem quamdam ſerenam & ſtellis toto cœlo collucentibus claram; & cogita, quàm jucundum ſit videre cœlum

tantâ ſiderum multitudine & varietate diſtinctum. Conjunge jam hujus noctis pulchritudinem cum pulchritudine ſudi & ſereni cujuſdam diei ˥ adeò ut ipſa Solis claritas apertum ſtellatum & Lunæ viſum non impediat : ac deinde apud temetipſam audacter dicito ˥ omnem hanc pulchritudinem ſimul conjunctam nihil eſſe ; ſi cum pulchritudine & excellentia cœli comparetur. Ah, quàm locus ille deſiderabilis & optabilis eſt ; quàm civitas illa pretioſa.

Secundò, conſidera civium & beatæ illius civitatis incolarum nobilitatem, pulchritudinem, ac multitudinem ˥ milliones illos millionum Angelorum, Cherubinorum & Seraphinorum : copiam illam Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, ac ſanctarum mulierum, quorum omnium numerus eſt innumerabilis. O quàm ſocietas illa beata felix eſt ˥ quorum minimum videre delectabiliùs eſt : quàm univerſum ſimul mundum. Quid ergò erit, videre omnes ſimul ? ſed, ô Deus bone, quàm illi felices ſunt. Semper quippe canunt ſuave amoris æterni canticum, ſemper in conſtanti lætitia, & non interrupto gaudio agunt ˥ inexplicabilem ſibi mutuò adferunt lætitiam : & beatæ & indiſſolubilis cujuſdam ſocietatis conſolatione fruuntur.

Tertiò, cogita denique, quantùm eorum omnium ſit bonum, quòd Deo fruantur ˥ qui jucundiſſimo ſuo conſpectu eos æternùm beat & recreat : atque inde quamdam in animos eorum deliciarum & gaudiorum abyſſum inſtillat. Ecquod enim eſt bonum, ſuo ſemper Principi adeſſe ? ſunt ibi quoque, ſicut beatiſſimæ quædam aves in aëre cæloque divinitatis ˥ (à quo undequaque incredibilibus deliciis perfunduntur & circumcinguntur) perpetuò volitantes & cantillantes. Ibi quiſque certatim, & ſine ulla æmulatione, quàm poteſt optimè Creatoris ſui laudes decantat, dicens ˥ eſto in æternum benedictus, dulciſſime & ſupreme Creator & Salvator noſter : qui adeò nobis bonus es, tuámque gloriam nobis tam liberaliter communicas. Ipſe quoque Deus viciſſim reciprocéque ſanctos ſuos omnes perpetuâ quadam benedictione benedicit. Benedictæ vos in æternum, cariſſimæ creaturæ meæ, quæ mihi in vita ſerviviſtis : méque in perpetuum tam magno cum amore & animo laudabitis.

AFFECTVS ET PROPOSITA.

Primò, admirare & lauda patriam hanc cœleſtem, dicendo ˥ quàm pulchra es cariſſima mea civitas Jeruſalem, & quàm beati omnes qui habitant in te ?

Secundò, animo tuo puſillanimitatem & inertiam exprobra ˥ quàm hactenus prætulit : à glorioſæ hujus habitationis via uſque adeò deflectendo. Ah, cur à ſumma felicitate & beatitudine mea tam procul declinavi ˥ ah miſeram me, propter voluptates ita inſipidas & leves : millies, & millies æternas & infinitas illas delicias dereliqui. Quis mihi tunc animus fuit, ut bona illa adeò deſiderabilia contemnerem ˥ quò

adeò vanos & contemptibiles appetitus ac deſideria proſequerer?

Tertiò, anhela nihilominus, magna cum animi intenſione: ad requiem illam uſque adeò delicioſam. At quoniam tibi, clementiſſime & ſupreme Domine, greſſus meos in viis tuis reſtituere jam & collocare placuit; nunquam ampliùs retrocedam: aut poſt tergum reſpiciam. Introëamus ergò, anima mea, introëamus in requiem illam infinitam; tendamus ad terram illam benedictam: quæ nobis promiſſa eſt. Quid enim in Ægypto hac facimus? Ab illis ergò me rebus ſequeſtrabo, quæ me ab hac vita vel ſévocant: aut ab ea ineunda retardant.

Faciam item hæc & hæc, quæ me ad eamdem conducant.

Gratias age, offer, precare.

Verùm ut ad cœleſtia bona concupiſcenda & proſequenda ampliùs accendaris, & expeditus fias: Doctorem alterum attentiùs auſculta.

Quod omnia gravia pro æterna vita ſunt toleranda. *Lib.* 3. *de Imitatione. Cap.* 47.

1. FILI non fragant te labores, quos aſſumpſiſti propter me: nec tribulationes te dejiciant uſquequaque: ſed mea promiſſio in omni eventu te roboret & conſoletur. Ego ſufficiens ſum ad reddendum ſupra omnem modum & menſuram. Non hîc diu laborabis: nec ſemper gravaberis doloribus. Expecta pauliſper: & videbis celerem finem malorum. Veniet una hora quando ceſſabit omnis labor & tumultus. Modicum eſt & breve: omne quod tranſit cum tempore.

2. Age ergò quod agis; fideliter labora in vinea mea: ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, ſuſtine viriliter contraria; digna eſt his omnibus æterna vita: & majoribus præliis. Veniet pax in die una, quæ nota eſt Domino; non enim erit nox, vel dies, hujus ſcilicet temporis: ſed lux perpetua, claritas infinita, pax firma & requies ſecura. Non dices tunc, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nec *Rom.* 7. 24.
clamabis; *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: quoniam præ-* *Pſal.* 119. 5.
cipitabitur mors, & ſalus erit indefectiva; anxietas nulla, jucunditas *Iſa.* 25. 8.
beata: ſocietas dulcis & decora.

3. O ſi vidiſſes in cælo Sanctorum coronas perpetuas; quantâ quoque nunc exultant gloriâ, qui huic mundo olim contemptibiles, & quaſi vitâ ipſâ indigni putabantur; profectò te ſtatim humiliares uſque ad terram: & affectares potiùs omnibus ſubeſſe, quàm præeſſe uni. Nec hujus vitæ dies lætos concupiſceres; ſed magis pro Deo tribulari gauderes: & pro nihilo inter homines computari, maximum lucrum duceres.

4. O ſi tibi hæc ſaperent, & profundè ad cor tranſirent; quomodò auderes vel ſemel conqueri? Nònne pro vita æterna cuncta labo-

rioſa ſunt toleranda? Non eſt parvum quid lucrari aut perdere Regnum Dei. Leva igitur faciem tuam in cælum. Ecce ego, & omnes Sancti mei mecum, qui in hoc ſeculo magnum habuère certamen, modò gaudent; modò conſolantur, modò ſecuri ſunt: modò requieſcunt, & ſine fine mecum in Regno Patris mei permanebunt.

De die æternitatis, & hujus vitæ anguſtiis. Lib. 3. de Imitatione, cap. 48.

1. O Supernæ civitatis manſio beatiſſima; O dies æternitatis clariſſima; quam nox non obſcurat, ſed ſumma veritas ſemper irradiat: dies ſemper læta, ſemper ſecura, & nunquam ſtatum mutans in contraria. O utinam dies illa illuxiſſet: & cuncta hæc temporalia finem accepiſſent. Lucet quidem Sanctis perpetuâ & ſplendidâ claritate; ſed non niſi a longè & per ſpeculum peregrinantibus in terra.

2. Nôrunt cæli cives quàm gaudioſa ſit illa; gemunt exules filij Evæ: quod amara & tædioſa ſit iſta. Dies hujus temporis parvi & mali, pleni doloribus & anguſtiis; ubi homo peccatis multis inquinatur; multis paſſionibus irretitur; multis timoribus ſtringitur; multis curioſitatibus diſtrahitur; multis vanitatibus implicatur; multis erroribus circumfunditur; multis laboribus atteritur; tentationibus gravatur; deliciis enervatur: egeſtate cruciatur.

3. O quando finis horum malorum; quando liberabor à miſera ſervitute vitiorum? quando memorabor, Domine, tui ſolius? quando ad plenum lætabor in te? Quando ero ſine omni impedimento, in vera libertate; ſine omni gravamine mentis & corporis? Quando erit pax ſolida; pax imperturbabilis & ſecura; pax intùs & foris, pax ex omni parte firma? Jesu bone, quando ſtabo ad videndum te? quando contemplabor gloriam Regni tui? quando eris mihi omnia in omnibus? O quando ero tecum in Regno tuo, quod præparaſti dilectis tuis ab æterno? Relictus ſum pauper, & exul in terra hoſtili: ubi bella quotidiana, & infortunia maxima.

4. Conſolare exilium meum; mitiga dolorem meum: quia ad te ſuſpirat omne deſiderium meum. Nam onus totum mihi eſt: quidquid mundus hic offert ad ſolatium. Deſidero te intimè frui, ſed nequeo apprehendere. Opto inhærere cæleſtibus; ſed deprimunt res temporales: & immortificatæ paſſiones. Mente omnibus rebus ſupereſſe volo: carne autem invitè ſubeſſe cogor. Sic ego infelix homo mecum pugno; *& factus ſum mihimetipſi gravis*; dum ſpiritus ſurſum, & caro quærit eſſe deorſum. [*Hæc utriuſque hominis pugna patienter eſt ferenda; & in pænitentiam ac victoriam convertenda: quamvis coram Deo ad illius opem implorandam & obtinendam de ea amorosè ingemiſcere liceat.*]

Iob. 7. 20.

5. O quid intùs patior dum mente cæleſtia tracto, & mox carnalium
turba occurrit oranti? *Deus meus ne elongéris à me; neque declines in ira* Pſ. 70. 12.
à ſervo tuo. Fulgura coruſcationem tuam, & diſſipa eas: Emitte ſagittas Pſ. 24. 9.
tuas, & conturbentur omnes phantaſiæ inimici. Recollige ſenſus meos Pſ. 143. 6.
ad te: fac me obliviſci omnium mundanorum: da citò abjicere & con-
temnere phantaſmata vitiorum. Succurre mihi, æterna Veritas: ut nul-
la me moveat vanitas. Adveni cæleſtis ſuavitas: & fugiat à facie tua
omnis impuritas. Ignoſce quoque mihi & miſericorditer indulge: quo-
ties præter te aliud in oratione revoluo. Confiteor etenim verè quia
valdè diſtractè me habere conſuevi. Nam ibi multoties non ſum, ubi
corporaliter ſto aut ſedeo: ſed ibi magis ſum quò cogitationibus feror.
Ibi ſum ubi cogitatio mea eſt. Ibi eſt frequenter cogitatio mea: ubi eſt
id quod amo. Hoc mihi citò occurrit: quod naturaliter delectat, aut
ex uſu placet. [*Voluntas ejuſmodi diſtractionum rea non eſt: quamdiu eis
conſenſum non præbet, illiſque, quantum poteſt, reſiſtit.*]

6. Unde tu, Veritas, apertè dixiſti ⁊ *Ubi enim eſt theſaurus tuus: ibi* Matt. 9. 2.
eſt & cor tuum. Si cælum diligo: libenter de cæleſtibus penſo. Si mun-
dum amo: de felicitatibus mundi congaudeo, & de adverſitatibus ejus
triſtor. Si carnem diligo: quæ carnis ſunt ſæpe imaginor. Si ſpiritum
amo: de ſpiritualibus cogitare delector. [*Intellige ſecundum naturalem
ordinem. Sapiùs enim animas pias Deus tentari permittit de iis quæ non
amant.*] Quæcumque enim diligo ⁊ de his libenter loquor & audio;
atque talium imagines mecum ad domum reporto. Sed beatus ille ho-
mo, qui propter te, Domine, omnibus creaturis licentiam abeundi tri-
buit ⁊ qui naturæ vim facit, & concupiſcentias carnis fervore ſpiri-
tûs crucifigit: ut ſerenatâ conſcientiâ puram tibi orationem offerat ⁊
dignúſque ſit Angelicis intereſſe choris: omnibus terrenis foris & intùs
excluſis.

*De oratione mentali præcipuè hîc loquitur; quæ minus obnoxia eſt diſtrac-
tionibus quàm vocalis. Mentalis enim, ut plurimum animi partus eſt; vocalis
verò eſt ſimplex recitatio cum elevatione mentis in Deum.*

LECTIO UNDECIMA.

De Paradiſi gloria eligenda: & vita ſpirituali amplectenda. De contemptu omnis temporalis honoris. De deſiderio æternæ vitæ: & quanta ſint certantibus bona promiſſa.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

*MAnete in me; & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum
à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego*

ſum vitis, vos palmites ; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Joan. cap. 15. v. 4.

Pater quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum ; ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum ; ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo: & ſedeatis ſuper Thronos judicantes duodecim Tribus Iſraël. Luc. cap. 22. verſ. 28.

Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis: ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Epiſt. ad Rom. cap. 8. v. 18.

Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes ; & infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus ; & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Epiſt. ad Cor. 1. cap. 1. v. 27.

Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis: ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Matt. cap. 25. v. 21.

Hæc verba innuunt ; 1. Chriſtum quàm maximè deſiderare ut cæleſtis gloriæ particeps efficiaris ; quandoquidem tanta cum charitate te invitat, ut in illo permaneas: ac vitæ tuæ ſuſtentaculum ſe futurum eſſe pollicetur. 2. Id igitur in tuo poſitum eſſe arbitrio, ac pergratum illi futurum ſi eam elegeris: in qua ipſe tibi exhibere gloriam ſuam tantoperè deſiderat. 3. Labores hujus vitæ ultrò ſuſceptos vel de manu ejus exceptos: pro magnis lucris eſſe æſtimandos. 4. Mundi honores ac quicquid pretioſum reputat: prorsùs eſſe contemnendos cùm à Deo contemnantur. 5. Eum denique qui in Chriſtianæ militiæ laboribus in modico fidelis fuerit: in æternum Domini ſui gaudium intraturum. Utriuſque Doctoris ea de re audi ſententiam.

Ex Introductione Libro 1. cap. 17.

Meditatio nona. Per modum electionis & optionis Cæleſtis gloriæ.

Præludia.

1. *Imaginare te Deo præſentem eſſe.*
2. *Humilia te coram illo, rogáque ut tibi cogitanda inſpiret.*

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

Conſidera, & imaginare, te in aperto campo ſolam cum Angelo tuo cuſtode ; uti olim junior Tobias in Rages Medorum proficiſcens, agere

agere ac verſari: cúmque tibi è terra ſursùm Cœlum apertum, cum omnibus voluptatibus & deliciis, in meditatione de cœlo, quam jam inſtituiſti, delineatis oſtendete. Infernè verò cum tibi infernum patentem, cum omnibus iis tormentis, quæ in meditatione de inferno deſcriptæ ſunt: demonſtrare. Ubi ergo ſic te coram Angelo tuo Cuſtode conſtitutam & genuflexam imaginata fueris ⁊ [*Memento eorum quæ tibi notata fuerunt: circa uſum imaginationis, in præcedenti Lectione.*

Primò, cogitá verè te mediam inter cœlum & infernum conſtitutam eſſe: & tàm illud, quàm hunc, ad te admittendam patêre, pro electione quam ipſa facies.

Secundò, conſidera, electionem alterutrius, quam quis hoc in mundo fecerit: æternùm in altero duraturam.

Tertiò, tametſi utrumque ad te admittendam pateat ⁊ prout quidem tu optionem factura es; Deum tamen, qui paratus eſt aut hunc tibi dare ex juſtitia ⁊ aut illud ex miſericordia ſua: deſiderio quodam incredibili deſiderare, ut cœlum eligas. Quin & Angelum tuum cuſtodem omnimodè hùc te propellere ⁊ mille tibi à Dei parte gratias, mille ſubſidia, quorum ope in cœlum aſcendere poſſis: offerendo.

Quartò, Dominus noſter Jeſus Chriſtus è ſummo cœlorum eâ quâ eſt benignitate te aſpicit: & quàm blandiſſimè invitat dicens. Intra dilecta anima mea, in requiem æternam ⁊ conjice te intra bonitatis meæ brachia: quæ immortales illas delicias ex amoris ſui abundantia tibi præparavit. Contemplare quoque internis oculis tuis beatiſſimam Virginem Deiparam, maternè te invitantem ac dicentem ⁊ Eia, dilecta mea, noli filij mei delicias aſpernari: & tot ſuſpiria mea, quæ tui cauſa, æternam ſalutem tuam unà cum ipſo cupidiſſimè deſiderans emitto, parùm morari. Vide etiam ſanctos te ſtudioſè exhortantes, & tot ſanctarum animarum milliones, te blandè amicéque invitantes, adeò nihil videre deſiderantes quàm ut cor tuum cum ſuo aliquando conjunctum ſit: quò junctis animis Deum in omne ævum dilaudetis ⁊ tibíque certò aſſeverantes, viam cœli non tam eſſe arduam ac difficilem: quàm eam mundus delineat ac comminiſcitur. Eia age, inquiunt, dilectiſſima ⁊ quiſquis viam devotionis, quâ nos hùc aſcendimus, intimè perſpexerit: certè per delicias mundanis deliciis incomparabiliter ſuaviores, ad haſce nos delicias perveniſſe comperiet. [*In præſenti vita jam piæ animæ ſentiunt: interiores mentis conſolationes mundanas omnes voluptates ſuperare.*]

Quintò, ex hoc jam & in æternum, te deteſtor, inferne ⁊ tua deteſtor tormenta & ſupplicia: infortunatam & infelicem tuam deteſtor æternitatem ⁊ atque in primis æternas illas blaſphemias, & execrandas maledictiones: quas perpetim in Deum meum evomis. Et cor atque animam meam verſus te, ô pulchrum cœlum, æterna gloria, felicitas duratura, convertens ⁊ æternùm & irrevocabiliter domicilium & habi-

taculum meum in pulchris ac ſacris domibus tuis : atque in ſanctis & deſiderabilibus tabernaculis tuis ſeligo. Laudo & benedico , Deus meus, miſericordiam tuam ; & oblationem, quam mihi facere digna-ris ; admitto. Admitto, ô Jeſu, Salvator meus, æternum amorem tuum ; & acquiſitionem loci & domicilij alicujus , quam mihi in cœleſti illa Jeruſalem comparâſti , ratam habeo ; & certè non propter aliud quid, quàm ut te æternùm amem & jugiter benedicam.

Sextò , admitte favores, obſequia & benevolentiam, quam Deipara Virgo & ſancti tibi offerunt ; promitte illis : contento curſu & rectà ad eos te properaturam. Manum quoque tuam ad Angelum Cuſtodem, ut te eódem conducat , extende : & animam tuam ad electionem hanc faciendam , excita.

Ex Introductione Libro 1. *capite* 18.

Meditatio decima. Per modum electionis & optionis : quâ anima vitam devotam ſibi deligit.

PRÆLUDIA.

1. *Conſtitue te in Dei conſpectu.*
2. *Humilia te coram ipſo, ejuſque opem poſtula.*

CONSIDERATIONES ET PUNCTA.

PRimò, finge te rursùs cum Angelo tuo cuſtode ſolam aperto in campo agere ; & ad latus ſiniſtrum videre te dæmonem, in magno quodam throno ſublimè elevato ſedentem ; plurimis ſpiritibus infernalibus ſtipatum ; in circuitu autem ejus permagnam mundanorum hominum multitudinem ; qui omnes capite denudato ipſum ut Dominum agnoſcant : eique velut clientes homagium præſtent, hi quidem hoc, illi illo peccato. Vide omnium horum infelicium abominabilis hujus Regis clientium & aulicorum agendi modum. Vide , ut alij quidem odio, invidiâ, iracundiâ rabiant & effetaſcant ; alij ſe invicem occidant ; alij quò opes coacervent , ſordidi, luridi, cogitabundi ſint & afflictim ſatagentes ; alij in vanitatem toti intendant, & ſemper recreationem & voluptatem conſectentur, ſed quæ inutilis ac vana ſit ; alij denique in belluïnis ſuis affectibus & appetitibus ſordeſcant , perdantur , & velut computreſcant. Vide , ut omnes hi requiem nullam habeant ; nullo ferantur ordine : ſed geſtu modóque incondíto. Vide ut ſe mutuò contemnant : & nonniſi ficto ſimulatóque ſe invicem amore diligant. Videbis ergò hîc calamitoſam & infelicem quamdam rempublicam ; cui

maledictus hic Rex tyrannicè præſit: ut non poſſis ejus commiſeratione non tangi.

Secundò, ad dextrum latus conſpice Jeſum Chriſtum crucifixum, Patrem ſuum intimo & cordiali cum amore pro miſellis illis cacodæmonis clientibus deprecantem, ut tyrannico hoc egredi poſſint imperio: & eos è contra ad ſe vocantem & invitantem. Conſpice prætereà ingentem piorum & devotorum hominum multitudinem: unà cum ſuis Angelis cuſtodibus ipſum circumſtantium. Conſidera quoque regni hujus devotionis pulchritudinem. Quàm enim jucundum & volupe eſt, videre turbam illam virginum, virorum æquè ac fœminarum liliis candidiorem, ac ſocietatem illam viduarum, ſacrâ quadam mortificatione & humilitate plenarum? Vide item illam multorum conjugatorum tam amicè & jucundè, & tamen mutuò cum honore, inter ſeſe viventium: (quod certè ſine magna quadam dilectione fieri non poteſt) claſſem. Vide, ut devotæ illæ animæ domûs ſuæ exterioris curam cum interiori conjungant: & amorem mariti cum amore ſponſi cœleſtis côpulent. Oculos tuos per omnia circumfer, & in omnibus ſanctum, ſuavem, & amabilem quemdam agendi modum & ſchema notabis: & eos omnes Domini verbis quàm attentiſſimè auſcultantes. Univerſos porrò ita affectos: ut eum in cordis ſui meditullio infixum habere vellent.

Gaudent illi quidem, ſed gaudio gratioſo: charitativo & optimè ordinato. Mutuò ſeſe diligunt; ſed amore ſacro & puriſſimo. Quotquot autem, in devota hac turba, anguſtiantur, & affliguntur, non multùm proptereà contriſtantur: aut à debito mentis ſtatu, aut modeſtia dimoventur. Vide denique oculos Domini, ut ipſe eos conſoletur: utque viciſſim illi omnes ſimul ad ipſum aſpirent.

Tertiò, jam inde ex hoc quidem die Satanam & execrabilem & deteſtandam ejus catervam per bonos affectus & propoſita, quos jam côncepiſti, deſeruiſti; nondum tamen ad Regem Jeſum perveniſti, nec beatæ & Sanctæ ejus devotorum ſocietati te adjunxiſti; ſed ſemper inter utrumque ducem, & in medio te continuiſti.

Quartò, Deipara Mater unà cum S. Joſepho, S. Ludovicus Rex, S. Monica, & alij plurimi eorum qui in mundo vixêre: te invitant & animum addunt.

Quintò, Rex ipſe crucifixus proprio te nomine compellans: *Veni,* inquit, *dilecta mea, veni ut coronem te.*

ELECTIO.

Primò, nunquam exinde amplius me, ô munde & caterva abominabilis: ſub tuis ſignis videbis. In perpetuum, ſin ul & ſemel; vanitates & inſanias tuas falſas deſerui. Abrenuntio tibi, ô Rex ſuperbiæ, Rex infelicitatis, ſpiritus infernalis: cum omnibus pompis tuis vanis, & cum omnibus operibus te deteſtor.

Secundò ⁊ Ad te autem, ô dulciſſimè Jeſu, æternæ felicitatis & gloriæ Rex, convertens me: ex totis animæ meæ viribus te amplector, ex toto corde meo te adoro ⁊ amodò & in perpetuum te in Regem meum eligo: & inviolabili fide mea irrevocabile tibi homagium & obſequium præſto ⁊ meque ſanctarum legum & præceptorum tuorum obſervantiæ: obedientiæque ſubjicio.

Tertiò: te quoque ô ſanctiſſima Virgo, dilecta Domina mea ⁊ hodie in ducem eligo, ſub ſigna tua concedo: tibique me ſpecialem quamdam venerationem cultum, & honorem delaturam ſpondeo.

Tu autem, ô ſanctiſſime Angele Cuſtos, ſacræ huic ſocietati & catervæ me præſenta ⁊ neque me deſeras uſque dum ad beatum illud contubernium perveniam: cum quo in electionis meæ ſignum, dico, & ſemper dicam, *Vivat Ieſus, vivat Ieſus.*

Arcta eſt via quæ ducit ad cœlum: & humilis eſt ipſius janua. Humiliare ergò ſe debet qui vult per eam intrare ⁊ nec veri devoti, ac Chriſti amici eſſe poſſumus: niſi eum in præſenti vita ſecuti fuerimus per quaſcumque vias ei placuerit nos ducere. Monita ergò quæ hic tibi à Magiſtro traduntur, auſculta.

De contemptu omnis temporalis honoris. Lib. 3. de Imitatione. Cap. 41.

SALVATOR.

1. Fili noli triſtari ſi videas alios honorari & elevari: te autem deſpici & humiliari. Erige cor tuum ad me in cælum: & non contriſtabit te contemptus hominis in terris.

DISCIPULUS.

Domine in cæcitate ſumus: & vanitate citò ſeducimur. Si rectè me inſpicio ⁊ injuria mihi nunquam facta eſt ab aliqua creatura: unde nec juſtè habeo conqueri adversùm te.

2. Quia autem frequenter, & graviter peccavi tibi; meritò armatur contra me omnis creatura. Mihi igitur juſtè debetur confuſio, & contemptus; tibi autem laus, honor & gloria. Et niſi me ad hoc præparavero, quòd velim libenter ab omni creatura deſpici & relinqui, atque penitùs nihil videri ⁊ non poſſum interiùs pacificari & ſtabiliri: nec ſpiritaliter illuminari.

De deſiderio æternæ vitæ: & quanta ſint certantibus bona promiſſa. Lib. 3. de Imitatione. Cap. 49.

1. Fili cùm tibi deſiderium æternæ beatitudinis deſuper infundi ſentis, & de tabernaculo corporis exire concupiſcis ⁊ ut claritatem

meam ſine viciſſitudinis umbra contemplari poſſis; dilata cor tuum, & omni deſiderio hanc ſanctam inſpirationem ſuſcipe. Redde ampliſſimas ſupernæ bonitati gratias, quæ tecum ſic dignanter agit, clementer viſitat, ardenter excitat, potenter ſublevat; ne proprio pondere ad terrena labatis. Neque enim hoc cogitatu tuo aut conatu accipis, ſed ſolà dignatione ſupernæ gratiæ & divini reſpectus; quatenùs in virtutibus & majori humilitate proficias, & ad futura certamina te præpares: mihique toto cordis affectu adhærere, ac ferventi voluntate ſtudeas deſervire.

2. Fili ſæpe ignis ardet; ſed ſine fumo flamma non aſcendit. Sic & aliquorum deſideria ad cæleſtia flagrant: & tamen à tentatione carnalis affectus liberi non ſunt. Idcircò nec omninò purè pro honore Dei agunt: quod tàm deſideranter ab eo petunt. Tale eſt & tuum ſæpe deſiderium: quod inſinuaſti fore tam importunum. Non enim eſt hoc purum & perfectum: quod propria commoditate eſt infectum.

3. Pete non quod tibi eſt delectabile & commodum, ſed quod mihi eſt acceptabile atque honorificum, quia ſi rectè judicas: meam ordinationem tuo deſiderio & omni deſiderato præferre debes ac ſequi. Novi deſiderium tuum: & frequentes gemitus audivi. Jam velles eſſe in libertate gloriæ filiorum Dei, jam te delectat domus æterna, & cæleſtis patria gaudio plena: ſed nondum venit hora iſta, ſed eſt adhuc aliud tempus: ſcilicet tempus belli, tempus laboris & probationis. Optas ſummo repleri bono; ſed non potes hoc aſſequi modò. Ego ſum; expecta me donec veniat Regnum Dei.

4. Probandus es adhuc in terris: & in multis exercitandus. Conſolatio tibi interdum dabitur: ſed copioſa ſatietas non concedetur. *Confortare igitur: & eſto robuſtus*, tam in agendo, quàm in patiendo naturæ contraria. *Oportet te novum induere hominem; & in alterum virum mutari.* Oportet te ſæpe agere quod non vis; & quod vis oportet relinquere. Quod aliis placet proceſſum habebit: quod tibi placet ultrà non proficiet. Quod alij dicunt, audietur; quod tu dicis, pro nihilo computabitur. Petent alij, & accipient; tu petes, nec impetrabis.

Ioſue 1. 6. Eph. 4. 24. 1. Reg. 10. 6. & 9.

5. Erunt alij magni in ore hominum: de te autem tacebitur. Aliis hoc, vel illud committetur; tu autem ad nihil utilis judicaberis. Propter hoc natura contriſtabitur aliquando: & magnum, ſi ſilens portaveris. In his & ſimilibus multis probari ſolet fidelis Domini ſervus: qualiter ſe abnegare, & in omnibus frangere queat. Vix enim eſt aliud tale, in quo mori tantumdem indigeas, ſicut videre & pati quæ voluntati tuæ adverſa ſunt: maximè autem cùm diſconvenientia, & quæ minùs utilia tibi apparent, fieri jubentur. [*Hæc attentè obſerva, inde enim propriam voluntatem frangere: propriòque judicio renunciare edocèris.*] Et quia non audes reſiſtere altiori poteſtati, ſub dominio conſtitutus, ideò durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare; ac omne proprium ſentire mitotere.

6. Sed penſa, fili, horum fructum laborum, finem celerem, atque præmium nimis magnum ˥ & non habebis inde gravamen; ſed fortiſſimum patientiæ tuæ ſolamen. Nam & pro modica hac voluntate, quam nunc ſponte deſeris: habebis ſemper voluntatem tuam in cælis. Ibi quippe invenies omne quod deſiderare potueris. Ibi aderit tibi totius facultas boni ſine timore amittendi. Ibi voluntas tua una ſemper mecum: nihil cupiet extraneum vel privatum. Ibi nullus reſiſtet tibi ˥ nemo de te conqueretur: nemo impediet, nihil obviabit. Sed cuncta deſiderata ſimul erunt præſentia, totúmque affectum tuum reficient: & adimplebunt uſque ad ſummum. Ibi reddam gloriam pro contumelia perpeſſa ˥ pallium laudis pro mœrore; pro loco noviſſimo ſedem Regni in ſæcula. Ibi apparebit fructus obedientiæ ˥ gaudebit labor pœnitentiæ; & humilis ſubjectio coronabitur glorioſè.

7. Nunc ergò inclina te humiliter ſub omnium manibus: nec ſit tibi curæ, quis hoc dixerit vel juſſerit. Sed hoc magnoperè curato ˥ ut ſive prælatus, ſive junior, aut æqualis, aliquid à te expoſcerit, vel innuerit; pro bono totum accipias, & ſincerâ voluntate ſtudeas adimplere. Quærat alius hoc, alius illud; glorietur ille in illo, & iſte in iſto, laudetúrque millies mille ˥ tu autem nec in iſto, nec in illo; ſed in tuiipſius gaude contemptu, & in mei ſolius beneplacito ac ho-
Phil. 1. 20. nore. Hoc optandum eſt tibi ˥ *ut ſive per vitam, ſive per mortem; Deus ſemper in te glorificetur.*

LECTIO DUODECIMA.

De Confeſſione Generali: & de ſolemni proteſtatione facienda ſerviendi Deo. De abnegatione noſtri facienda ˥ & Imitatione Chriſti Crucis portantis: & quòd omnis ſollicitudo in Deo ſtatuenda ſit.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

QUÆ procedunt de ore, de corde exeunt ˥ & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem ˥ non lotis autem manibus manducare: non coinquinat hominem. Matt. cap. 15. v. 18.

Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus ˥ ligatus pedes & manus inſtitis: & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis IESVS: ſolvite eum, & ſinite abire. Joan. cap. 11. v. 43.

Multi credentium veniebant : confitentes , & annunciantes actus ſuos. Act. cap. 19. verſ. 18.

IESUS , ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem, populum : extrà portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extrà caſtra : improperium ejus portantes. Non enim habemus hìc civitatem permanentem : ſed futuram inquirimus. Epiſt. ad Heb. cap. 13. v. 12.

Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me: non eſt me dignus. Matt. cap. 10. v. 38.

Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergò ſolliciti eſſe in craſtinum ⁏ Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi: ſufficit enim diei malitia ſua. Matt. cap. 6. v. 33.

Hæc Sacri Textûs verba demonſtrant 1. Cordis puritatem quam Deus à te poſtulat obtineri tantummodo poſſe : per Sacramenti pœnitentiæ remedium, quod in Eccleſia ſua inſtituit. 2. Sicut exteriùs Lazarum verbo ſuſcitavit ⁏ ita gratiæ ipſius operatione peccatorem interiùs ſuſcitari : ſed peccatorem per impenſam à Sacerdote abſolutionem ſolui, ſicut ab Apoſtolis ſolutus eſt Lazarus.. 3. Juſtitiæ Dei in hac vita ſatisfaciendum eſſe ad exemplum Chriſti: qui extra civitatem ductus fuit, ut ibi immolaretur. 4. Crucem eſſe amplectendam : ſi velimus inter Chriſti ſequaces numerari. 5. Denique omne ſtudium, ſollicitudinémque noſtram eſſe conſtituendam in quærendo Regno Dei : in quem, omnem ſollicitudinem noſtram projicere debemus per perfectam in eum fiduciam. Utriuſque Doctoris ea de re audi ſententiam.

Ex Introductione. Lib. 1. cap. 19. Quomodo Confeſſio Generalis inſtituenda ſit.

HÆ ſunt igitur, cariſſima Philothea, meditationes propoſito & intentioni noſtræ neceſſariæ ⁏ quas ubi abſolveris & meditata fueris ; intrepidè in ſpiritu humilitatis generalem tuam confeſſionem inſtituere incipe. Hoc unum porrò hìc te rogo : ne ullo inani timore turberis aut anxiêris. Scorpio, dum ferit, venenatus eſt; at in oleum liquatus, præſtans eſt adverſus proprium morſum & aculeum antidotum ac remedium. Peccatum non aliter probroſum & infame eſt, niſi dum admittitur ⁏ at in confeſſionem & pœnitentiam jam converſum : honorabile & ſalutare eſt. Contritio quippe & confeſſio tam ſunt ſalutares ⁏ tàmque benè redolentes : ut peccati turpitudinem erádant, & illius fœtorem tollant. Simon Leproſus Mariam Magdalenam dicebat eſſe peccatricem ⁏ at non ſic Salvator : nec jam de commiſſis peccatis, ſed tantùm de unguento quod effundit déque magnitudine charitatis ejus loquitur. Si verè humiles ſimus, Philothea, infinitè, nobis peccatum noſtrum diſciplicebit : quòd Deus per ipſum offendatur,

at ejuſdem accuſatio ſuavis nobis erit & jucunda : quòd per ipſam Deus honoretur. Alleviamentum quoddam in morbo eſt malum quo premeris : medico minutim detegere & aperire. Cùm ergò ante Patrem tuum ſpiritualem veneris , in monte te Calvariæ agere , & ſub Jeſu Chriſti crucifixi pedibus conſiſtere fingito , cujus pretioſus Sanguis undequaque effluit & exuberat : ut te ab iniquitatibus tuis emundet ac lavet. Nam tametſi ipſiſſimus Salvatoris Jeſu Sanguis non ſit : eſt tamen Sanguinis ejus effuſi meritum , qui pœnitentes circum confeſſionalia abundantiſſimè irrigat : lavat & reſpergit. Benè igitur ac ſincerè cor tuum adaperi : ut ſic peccata per confeſſionem eodem egredi facias. Nam quantùm illa egredientur , tantùm pretioſum paſſionis divinæ meritum illùc ſubingredietur : quò benedictione id repleat.

Verùm ſimpliciter , candidè & ſincerè animi tui ſtatum declara & detege , & ubi ſemel ritè confeſſa fueris ; conſcientiam tuam quieta & tranquilla. Hoc facto , attende ſedulò ad monita & præſcripta ſervi & Vicarij Dei , & dic in corde tuo : *Loquere Domine, audit ancilla tua.* Et ſanè, ò Philóthea , Deum in eo loquentem audis & auſcultas : cum ipſe Vicariis ſuis dicat , *Qui vos audit , me audit.* Accipe deinde in manus ſequentem proteſtationem , quâ contritionem tuam terminabis & concludes ; quàm priùs perpenderis & conſideràris oportet. Attentè porrò, & quàm poteris affectuoſiſſimè & cordialiſſimè eam legito.

Ibidem Cap. 20. Authentica proteſtatio , ad propoſitum Deo ſerviendi in anima ſculpendum : & pœnitentiæ actus concludendos.

Ego ſubſcripta , & coram Deo æterno , atque univerſa curia cœleſti conſtituta , poſtquam immenſam divinæ bonitatis miſericordiam , quam in me indigniſſimam & miſerrimam creaturam exhibuit : dum me è nihilo creavit , hactenus conſervavit , ſuſtinuit , à tot periculis liberavit , tótque beneficiis cumulavit , conſideravi : atque imprimis poſt quam incomprehenſibilem illam benignitatem & clementiam perpendi , quâ ſuaviſſimus ille Deus tam benignè me hactenus in meis iniquitatibus ſuſtinuit , toties támque amicè bona mihi inſpiravit, me invitans : ut vitam meam emendarem , ac tam patienter me ad pœnitentiam & reſipiſcentiam expectavit : idque uſque ad hunc N. ætatis meæ annum , etſi ego me ex oppoſitò tam ingratam, perfidam & infidam ei exhibuerim , ut & converſionem meam differendo, & ejus gratias negligendo : eum tam imprudenter, ſtolidè inconſultéque offenderim. Poſtquam denique conſideravi, me tametſi in die quo ſacrum baptiſma recepi , tam feliciter ac ſanctè Deo meo oblata & dedicata fuerim, quò ejus filia fierem ; toties & toties contra profeſſionem

hem tunc nomine meo factam ᒧ tam perfidè & indignè ſpiritum meum profanâſſe & violâſſe, eum contra divinam Majeſtatem uſurpando & impendendo; jam tandem intra meipſam reverſa, & corde ac ſpiritu coram juſtitiæ divinæ throno proſtrata ᒧ me legitimè ritéque criminis læſæ Majeſtatis divinæ accuſatam & convictam & mortis ac Paſſionis Jeſu Chriſti ream fateor, agnoſco & aſſero: ídque ob peccata quæ commiſi ᒧ propter quæ illum mori, & crucis tormentum ſubire oportuit: adeò ut prophereà digna ſim quæ in æternum peream & damner.

Sed ad infinitæ Dei hujus æterni miſericordiæ thronum me denuò convertens ᒧ poſtquam ſcilicet jam ex toto corde, & omnibus viribus meis, præteritæ vitæ ſcelera ſum deteſtata: ſupplex eorum veniam, remiſſionem & indulgentiam ᒧ cum integra & totali criminis mei abolitione, rogo & depoſco: ídque in virtute mortis & Paſſionis ejuſdem Domini & Redemptoris animæ meæ ᒧ quâ tanquam unico ſpei meæ fundamento nixa: ſacram fidelitatis profeſſionem & Sacramentum, Deo meo olim in baptiſmo nomine meo factam ᒧ rursùs redintegro ac renovo: diabolo, mundo & carni renuntians ᒧ & pravas illorum ſuggeſtiones, vanitates, & concupiſcentias, pro toto hujus vitæ, & totius æternitatis tempore deteſtans; méque ad benignum & clementem Deum meum convertens ᒧ deſidero, propono, decerno, & irrevocabiliter ſtatuo, & modò, & in æternum ei ſervire, eúmque diligere: & hunc ad finem ei ſpiritum meum cum omnibus ſuis facultatibus ᒧ animam cum omnibus potentiis ᒧ cor cum omnibus affectibus: corpus denique meum cum omnibus ſenſibus ſuis do, offero, & dédico. Promitto quoque & ſpondeo ᒧ nullâ me poſthàc ampliùs Eſſe mei portione: adverſus divinam ejus voluntatem, & ſupremam Majeſtatem, (cui me in ſpiritu ſacrifico & immolo) abuſuram. Ut ſic illi in perpetuum, fida, obediens, & fidelis creatura ſim: nunquam ut hoc meum propoſitum revocare, ac dictorum pœnitere velim. Sed, eheu! ſi fortè, vel inimici ſuggeſtione, vel ex aliqua infirmitate humana ᒧ aliquapiam in re huic meo propoſito & oblationi me contingeret contrarium facere & contravenire: jam inde ab hoc tempore proteſtor & propono, mediante Spiritûs Sancti gratia ᒧ quam primùm ac percepero lapſum, reſurgere: denuò me ad divinam miſericordiam ſine ulla mora ac dilatione convertendo. Hæc mea eſt voluntas, mea intentio, & inviolabile & irrevocabile propoſitum meum ᒧ quod ſine ulla reſtrictione aut exceptione, coram Deo meo, & in conſpectu Eccleſiæ triumphantis, atque in facie Eccleſiæ militantis matris meæ, quæ hanc meam declarationem & profeſſionem audit & excipit: in perſona ejus qui velut illius miniſter, in hac actione me audit & auſcultat, profiteor & confirmo. Tu autem, ô æterne, omnipotens & optime Deus meus ᒧ Pater, Fili, & Spiritus Sancte: hoc in me propoſitum confirmare, & cordiale hoc & interius officium atque obſequium meum in odorem ſuavitatis admittere di-

gnare. Et ſicuti ejus faciendi animum ac voluntatem mihi dignatus es inſpirare; ita quoque, ut mihi robur & gratiam ad ipſum perficiendum & adimplendum concedere digneris, ſupplex te rogo. Tu, ô Deus, es Deus meus, Deus cordis mei, Deus animæ meæ, Deus ſpiritûs mei: & ut talem te agnoſco & adoro, jam & in omnem æternitatem. *Vivat JESVS.*

Hac proteſtatione completâ: Chriſtum Ieſum tecum colloquium inſtituentem puta. Audi verba ejus; & ex corde ei reſponde: quod tibi hic ſuggerit eximius Magiſter.

Quòd nos ipſos abnegare: & Chriſtum Imitari debemus per crucem. Lib. 3. de Imitatione. cap. 56.

1. FILI quantùm à te exire vales; tantùm poteris in me tranſire. Sicut nihil foris concupiſcere internam pacem facit: ſic ſe interiùs relinquere Deo conjungit. Volo te addiſcere perfectam tui abnegationem in voluntate mea ſine contradictione & querela. [*Intellige ſine contradictione voluntatis; non verò naturæ. Alioquin à tentatione immunis eſſe deberes. At noſti id in humano non eſſe arbitrio; ſed à divina diſpoſi-*
Matt. 9. 9. *tione omninò pendere.*] *Sequere me: Ego ſum via, veritas, & vita.* Sine
Ioan. 14. 6. via non itur; ſine veritate non cognoſcitur; ſine vita non vivitur. Ego ſum via, quam ſequi debes; veritas cui credere debes: vita quam ſperare debes. Ego via inviolabilis; veritas infallibilis: vita interminabilis. Ego ſum rectiſſima via; veritas ſuprema: vita vera, vita beata, vita increata. Si manſeris in via mea, *cognoſces veritatem; & veritas libe-*
Ioan. 8. 51. *rabit te*; & apprehendes vitam æternam.

Mat. 19. 17. 2. *Si vis ad vitam ingredi: ſerva mandata.* Si vis veritatem agnoſcere;
Ibid. 21. crede mihi. *Si vis perfectus eſſe, vende omnia; Si vis eſſe diſcipulus meus,*
Luc. 9. 23. *abnega temetipſum.* Si vis beatam vitam poſſidere: præſentem vitam contemne. Si vis exaltari in cælo: humilia te in mundo. Si vis regnare mecum: porta crucem mecum. Soli enim ſervi crucis inveniunt viam beatitudinis, & veræ lucis.

DISCIPULUS.

3. Domine JESU CHRISTE, quia arcta erat vita tua, & mundo
Mat. 10. 24 deſpecta: dona mihi te cum mundi deſpectu imitari. *Non enim major*
Ioan. 13. 16. *eſt ſervus Domino ſuo: nec diſcipulus ſuper Magiſtrum.* Exerceatur ſervus tuus in vita tua: quia ibi eſt ſalus mea, & ſanctitas vera. Quidquid extra eam lego, vel audio: non me recreat, nec plenè delectat.

SALVATOR.

Ioan. 13. 17. 4. Fili quia hæc ſcis, & legiſti omnia: beatus eris, ſi feceris. *Qui*
Ioan. 14. 21. *habet mandata mea, & ſervat ea; ipſe eſt qui diligit me: & ego diligam*

eum ; *& manifeſtabo ei meipſum: & faciam eum conſedere mecum in Regno Patris mei.* Eph. 2. 6. Apoc. 3. 21.

Discipulus.

Domine igitur ſicut dixiſti & promiſiſti; ſic utique mihi promereri contingat. Suſcepi de manu tua crucem; portabo eam uſque ad mortem ſicut impoſuiſti mihi. Verè vita boni monachi crux eſt: ſed dux paradiſi. Incœptum eſt: retrò abire non licet; nec relinquere oportet.

5. Eia fratres, pergamus ſimul, Jesus erit nobiſcum ; propter Jesum ſuſcepimus hanc crucem: propter Jesum perſeveremus in cruce. Erit adjutor noſter: qui eſt dux noſter & præceſſor. En Rex noſter ingreditur ante nos: qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter: nemo metuat terrores; *ſimus parati mori fortiter in bello; nec inferamus* 1.Ma.7. 2. *crimen gloriæ noſtræ, ut fugiamus* à cruce. 1.Ma.9. 10

Quòd omnis ſollicitudo in Deo ſtatuenda ſit. Lib. 3. de Imitatione. Cap. 17.

Salvator.

1. Fili ſine me tecum agere quod volo: ego ſcio quid expediat tibi. Tu cogitas ut homo ; tu ſentis in multis: ſicut humanus ſuadet affectus.

Discipulus.

Domine verum eſt quod dicis. Major eſt ſollicitudo tua circa me: quàm omnis cura, quam ego gerere poſſim pro me. Nimis enim caſualiter ſtat: qui non projicit omnem ſolicitudinem ſuam in te. Domine dummodò voluntas mea recta & firma ad te permaneat: fac de me quidquid tibi placuerit. Non enim poteſt eſſe niſi bonum quidquid de me feceris.

2. Si me vis eſſe in tenebris, ſis benedictus ; & ſi me vis eſſe in luce: ſis iterùm benedictus. Si me dignaris conſolari, ſis benedictus ; & ſi me vis tribulari: ſis æquè ſemper benedictus. [*Sanctæ animæ indifferentia ad quæcumque Deus voluerit hìc dilucidè tibi explicatur* ; *& illa eſt veluti cardo in quo univerſa alterius Magiſtri tui documenta verſantur: & veluti ſcopus ad quem tendunt.*

Salvator.

Fili ſic oportet te ſtare: ſi mecum deſideras ambulare. Ita promptus eſſe debes ad patiendum: ſicut ad gaudendum. Ita libenter debes eſſe inops & pauper: ſicut plenus & dives.

Discipulus.

3. Domine libenter patiar pro te quidquid volueris venire ſuper me. Indifferenter volo de manu tua bonum & malum ; dulce & amarum ; lætum & triſte ſuſcipere; & pro omnibus mihi contingentibus

gratias agere. Cuſtodi me ab omni peccato, & non timebo mortem nec infernum: dummodò in æternum me non projicias; nec deleas me de Libro Vitæ: non mihi nocebit quidquid tribulationis venerit ſuper me.

Hæc duo capita ſummatim continent quicquid ſciendum & agendum eſt: ad ſupremum perfectionis apicem obtinendum. Liquidò etiam tibi explicant; quid de Deo & de teipſo ſentire debeas; & ab Angelica potiùs quàm ab humana mente effluxiſſe videntur.

LECTIO TERTIA DECIMA.

De concluſione prioris purgationis. De affectibus ad peccata venialia deponendis: & de pace animæ, quæ in ſola affectionum mortificatione invenitur.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

D*IXIT autem ad illam (mulierem:) remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: quis eſt hic qui etiam peccata dimittit? dixit autem ad mulierem; fides tua te ſalvam fecit: vade in pace.* Luc. cap. 7. v. 48.

Nemo poteſt duobus Dominus ſervire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis ſervire Deo, & Mammone. Matt. cap. 6. v. 24.

Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obedítis; ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam? Epiſt. ad Rom. cap. 6. v. 16.

Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato: viventes autem Deo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Epiſt. ad Rom. cap. 6. v. 11.

Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ; ſobrij perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Ieſu Chriſti: quaſi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis; ſed ſecundum eum qui vocavit vos, ſanctum: & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis. Quoniam ſcriptum eſt: ſancti eritis quoniam ego ſanctus ſum. Epiſt. 1. Pet. cap. 1. v. 13.

Fructus autem ſpiritus eſt: Charitas, gaudium, pax, patientia; benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo; fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hujuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti: carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Epiſt. ad Gal. cap. 5. v. 22.

Ex his verbis innoteſcit 1. Quâ benignitate animas ad ſe converſas

& penitentes Chriſtus excipit ˥ doloremque veræ & amoroſæ pœnitentiæ: omnia ab illo obtinere. 2. Quòd duobus Dominis ſervire nequeas: Deo videlicet ac tibi ipſi, vel mundo. 3. Quòd quamdiù peccato adhærebis: nunquam ipſi liberâ mente ſervire valeas. 4. Deo ſoli eſſe vivendum. 5. Denique paſſiones eſſe penitùs mortificandas: ſi fructus ſpiritûs deguſtare & verè Chriſti eſſe deſideres. Quod ea de re Doctores tui prolaturi ſunt: attentiùs auſculta.

Ex Introductione Lib. 1. *cap.* 21. *vbi agitur de concluſione primæ purgationis.*

HAc proteſtatione jam factâ ˥ attende, & cordis tui aures aperi: ut abſolutionis tuæ, quam ipſemet animæ tuæ Salvator, in miſericordiæ ſuæ throno conſidens ˥ in cœlo, coram omnibus Angelis & Sanctis, eo ipſo tempore, quo illius nomine Sacerdos hic in terra te abſolvit, pronuntiabit: ſententiam ac verbum in ſpiritu excipias & audias. Adeò ut omnis hæc beatorum turba, de tua felicitate congaudens & exultans ˥ ſpirituale incomparabilis cujuſdam lætitiæ canticum cantatura ſit: atque univerſi pacis & ſocietatis oſculum cordi tuo, jam gratiæ reſtituto & ſanctificato daturi ſint.

En, cariſſima Philothea, mirabile quoddam pactum ˥ quò nimirum felicem cum divina ejus Majeſtate conventionem & contractum inis. Nam teipſam ei dando, illam tibi acquiris: uti & teipſam, in vitam æternam. Aliud ergò jam non reſtat, quàm ut calamum in manus accipiens ˥ proteſtationis tuæ actum libenter gratantérque obſignes; ac deinde altare adeas ˥ ubi Deus viciſſim tuam abſolutionem, & promiſſionem quâ tibi cœlum ſuum promittet, obſignabit & ſigillabit: ſemetipſum per Sacramentum ſuum, ut ſignaculum ſacrum ſuper cor tuum jam renovatum ponendo. Hoc pacto anima tua, Philothea, (ut mihi quidem videtur:) & à peccato, & ab omnibus peccati affectibus expurgabitur. At, quoniam hi affectus tùm propter infirmitatem, tùm propter concupiſcentiam noſtram, quæ mortificari quidem poteſt; at non mori, quamdiù hic in terra vivimus ˥ in anima facilè repullulant & renaſcuntur; conſilia quædam & documenta tibi dabo ˥ quæ ubi ritè obſervâris, & à peccato mortali, & ab omnibus ejuſdem affectibus in poſterum te præſervabunt: ne quem illud deinde unquam in corde tuo locum habeat. [*Nota & obſerva hîc exprimi, quæ toto vitæ tempore ſentienda & expugnanda tibi ſunt; nec ampliùs inde deterreri debeas aut ſtupere, poſtremâ die, quàm primâ. Militia enim eſt vita hominis ſuper terram.*] Et, quoniam hæc ipſa documenta etiam in perfectiore quadam purificatione locum habent ˥ hinc priuſquàm illa tibi proponam: aliquid tibi de perfectiore hac puritate, & perfectione ad quam te cupio conducere, volo proponere.

Ibidem cap. 22. ubi agitur de affectibus erga peccata venialia expugnandis & eliminandis.

QUantò dies fit clarior, & altiùs aſcendit: tantò in ſpeculo vultûs noſtri maculas & nævos clariùs conſpicimus. Sic, quò internum Spiritûs Sancti lumen conſcientias noſtras magis illuſtrat & illuminat; eò diſtinctiùs & clariùs peccata, inclinationes, & imperfectiones, quæ impedire nos poſſunt quominùs ad veram devotionem pertingamus: inibi perſpicimus. Et idem lumen, quod nos maculas has & nævos videre facit; ſimul in nobis deſiderium quoddam eoſdem tollendi: nóſque ab iis expurgandi excitat. [*Hic obſerva lumen mentis intelligentiámque in via ordinaria ſenſim creſcere; & quod à fine ad finem non attingitur: niſi pedetentim ambulando.*]

Ergò ejus adminiculo, cariſſima Philóthea; habere videbis in anima præter peccata mortalia, & affectus erga eadem (à quibus jam per exercitia ſuperiùs aſſignata expurgata es:) multas etiam inclinationes & affectus erga peccata venialia. Non dico, te peccata venialia detecturam & perſpecturam: ſed, affectus & propenſiones erga eadem. Porrò magna eſt inter utrúmque differentia. Nam nunquam ex toto à venialibus puri & mundi eſſe poſſumus: ſaltem ut diù in hac puritate vivamus & maneamus. At poſſumus nullam erga venialia peccata propenſionem habere. [*Id ſemper intellige ſecundùm rationem & voluntatem.*] Etenim aliud eſt, ſemel aut iterùm è quadam animi hilaritate ac levitate, in parvi momenti re mentiri; aliud, in mendacio ſibi complacere: & erga hoc peccati genus affectum eſſe.

Dico ergò jam animam expurgandam eſſe ab omnibus quos erga peccata venialia habet affectibus; id eſt, voluntatem in aliquo peccati venialis genere ſponte permanendi & perſeverandi: voluntariè fovendam non eſſe. Et certè nimis quàm magna negligentia foret & ſocordia, ſponte noſtrâ rem adeò Deo diſplicentem; (uti eſt continua ei diſplicere volendi voluntas:) in conſcientia noſtra conſervare velle. Quoniam omne peccatum veniale, quantumvis parvum diſplicet Deo; tametſi uſque adeò ei non diſpliceat; ut ob ipſum nos damnare aut perdere velit. Si verò veniale peccatum ei diſpliceat; voluntas certè & affectus erga ipſum aliud non eſt: quàm quoddam divinæ ejus Majeſtati diſplicere volendi propoſitum. Fierine porrò poteſt, ut anima timorata & bona velit non modo Deo ſuo diſplicere; verùm etiam diſplicere ei gaudeat. [*Nota hanc mirabilem explicationem; & inde agnoſce ſingularem animi S. Doctoris tui facilitatem ac perſpicuitatem; quibus animas ad pietatem allicit, nudæ ſimpliciſque veritatis vinculis, ac nullo adhibito exaggerationis fuco.*

Affectus hi, Philothea, devotioni directè contrarij ſunt: uti affectus erga lethale charitati. Etenim ſpiritûs vires elanguidas reddunt; conſolationes divinas impediunt; tentationibus oſtium patefaciunt; & quamquam animam non occidant: eam tamen valdè debilitant & ægrotam reddunt. *Muſcæ morientes*, ait ſapiens: corrumpunt & *perdunt ſuavitatem unguenti*. Dicere vult, muſcas, dum unguento vix inſident, ſed ipſum nonniſi obiter & volitanter delibant; aliud non corrumpere quàm quod inde ſumunt: adeò ut quod reliquum eſt, integrum maneat. At, cum in unguento conſident & manent: ipſum deſtruere, depravare & inſipidum reddere. Ad eundem modum peccata venialia cum in animam devotam incidunt; ſiquidem diù in ea non remaneant: non multùm ei damni inferunt. At, ſi in illa per affectum, quem erga eadem concipit, diù remanent: unguenti, id eſt, ſanctæ devotionis, ſuavitatem haud dubiè ipſam amittere faciunt.

Araneæ apes non enecant, ipſarum tamen mel corrumpunt & deſtruunt; ipſarúmque favos telis ſuis prætextis irretiunt, ut ſuum illæ opus proſequi, & perficere nequeant: tùm verò id obtinet maximè, cùm in alveariis & circa favos illæ commorantur. Sic peccatum veniale animam quidem noſtram non occidit; devotionem tamen corrumpit, praviſque habitibus & propenſionibus uſque adeò animæ potentias intricat: ut charitatem illam promptam, in qua tamen ipſa ſita devotio eſt, amplius exercere non poſſit. Intelligendum verò hoc eſt: quando veniale peccatum ſtabilem in conſcientia noſtra per affectum, quo erga ipſum afficimur, ſedem figit. Nihil eſt, Philothea, parvum aliquod mendacium dicere; nihil eſt in verbis actibus, aſpectibus, veſtibus, ornamentis, &c. Aliqnantulùm decori ac debiti metas excedere: dummodo ſtatim atque araneæ illæ ſpirituales in conſcientiam noſtram irrepſêre, eas expellamus, & eliminemus, uti apes araneas corporales. At, ſi eas in cordibus noſtris ſedem figere permittamus: quin etiam libenter eas retinere, & ut multiplicentur gaudeamus; ſtatim & mel noſtrum deperditum: & conſcientiæ noſtræ alveare virulentiâ infectum videbimus & deſtructum. Sed iterùm dico & repeto; impar & diſſentaneum rationi eſt: animam generoſam gaudere Deo ſuo diſplicere; & pro voluptate ducere illius inimicam & adverſariam conſtitui, deſiderare: denique velle id quod illi novit moleſtum & inimicum eſſe.

Alter Magiſter adhuc enucleatius demonſtraturus eſt tibi; quanti momenti tibi ſit ut non ſolùm affectum ad peccata vel minima deponas; ſed etiam ut paſſiones tuas nullis exceptis mortificare ſtudeas.

De inordinatis affectibus. Libro 1. cap. 6. de Imitatione.

1. QUandocumque homo inordinatè appetit aliquid : ſtatim in ſe inquietus fit. Superbus,& avarus nunquam quieſcunt ⁊ pauper & humilis ſpiritu : in multitudine pacis converſantur. Homo qui necdum in ſe perfectè mortuus eſt, citò tentatur : & vincitur in rebus parvis, & vilibus. Infirmus in ſpiritu, & quodammodò adhuc carnalis, & ad ſenſibilia inclinatus ; difficulter ſe poteſt à terrenis deſideriis ex toto abſtrahere. Et ideò ſæpè habet triſtitiam cùm ſe ſubtrahit : leviter etiam indignatur, ſi quis ei reſiſtit.

2. Si autem conſecutus fuerit quod concupiſcit ⁊ ſtatim ex reatu conſcientiæ gravatur : quia ſecutus eſt paſſionem ſuam, quæ nihil juvat ad pacem, quam quæſivit. Reſiſtendo igitur paſſionibus invenitur vera pax cordis : non autem ſerviendo eis. Non eſt ergò pax in corde hominis carnalis ⁊ non in homine exterioribus dedito ; ſed in fervido & ſpirituali.

LECTIO QUARTA DECIMA.

De affectibus ad res inutiles deponendis : & de vana ſpe & elatione fugienda. Quòd privatus amor à ſummo bono maximè nos retardat ; de pura ac integra reſignatione ſui ad obtinendam cordis libertatem.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

SI quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & ſorores ⁊ adhuc autem & animam ſuam : non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. cap. 14. v. 26.

Qui amat animam ſuam, perdet eam ⁊ & qui odit animam ſuam in hoc mundo : in vitam æternam cuſtodit eam. Joan. cap. 12. v. 25.

Ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum : ſequar te quocumque ieris. Dixit illi Ieſus : vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Ait autem ad alterum : ſequere me. Ille autem dixit : Domine permitte mihi primum ire & ſepelire patrem meum. Dixitque ei Ieſus : ſine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos ; tu autem vade, & annuntia Regnum Dei. Luc. 9. v. 57.

Obſecro

Obſecro itaque vos Fratres per miſericordiam Dei; ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem: rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo; ſed reformamini in novitate ſenſûs veſtri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei. Epiſt. ad Rom. cap. 12. v. 1.

Igitur, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto; quæ ſurſum ſunt quærite: ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite: non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Epiſt. ad Coloſ. cap. 3. verſ. 1.

Hæc verba edocent te 1. Quanta ſit Divini Spiritûs puritas; quódque, quantò magis à terrenis diſcedemus: eò propinquiùs ad Deum accedemus. 2. Quòd ad perfectam animæ reformationem noſmetipſos oblviſci debemus; parùm curare de decoro illo quod mundus tanti æſtimat: ac potiùs gloriari de bonorum mundi privatione, quàm de poſſeſſione. 3. Divinæ voluntatis beneplacitum eſſe præ omnibus diligendum: eidémque agnoſcendæ & adimplendæ ſedulò incumbendum. 4. Dei tandem regimini ſe penitùs ſubdendum & derelinquendum: & à nobis veluti mundo mortuis ad cœleſtia ſolummodò aſpirandum. Audi quid hac de re te doceant ambo Magiſtri.

Ex Introductione Lib. 1. cap. 23. ubi agitur de affectu ad res inutiles & periculoſas effugando & pellendo.

OLim Nazaræi abſtinebant non ſolum omni quod inebriare poterat: ſed & uvis paſſis & omphacio. Non quod uvæ & omphacium inebrient; ſed quod periculum eſſet ne comedendo omphacium, uvarum comedendarum appetitus excitaretur: & uvas comedendo, muſti ac deinde vini bibendi cupido ſeſe inſinuaret. [*Quæ de ſecularibus oblectamentis hîc dicuntur: ad animi curioſitatem, nimiámque diſcendi, loquendique pruriginem: à Religioſis poſſunt applicari.*] Non dico autem, rebus his periculoſis nos uti non poſſe: ſed nunquam erga eaſdem ſine magno devotionis diſpendio poſſe affici. Cervi cùm nimium pingues fiunt, ſecedunt, & intra ſpelæa ſua ſeſe abdunt; probè gnari ſuam ſibi pinguedinem obeſſe & oneri eſſe; adeò ut, ſi fortè impeterentur & deprehenderentur, curſui inepti ſint. Cor hominis inutilibus, ſuperfluis & periculoſis hiſce affectibus ſeſe onerans; haud dubiè promptè, facilè, & expeditè ad Deum currere non poteſt: qui verus devotionis ſcopus eſt. Pueri impensè afficiuntur & inſaniunt in papiliones; & vix ullus id in ipſis improbat: eò quòd pueri ſunt. At ridi-

N

culum non eſt, ſed deplorandum; viros jam formatos & plenos ætate enixim & perditè in nugas adeò indignas ferri videre: uti ſunt ea quæ jam nominavi; quæ præterquam quòd inutilia ſunt, periculum creant: ſi in ipſorum conſectatione extra præſcriptos limites ferantur. Hos ergò affectus purges oportet, cariſſima Philothea; & licet illorum actus non ſemper devotioni adverſentur: affectus tamen ſemper ei pernicioſi & noxij ſunt.

Verùm ut ſecurim ad radicem amoris privati admoveas; ſtreulóſque ex affectu ad res inutiles pullulantes penitùs reſeces: ſequentia alterius Doctoris monita ad praxim deducere ſatage.

De vana ſpe & elatione fugienda. Lib. 1. de Imitatione Chriſti. Cap. 7.

1. VAnus eſt, qui ſpem ſuam ponit in hominibus, aut in creaturis. Non pudeat te aliis ſervire pro amore JESU CHRISTI: & pauperem in hoc ſæculo videri. Non ſtes ſuper teipſum: ſed in Deo ſpem tuam conſtitue. Fac quòd in te eſt; & Deus aderit bonæ voluntati tuæ. [*Ecce cooperatio gratiæ cœleſti quam Deus à te requirit; clarè expreſſa.*] Non confidas in tua ſcientia, vel cujuſquam aſtutia viventis: ſed magis in Dei gratia, qui humiles adjuvat, & de ſe præſumentes humiliat.

2. Non glorieris in divitiis, ſi adſunt; nec in amicis, quia potentes ſunt: ſed in Deo, qui omnia præſtat, & ſeipſum ſuper omnia dare deſiderat. Non te extollas de magnitudine, vel pulchritudine corporis: quæ modica infirmitate corrumpitur & defœdatur. Non placeas tibi-ipſi de habilitate, aut ingenio tuo: nec diſpliceas Deo, cujus eſt totum quidquid boni naturaliter habueris.

3. Non te reputes aliis meliorem: ne fortè coram Deo deterior habearis, qui ſcit, quid eſt in homine. Non ſuperbias de operibus bonis; quia aliter ſunt judicia Dei, quàm hominum: cui ſæpe diſplicet quod hominibus placet. [*Hinc diſce opera hominum ad lancem Evangelicæ Regulæ adducere; nec ea, ex quadam animi oblectatione quam ex ingenij perſpicuitate, ſcientia, & ejuſmodi dotibus percipis: æſtimanda eſſe.*] Si aliquid boni habueris; crede de aliis meliora: ut humilitatem conſerves. Non nocet, ſi omnibus te ſupponas: nocet autem plurimùm, ſi vel uni te præponas. Jugis pax cum humili: in corde autem ſuperbi zelus, & indignatio frequens.

Quòd privatus amor à ſummo bono maximè retardat.
Lib. 3. de Imitatione. Cap. 27.

SALVATOR.

1. FILI oportet te dare totum pro toto: & nihil tuiipſius eſſe. Scito quòd amor tuiipſius magis nocet tibi: quàm aliæ res mundi. Secundum amorem & affectum quem geris qualibet res plus vel minùs adhæret. Si fuerit amor tuus purus, ſimplex, & benè ordinatus: eris ſine captivitate rerum. Noli concupiſcere quod non licet habere. Noli habere quod te impedire: & libertate interiori poſſit privare. Mirum quòd non ex toto fundo cordis teipſum mihi committas; cum omnibus quæ deſiderare potes vel habere.

2. Quare vano mœrore conſumeris? Cur ſuperfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitum meum: & nullum patieris detrimentum. Si quæſieris hoc vel illud, & volueris eſſe ibi vel ibi propter tuum commodum, & proprium beneplacitum tuum magis habendum ⁊ nunquam eris in quietudine, nec liber à ſollicitudine; quia reperietur in omni re aliquis defectus, & in omni loco erit qui adverſetur.

3. Juvat ergò non quælibet res adepta, vel multiplicata exteriùs: ſed potiùs contempta & deciſa ex corde radicitùs. Quod non tantùm de cenſu æris & divitiarum intelligas ⁊ ſed de honoris etiam ambitu, ac vanæ laudationis deſiderio: quæ omnia tranſeunt cum mundo. [*Ea deſideria, intellige quæ voluntaria ſunt. Et obſerva ⁊ quòd cùm Deus Spiritus ſit: vult nos priùs purgare ⁊ & ab amore proprio & creaturarum vacuare: ut ſe nobis communicet.*] Munit parùm locus ſi deeſt ſpiritus fervoris ⁊ nec diù ſtabit pax illa quæſita forinſecùs: ſi vacat à vero fundamento ſtatus cordis ⁊ hoc eſt, niſi ſteteris in me; permutare te potes, ſed non meliorare. Nam occaſione orta & accepta: invenies quod fugiſti & ampliùs. [*Vides qualiter exteriorum conſolationum, quæ animum diſſipant, requiſitionem: moleſtiæ ac dolores illicò conſequantur.*

Oratio pro purgatione cordis.

DISCIPULUS.

4. CONfirma me Deus per gratiam Sancti Spiritûs. Da virtutem corroborari in interiori homine ⁊ & cor meum ab omni inutili ſolicitudine & angore evacuare: nec variis deſideriis trahi cujuſcumque rei vilis aut pretioſæ ⁊ ſed omnia inſpicere ſicut tranſeuntia: & me pariter cum illis tranſiturum. Quia *nihil permanens ſub ſole: ubi omnia vanitas, & afflictio ſpiritûs.* O quàm ſapiens qui ita conſiderat. *Eccl. 1. 11.*

5. Da mihi Domine cæleſtem ſapientiam, ut diſcam te ſuper omnia

quærere ac invenire ˥ ſuper omnia ſapere ac diligere : atque cætera ſecundùm ordinem ſapientiæ tuæ prout ſunt intelligere. [*Hunc locum nota ˥ & diſce qualiter æſtimationem & judicium tuum : regere debeas.*] Da prudenter declinare blandientem, & patienter ferre adverſantem ˥ quia hæc magna ſapientia non moveri omni vento verborum : nec aurem malè blandienti præbere Siréni. Sic enim incœptâ pergitur viâ ſecurè.

De pura & integra reſignatione ſui ; ad obtinendam cordis libertatem. Lib. 3. de Imitatione. Cap. 37.

S A L V A T O R.

1. FILI relinque te & invenies me. Sta ſine electione & omni proprietate : & ſemper lucraberis. Nam & adjicietur tibi amplior gratia : ſtatim ut te reſignaveris, nec reſumpſeris.

D I S C I P U L U S.

Domine quoties me reſignabo ? & in quibus me relinquam ?

S A L V A T O R.

Semper, ſicut in parvo, ſic & in magno. Nihil excipio, ſed omnibus te nudatum invenire volo. Alioquin quomodò poteris eſſe meus, & ego tuus ˥ niſi fueris ab omni propria voluntate intùs & foris ſpoliatus? Quantò celeriùs hoc ages, tantò meliùs habebis ˥ & quantò pleniùs & ſinceriùs : tantò mihi plus placebis, & ampliùs lucraberis.

2. Quidam ſe reſignant, ſed cum aliqua exceptione ˥ non enim plenè Deo confidunt : ideò ſibi providere ſatagunt. [*Hic nota quantùm indigeas tuiipſius ſollicitudinem in ſinum Dei integrè transferre : nec unquam tuæ inniti velle prudentiæ.*] Quidam etiam primò totos ſe offerunt ˥ ſed poſteà tentatione pulſante ad propria redeunt : ideò in virtute minimè proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem, & jucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent ˥ niſi integrâ reſignatione, & quotidianâ ſui immolatione priùs factâ : ſine qua non ſtat, nec ſtabit unio fruitiva.

3. Dixi tibi ſæpiſſimè, & nunc iterum dico : Relinque te, reſigna te, & frueris magnâ internâ pace. Da totum pro toto ˥ nihil exquire, nihil repete : ſta purè & inhæſitanter in me, & habebis me. Eris liber in corde : & tenebræ non conculcabunt te. [*Ad hoc magnum bonum, non niſi orando, laborando, gradatímque procedendo : pervenítur.*] Ad hoc conare, hoc ora, hoc ſtude, hoc deſidera ˥ ut ab omni proprietate poſſis expoliari, & nudus nudum JESUM ſequi : tibi mori, & mihi æternaliter vivere. Tunc deficient omnes vanæ phantaſiæ ˥ conturbationes iniquæ : & curæ ſuperfluæ. Tunc etiam recedet immoderatus timor : & inordinatus amor morietur.

Hæc de actu tranſitorio ſunt intelligenda. In hac enim vita tranquillitati tempeſtates ſuccedunt; & ad extremum uſque ſpiritum in interioris hominis ſtatu perpetuas viciſſitudines experimur: ut alibi piiſſimus Doctor edocet.

In ſequenti Lectione eadem documenta continuata & fuſius explicata invenies; & quâ ratione perfectiùs mundo ac tibimetipſi, quantum in hac mortali vita poſſibile eſt mori valeas: ac verè ſpiritualis effici.

LECTIO QUINTA DECIMA.

Quod deſideria cordis examinanda ſunt & moderanda; & de neglectu omnis creaturæ ut Creator poſſit inveniri: ad quod neceſſe eſt, abnegare ſe & abdicare omnes cupiditates. Quod gratia Dei non miſcet ſe his qui terrena ſapiunt. De diverſis motibus naturæ & gratiæ: ac de ejus neceſſitate & effectibus.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

C*Hariſſimi; nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Epiſt. 1. Joan. cap. 4. v. 1.

Simile eſt Regnum Cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui invenit homo, abſcondit; & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet: & emit agrum illum. Iterùm ſimile eſt Regnum Cælorum homini negotiatori quærenti bonas Margaritas; inventa autem una pretioſa Margarita: abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Matt. cap. 13. verſ. 44.

Induimini Dominum Ieſum Chriſtum: & carnis curam ne feceritis in deſideriis. Epiſt. ad Rom. cap. 13. v. 14.

Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Epiſt. ad Gal. cap. 5. v. 17.

Ego ſum minimus Apoſtolorum; qui non ſum dignus vocari Apoſtolus: quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id quod ſum: & gratia ejus in me vacua non fuit; ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 15. verſ. 9.

Hæc verba innuunt 1. Quicquid bonum videtur, non ſemper eſſe ſequendum: ſed cum conſilio ac diſcretione agendum. 2. Non niſi per

omnium relictionem Deum poſſideri: & ad obtinendam pacem internam propriis deſideriis renunciandum eſſe. 3. Utriuſque hominis ſpiritualis & animalis impugnandas ac patienter ferendas eſſe contradictiones: quæ nobis inſerviunt ad diſcernendam differentiam motuum naturæ, rationis & gratiæ. 4. Denique, cum gratia nobis abſolutè neceſſaria ſit: nullum bonis ipſius effectibus ponendum eſſe obicem ˥ ſed illius motus ſedulò ac fideliter eſſe ſequendos: abſque abuſu ex noſtra negligentia. Attentè auſculta documenta quæ hac de re tibi profert Liber de Imitatione.

Quod deſideria cordis examinanda ſunt & moderanda. Libro 3. de Imitatione. Cap. 11.

SALVATOR.

1. FILI oportet te adhuc multa addiſcere: quæ needum benè didiciſti.

DISCIPULUS.

Quæ ſunt hæc Domine?

SALVATOR.

Ut deſiderium tuum ponas totaliter ſecundum beneplacitum meum ˥ & tuiipſius amator non ſis; ſed meæ voluntatis cupidus æmulator.. Deſideria te ſæpe accendunt & vehementer impellunt ˥ ſed conſidera an propter honorem meum: an propter tuum commodum magis movearis. Si ego ſum in cauſa, benè contentus eris quomodocumque ordinavero ˥ ſi autem de proprio quæſitu aliquid latet: ecce hoc eſt quod te impedit & gravat. [*Obſerva privatum amorem in boni deſideria quandoque irrepere; virtutémque non purè propter Deum, ſed propter privatum commodum ſæpius exquiri. Quod equidem poteris diſcernere ex animi inquietudine; cæteriſque quæ pius Doctor enumerat. Hic enim loquitur ſicut Angelus ˥ & univerſa humani cordis arcana ſic explicat; ut ea veluti digito monſtrare videatur.*]

2. Cave ergò ne nimiùm innitaris ſuper deſiderio præconcepto, me non conſulto; ne fortè poſteà pœniteat, & diſpliceat quod primò placuit & quaſi pro meliore zelaſti. Non enim omnis affectio, quæ videtur bona, ſtatim eſt ſequenda: ſed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda. Expedit interdum refrænatione uti etiam in bonis ſtudiis & deſideriis: ne per importunitatem, mentis diſtractionem incurras ˥ ne aliis per indiſciplinationem ſcandalum generes: vel etiam per reſiſtentiam aliorum ſubitò turberis & corruas.

3. Interdum verò oportet violentia uti, & viriliter appetitui ſenſitivo contraire ˥ nec advertere quid velit caro, & quid non velit: ſed hoc magis ſatagere, ut ſubjecta ſit etiam nolens ſpiritui. [*In mentem*

ſemper revocа, quæ alter Sanctiſſimus Doctor alibi edocet ˺ naturales videlicet contradictiones pro nihilo eſſe æſtimandas: quamdiù anima ipſis reſtiterit, nec eas ſecuta fuerit.] Et tamdiù caſtigari debet, & cogi ſervituti ſubeſſe ˺ donec parata ſit ad omnia, paucíſque contentari diſcat, & in ſimplicibus delectari: nec contra aliquod inconveniens murmurare.

De neglectu omnis creaturæ: ut Creator poſſit inveniri. Libro 3. de Imitat. Cap. 31.

1. DOMINE adhuc benè indigeo majori gratia: ſi debeam illùc pervenire, ubi me nemo poterit, nec ulla creatura, impedire. Nam quamdiù res aliqua me retinet: non poſſum liber ad te volare. Cupiebat liberè volare, qui dicebat ˺ *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Quid ſimplici oculo quietius? Et quid liberius nihil deſideranre in terris? Oportet igitur omnem ſupertranſire creaturam, & ſeipſum perfectè deſerere ˺ ac in exceſſu mentis ſtare: & videre te omnium Creatorem cum creaturis nihil ſimile habere. [*Eo fine Solitarius hominum conſortia ac ſuperflua colloquia debet relinquere: ut abſque impedimento ſupra ſe, ac ſuper omnia creata poſſit elevari.*] Et niſi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus: non poterit liberè intendere divinis. Ideò enim pauci inveniuntur contemplativi: quia pauci ſciunt ſe à perituris creaturis ad plenum ſequeſtrare. *Pſal. 54. 7.*

2. Ad hoc ergò magna requiritur gratia: quæ animam levet ac ſuprà ſeipſam rapiat. [*Hic à Magiſtro ſublimiora vitæ interioris arcana tibi revelantur. Sed ad ea non pervenitur niſi gradatim procedendo: & Chriſti exempla ſequendo. Ad hos enim interiores ſtatus animam, quam verè ſequentem ſe ſic reperit, elevat: quando beneplacitum eſt ei.*] Et niſi homo ſit in ſpiritu elevatus, & ab omnibus creaturis liberatus ˺ [*Intellige, non equidem, ita ut omnem creaturarum ſenſum exuerit: ſed ut nullam inde turbationem in anima ſentiat.*] Ac Deo totus unitus; quidquid ſcit, quidquid etiam habet, non eſt magni ponderis. Diù parvus erit & infrà jacebit ˺ qui aliquid magni æſtimat, niſi ſolum unum, immenſum, æternum bonum. Nam quidquid Deus non eſt, nihil eſt; & pro nihilo computari debet. Eſt quippe magna differentia, ſapientia illuminati, ac devoti viri: & ſcientia litterati, atque ſtudioſi Philoſophi. Multò nobilior eſt illa doctrina, quæ deſursùm ex divina influentia manat: quàm quæ laborioſè humano acquiritur ingenio.

3. Plures reperiuntur contemplationem deſiderare: ſed quæ ad eam requiruntur non ſtudent exercere. Eſt magnum impedimentum, quia in ſignis & in rebus ſenſibilibus ſtatur: & parùm de perfecta mortificatione habetur. [*Attentè obſerva in quibus conſiſtat vita interior & ſpiritualis ˺ ac qualibet exteriora opera: abſque interiori mortificatione minimi*

eſſe facienda. Ad ſpiritualem enim conſolationem percipiendam: ſpiritus quadamtenùs effici opus eſt.] Neſcio quid eſt, quo ſpiritu ducimur, & quid prætendimus, qui ſpiritales dici videmur? quòd tantum laborem, & ampliorem ſolicitudinem pro tranſitoriis & vilibus rebus agimus: & de interioribus noſtris vix rarò plenè recollectis ſenſibus cogitamus.

4. Proh dolor? ſtatim poſt modicam recollectionem foras erumpimus: nec opera noſtra diſtricta examinatione trutinamus. Ubi jacent affectus noſtri non attendimus: & quàm impura ſint omnia noſtra non
Gen. 6. 12. deploramus. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*: & ideò ſequebatur diluvium magnum. Cùm ergò interior affectus noſter multùm corruptus ſit: neceſſe eſt ut actio ſequens index carentiæ interioris vigoris corrumpatur. Ex puro corde procedit fructus bonæ vitæ.

5. Quantùm quis fecerit, quæritur: ſed ex quanta virtute agat, non tam ſtudioſè penſatur. [*En egregium principium, cui ſtandum eſt: ut rectum de rebus exterioribus feramus judicium.*] Si fuerit fortis, dives, pulcher, habilis? vel bonus ſcriptor, vel cantor bonus, laborator bonus inveſtigatur: quàm pauper ſit ſpiritu, quàm patiens, & mitis, quàm devotus, & internus à multis tacetur. [*Humanæ mentis error & imbecillitas hinc maximè comprobatur: & ratio humana judicia contemnendi deſumitur.*] Natura exteriora hominis reſpicit; gratia ad interiora ſe convertit. Illa frequenter fallitur; iſta in Deo ſperat ut non decipiatur.

De abnegatione ſui, & abdicatione omnis cupiditatis. Libro 3. de Imitatione. Cap. 32.

SALVATOR.

1. FILI non potes perfectam poſſidere libertatem: niſi totaliter abneges temetipſum. Compediti ſunt omnes proprietarij, & ſuiipſorum amatores? cupidi, curioſi, gyrovagi, quærentes ſemper mollia, non quæ Jeſu Chriſti; ſed ſæpe hoc fingentes & componentes quod non ſtabit. Peribit enim totum quod non eſt ex Deo ortum. Tene breve, & conſummatum verbum? Dimitte omnia, invenies omnia: Dimitte cupiditatem, & reperies requiem. Hoc mente pertracta: & cùm impleveris, intelliges omnia.

DISCIPULUS.

2. Domine hoc non eſt opus unius diei? nec ludus parvulorum: imò in hoc brevi verbo includitur omnis perfectio Religioſorum.

SALVATOR.

3. Fili non debes averti, nec ſtatim ejici, auditâ viâ perfectorum: ſed magis ad ſubliminora provocari, & ad minus ad hæc ex deſiderio ſuſpirare. [*Nota hic gradus elevationis: per quos Deus vult nos ad perfectionem aſcendere.*] Utinam ſic tecum eſſet, & ad hoc perveniſſes, ut tuiipſius amator

amator non eſſes ˥ ſed ad nutum meum purè ſtares, & ejus quem tibi præpoſui Patris: tunc mihi valdè placeres, & tota vita tua cum gaudio & pace tranſiret. Adhuc multa habes ad relinquendum ˥ quæ niſi mihi ex integro reſignaveris: non acquires quod poſtulas. *Suadeo tibi emere* *Apoc.* 3. 18.
à me aurum ignitum, ut lócuples fias: id eſt, cæleſtem ſapientiam, omnia *Sap.* 7. 14.
inſima conculcantem. Poſtpone terrenam ſapientiam: omnémque hu- *Sap.* 7. 8. 9. 10.
manam & propriam complacentiam.

3. Dixi viliora tibi emenda pro pretioſis & altis in rebus humanis. Nam vilis & parva, ac penè oblivioni tradita, videtur vera & cæleſtis ſapientia ˥ non ſapiens alta de ſe, nec magnificari quærens in terra: quam multi ore tenus prædicant, ſed vitâ longè diſſentiunt. Ipſa tamen eſt pretioſa margarita à multis abſcondita.

Quod gratia Dei non miſcetur terrena ſapientibus.
Lib. 3. *de Imitatione. Cap.* 53.

SALVATOR.

1. FILI pretioſa eſt gratia mea ˥ non patitur ſe miſceri extraneis rebus: nec conſolationibus terrenis. Abjicere igitur oportet omnia impedimenta gratiæ: ſi optas ejus infuſionem ſuſcipere. [*Evidenter ergò docet te Magiſter, in libero eſſe arbitrio gratiæ obicem ponere vel non.*] Pete ſecretum tibi ˥ ama ſolus habitare tecum: nullius require confabulationem ˥ ſed magis ad Deum devotam effunde precem: ut compunctam teneas mentem, & puram conſcientiam. Totum mundum nihil æſtima: Deo vacare omnibus exterioribus antepone. Non enim poteris mihi vacare: & in tranſitoriis pariter delectari. A notis & à caris oportet elongari: & ab omni temporali ſolatio mentem tenere privatam. Sic
obſecrat Beatus Apoſtolus Petrus ˥ *Ut tanquam advenas, & peregrinos* 1. *Pet.* 2. 11.
in hoc mundo ſe contineant Chriſti fideles *à carnalibus deſideriis; quæ militant adverſus animam.*

2. O quanta fiducia erit morituro: quem nullius rei affectus detinet in mundo. Sed ſic ſegregatum cor habere ab omnibus æger needum capit animus: nec animalis homo novit interni hominis libertatem. Attamen ſi verè velit eſſe ſpiritalis ˥ oportet eum renunciare tàm remotis quàm propinquis: & à nemine magis cavere quàm à ſeipſo. Si temetipſum perfectè viceris: cetera faciliùs ſubjugabis. Perfecta victoria eſt de ſemetipſo triumphare. Qui enim ſeipſum ſubjectum tenet ˥ ut ſenſualitas rationi & ratio in cunctis obediat mihi: hic verè victor eſt ſui, & Dominus mundi.

3. Si ad hunc apicem ſcandere gliſcis ˥ oportet viriliter incipere, & ſecurim ad radicem ponere: ut evellas & deſtruas occultam & inordinatam inclinationem ad teipſum, & ad omne privatum & materiale

bonum. Ex hoc vitio, quòd homo ſemetipſum nimis inordinatè diligit: penè totum pendet quidquid radicaliter vincendum eſt. Quo deviĉto & ſubacto malo: pax magna & tranquillitas erit continuò. Sed quia pauci ſibiipſis perfeĉtè mori laborant, nec plenè extra ſe tendunt; [*Nota quod non dicat: hac paſſione penitùs extinĉtâ. Amor enim privatus non niſi cum corpore plenè moritur: ſed ſolummodò hoc malo per diuturnum mortificationis habitum deviĉto.*] Propterea in ſe implicati remanent: nec ſupra ſe in ſpiritu elevari poſſunt. Qui autem liberè mecum ambulare deſiderat; neceſſe eſt ut omnes pravas & inordinatas affeĉtiones ſuas mortificet: atque nulli creaturæ privato amore concupiſcenter inhæreat.

De diverſis motibus naturæ & gratiæ. Lib. 3. de Imitatione. Cap. 54.

1. FILI diligenter adverte motus naturæ & gratiæ; quia valdè contrariè ac ſubtiliter moventur: & vix niſi a ſpiritâli & intimè illuminato homine diſcernuntur. Omnes quidem bonum appetunt; & aliquid boni in ſuis diĉtis vel faĉtis prætendunt: ideò ſub ſpecie boni multi falluntur. Natura callida eſt, & multos trahit, illaqueat & decipit: & ſe ſemper pro fine habet. Sed gratia ſimpliciter ambulat; & ab omni ſpecie mala declinat: fallacias non prætendit; & omnia purè propter Deum agit; in quo & finaliter requieſcit.

2. Natura invitè vult mori; nec premi, nec ſuperari: nec ſubeſſe, nec ſponte ſubjugari. Gratia verò ſtudet mortificationi propriæ; reſiſtit ſenſualitati, quærit ſubjici, appetit vinci: nec propria vult libertate fungi. Sed ſub diſciplina amat teneri, nec alicui cupit dominari; ſed ſub Deo ſemper vivere, ſtare & eſſe: atque propter Deum omni humanæ creaturæ humiliter parata eſt inclinari. Natura pro ſuo commodo laborat; & quid lucri ſibi ex alio proveniat: attendit. Gratia autem non quid ſibi utile commodúmque ſit: ſed quod multis proficiat magis conſiderat. Natura libenter honorem & reverentiam accipit. Gratia verò omnem honorem & gloriam Deo fideliter attribuit.

3. Natura confuſionem timet atque contemptum. Gratia autem gaudet pro nomine JESU contumeliam pati. Natura otium amat, & quietem corporalem. Gratia verò vacua eſſe non poteſt: ſed libenter ampleĉtitur laborem. Natura quærit habere curioſa & pulchra: fugit autem vilia & groſſa. Gratia verò ſimplicibus deleĉtatur & humilibus: aſpera non aſpernatur, nec vetuſtis refugit indui pannis. Natura reſpicit temporalia; gaudet ad lucra terrena, triſtatur de damno: irritatur levis injuriæ verbo. Sed gratia attendit æterna; non inhæret temporalibus; nec in perditione rerum turbatur; neque verbis durioribus acerbatur: quia theſaurum ſuum & gaudium in cælo, ubi nihil perit, conſtituit.

4. Natura cupida eſt, & libentiùs accipit, quàm donat: amat propria & privata. Gratia autem pia eſt, & communis ⁊ vitat ſingularia, contentatur paucis; *beatiùs dare* judicat, *quàm accipere*. Natura inclinat ad creaturas, ad carnem propriam, ad vanitatem, & diſcurſus ⁊ ſed gratia trahit ad Deum & ad virtutes: renunciat creaturis, fugit mundum ⁊ odit carnis deſideria, reſtringit evagationes: erubeſcit in publico apparere. Natura libenter aliquod ſolatium habet externum, in quo delectetur ad ſenſum ⁊ ſed gratia in ſolo Deo quærit conſolari: & in ſummo Bono ſuper omnia viſibilia delectari. *Act.* 20.35.

5. Natura totum agit propter lucrum & commodum proprium, nihil gratis facere poteſt ⁊ ſed aut æquale, aut melius, aut laudem, vel favorem pro benefactis conſequi ſperat: & multùm ponderari ſua geſta & dona concupiſcit. Gratia verò nihil temporale quærit, nec aliud præmium quàm Deum ſolum pro mercede poſtulat ⁊ nec ampliùs de neceſſariis temporalibus deſiderat: niſi quantum hæc ſibi ad aſſecutionem æternorum valeant deſervire.

6. Natura gaudet de amicis multis, & propinquis: gloriatur de nobili loco & ortu generis ⁊ arridet potentibus, blanditur divitibus: applaudit ſibi ſimilibus. Gratia autem & inimicos diligit ⁊ nec de amicorum turba extollitur: nec locum, nec ortum natalium reputat, niſi virtus ibi major fuerit. Favet magis pauperi, quàm diviti ⁊ compatitur plus innocenti, quàm potenti: congaudet veraci, non fallaci ⁊ exhortatur ſemper bonos meliora chariſmata æmulari: & Filio Dei per virtutes aſſimilari. Natura de defectu, & moleſtia citò conqueritur: Gratia conſtanter fert inopiam.

7. Natura omnia ad ſe reflectit: pro ſe certat & arguit. Gratia autem ad Deum cuncta reducit, unde originaliter emanant ⁊ nihil boni ſibi adſcribit, nec arroganter præſumit ⁊ non contendit, nec ſuam ſententiam aliis præfert: ſed in omni ſenſu & intellectu æternæ ſapientiæ ac divino examini ſe ſubmittit. Natura appetit ſcire ſecreta, & nova audire ⁊ vult exteriùs apparere, & multa per ſenſus experiri: deſiderat agnoſci, & agere unde laus & admiratio procedit. Sed gratia non curat nova nec curioſa percipere ⁊ quia totum hoc de corruptionis vetuſtate eſt ortum: cùm nihil novum & durabile ſit ſuper terram. Docet itaque ſenſus reſtringere ⁊ vanam complacentiam & oſtentationem devitare ⁊ laudanda & dignè miranda humiliter abſcondere: ac de omni re, atque in omni ſcientia utilitatis fructum, atque Dei laudem & honorem quærere. Non vult ſe, nec ſua prædicari ⁊ ſed Deum in donis ſuis optat benedici: qui cuncta ex mera charitate largitur.

8. Hæc gratia ſupernaturale lumen, & quoddam Dei ſpeciale donum eſt: & propriè electorum ſignaculum, & pignus ſalutis æternæ ⁊ quæ hominem de terrenis ad cæleſtia amanda ſuſtollit: & de carnali ſpiritalem facit. Quantò igitur natura ampliùs premitur & vincitur ⁊

tantò major gratia infunditur : & quotidiè novis viſitationibus interior homo ſecundùm imaginem Dei reformatur.

De corruptione naturæ & efficacia gratiæ divinæ. Ibidem cap. 55.

1. DOMINE Deus meus, qui me creaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam ˥ concede mihi hanc gratiam, quam oſtendiſti tam magnam, & neceſſariam ad ſalutem : ut vincam peſſimam naturam
Rom. 7. 23. meam trahentem ad peccata, & in perditionem. *Sentio enim in carne mea legem peccati contradicentem legi mentis meæ : & captivum me ducentem ad obediendum ſenſualitati in multis.* Nec poſſum reſiſtere paſſionibus ejus: niſi aſſiſtat ſanctiſſima gratia tua, cordi meo ardenter infuſa.

Gen. 8. 21. 2. Opus eſt gratia tua, & magna gratia: ut vincatur natura, *ad malum ſemper prona ab adoleſcentia ſua.* nam eâ per primum hominem Adam lapſa, & vitiatâ per peccatum ˥ in omnes homines pœna hujus maculæ deſcendit: ut ipſa natura, quæ bona & recta à te condita fuit ˥ pro vitio jam & infirmitate corruptæ naturæ ponatur: eò quòd motus ejus ſibi relictus ad malum & inferiora trahit. Nam modica vis, quæ remanſit: eſt tanquam ſcintilla quædam latens in cinere. Hæc eſt ipſa ratio naturalis circumfuſa magnâ caligine, adhuc judicium habens boni & mali, veri falſique diſtantiam ˥ licet impotens ſit adimplere omne quod approbat : nec pleno jam lumine veritatis, nec ſanitate affectionum ſuarum potiatur. [*Nota quod hîc agatur de natura ſecundum ſe ſumpta ; & habita ratione ſtatûs ad quem per peccatum redacta eſt.*]

Rom. 7. 22. Rom. 7. 12. Ibid. 7. 25. Ibid. 18. 3. Hinc eſt, Deus meus, quòd *condelector legi* tuæ *ſecundùm interiorem hominem* ˥ ſciens *mandatum tuum* fore *bonum, juſtum, & ſanctum*; arguens etiam omne malum & peccatum fugiendum. *Carne autem ſervio legi peccati :* dum magis ſenſualitati obedio quàm rationi. Hinc eſt quòd *velle bonum mihi adjacet : perficere autem non invenio.* [*Hinc conclude ſupereſſe ſemper in anima : quandam ad bonum propenſionem.*] Hinc ſæpe multa bona propono ˥ ſed quia gratia deeſt ad adjuvandum infirmitatem meam: ex levi reſiſtentia reſilio & deficio. [*Notandum maximè, quòd hîc agatur de propoſito faciendi quodlibet bonum; non verò de malo à quo neceſſariò abſtinendum eſt, quale eſt peccatum mortale. Quoad primum* ˥ *dicit gratiam nonnunquam deeſſe variis de cauſis, quas in prima lectione expreſſas reperies : non verò quoad ſecundum.*] Hinc accidit, quòd viam perfectionis agnoſco ˥ & qualiter agere debeam, clarè ſatis video: ſed propriæ corruptionis pondere preſſus ad perfectionem non aſſurgo.

4. O quàm maximè eſt mihi neceſſaria, Domine, gratia tua ad inchoandum bonum ˥ ad proficiendum: & perficiendum. Nam ſine illa

non poſſum facere aliquid: omnia autem poſſum in te confortante me gratia tuâ. O verè cæleſtis gratia; ſine qua nulla ſunt propria merita: nulla quoque dona naturæ ponderanda. Nihil artes, nihil pulchritudo, nihil divitiæ, nihil fortitudo; nihil ingenium, nihil eloquentia valent apud te, Domine; ſine gratia tua. Nam dona naturæ bonis & malis ſunt communia; electorum autem proprium donum eſt gratia, ſive dilectio: quâ inſigniti, digni habentur vitâ æternâ. [*Non dicit ſolos electos gratiam recipere; plures enim reprobi, eam ſæpius in vita receperunt: & ideò tantùm reprobi facti ſunt, quod eâ ſæpius abutentes, ſpiritui gratiæ contumeliam fecerint.*] Tantùm eminet hæc gratia; ut nec donum prophetiæ, nec ſignorum operatio: nec quantalibet alta ſpeculatio aliquid æſtimatur ſine ipſa. Sed neque fides, neque ſpes; neque aliæ virtutes tibi acceptæ ſunt ſine Charitate & gratia.

5. O beatiſſima gratia; quæ pauperem ſpiritu virtutibus divitem facis: & divitem multis bonis humilem corde reddis. Veni, deſcende ad me, reple me manè tuâ conſolatione: ne deficiat præ laſſitudine atque ariditate mentis anima mea. [*In mentem revoca fortem illam gratiam, quæ in intimo animæ reſidens: eam inter graviores ariditates ſuſtentat. Hanc ſi habeas: ſufficit tibi.*] Obſecro, Domine, *ut inveniam gratiam in oculis tuis: ſufficit* enim *mihi gratia tua*, cæteris non obtentis, quæ deſiderat natura. Si fuero tentatus & vexatus tribulationibus multis, non timebo mala: dum fuerit mecum gratia tua. Ipſa fortitudo mea eſt: ipſa conſilium mihi confert & auxilium. Cunctis hoſtibus potentior eſt: & ſapientior univerſis ſapientibus.

Gen. 18. 3.
2. Cor. 12. 9.

6. Magiſtra eſt veritatis; doctrix diſciplinæ, lumen cordis, ſolamen preſſuræ: fugatrix triſtitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum. Quid ſum ſine illa, niſi aridum lignum, & ſtirps inutilis ad ejiciendum? *Tua* ergò *me, Domine, gratia ſemper & præveniat & ſequatur; ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum.*

Orat. Dominica 14. poſt pentec.

LECTIO SEXTA DECIMA.

De expurgandis malis animi inclinationibus; & de pace acquirenda: ac zelo proficiendi. De operibus ex Charitate factis: & de pura mente ac ſimplici intentione.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

U*Nuſquiſque veſtrùm proximo ſuo placeat in bonum: ad ædificationem.* Epiſt. ad Rom. cap. 15. v. 2.

Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum; ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo

edocti eſtis : ſicut eſt veritas in Ieſu. Deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem : qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem ; qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia ; & ſanctitate veritatis. Epiſtol. ad Epheſ. cap. 4. v. 20.

Habete in vobis ſal (prudentiæ Chriſtianæ) *& pacem habete inter vos.* Marc. cap. 9. v. 49.

Quid enim proficit homo, ſi lucretur univerſum mundum : ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat? Luc cap. 9. v. 25.

Eſtote ergò imitatores Dei, ſicut Filij chariſſimi ; & ambulate in dilectione, ſicut Chriſtus dilexit nos : & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam in odorem ſuavitatis. Epiſt. ad Epheſ. cap. 5. v. 1.

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus ; ſi oculus tuus fuerit ſimplex : totum corpus tuum lucidum erit. Matt. cap. 6. v. 22.

Hæc verba docent 1. Naturales inclinationes & habitus eſſe ſuperandos; cùm quiſque proximo ex charitate quantùm fieri poteſt, complacere debeat. 2. Veteris hominis uſus & actus eſſe exuendos : ut ad Evangelicam normam mores componantur. 3. Pacem animæ tantummodò inveniri : regulas Chriſtianæ prudentiæ inſequendo. 4. Emendationem propriam profectúmque ſpiritualem cunctis anteponendum. 5. Chriſti Charitatem eſſe imitandam, ſemetipſum omnibus omnia faciendo ; & in omnibus ex pura ac ſimplici intentione procedendo. Utriuſque Magiſtri hac de re audi ſententiam.

Ex Introductione lib. 1. cap. 24. ubi agitur de malis inclinationibus : à quibus animus eſt expurgandus.

HAbemus præterea, Philothea, naturales quaſdam inclinationes ; quæ quia ſuam à peccatis noſtris particularibus originem non habuêre; hinc propriè peccata non ſunt, nec mortale, nec veniale ; ſed imperfectiones appellantur : & ipſarum actus dicuntur defectus. [*Nota diligenter, quid per pravas hujuſcemodi propenſiones intelligat ; quámque prudenter peccatum ab imperfectione diſtinguat; proponendo omnia prout ſunt, ſimpliciter & abſque ulla exaggeratione.*] Verbi gratia, ſancta Paula Romana, teſte ſancto Hieronymo, magnam erga triſtitiam & dolores inclinationem habebat ; adeò ut in prolium & conjugis ſui morte animo ita dejiceretur : ut, ne præ dolore expiraret, periculum foret. Erat hoc quædam imperfectio, non verò peccatum; cum invita & nolens ita animo contraheretur. Sunt, qui naturâ lenes ſunt : ſunt qui præfracti & aſperi ; alij in aliorum ſententia & opinione admittenda perdifficiles ; alij in choleram, alij in amorem propendent. Summâ, quàm pauciſſimos reperire eſt : in quibus non iſtiuſmodi imperfectionum aliqua notetur. Etſi

verò hæ unicuique velut propriæ & naturales ſint: contrario tamen affectu & curâ corrigi & moderari poſſunt; imò verò ſe planè quis ab iis liberare & expurgare poteſt: & dico tibi, Philóthea, debet. Inventa ratio eſt amydalas amaras in dulces commutandi; ſi videlicet eæ in pede trunci perforentur: ut ſuccus corticis illinc extillet. Cur ergò facere ipſi non poterimus; ut inclinationes noſtræ perverſæ egrediantur, quò meliores ſuccedant? Nulla adeò bona indoles & natura eſt, quæ non per habitus vitioſos reddi queat mala; & vice verſâ, nulla adeò auſtera & pervicax eſt: quæ primò per Dei gratiam, deinde per induſtriam & diligentiam propriam domari & exſuperari non valeat. Unde jam monita & exercitia quædam tibi proponere incipiam; quorum adminiculo & uſu animam ab effectibus periculoſis, imperfectionibus, & omnibus erga peccata venialia propenſionibus expurgare: & conſcientiam tuam magis & magis adverſus omne peccatum mortale communire, & ſecuram reddere poteris. Gratiam tibi det Deus ad eadem ritè uſurpanda.

Hæc monita in ſequentes lectiones rejeci. Prius enim tibi exponere volui quæcumque ad Deum puro corde honorandum conducant; quæque tui ſtatûs partes ſint ac munia. Alterum ergò Doctorem tibi hìc loquentem: attenta mente audias.

De pace acquirenda & zelo proficiendi. Lib. 1. *de Imitatione, Cap.* 11.

1. MUltam poſſemus pacem habere; ſi non vellemus nos cum aliorum dictis aut factis, quæ ad noſtram curam non ſpectant: occupare. Quomodò poteſt ille diù in pace manere; qui alienis curis ſe immiſcet? qui occaſiones forinſecùs quærit? qui parùm vel raro ſe intrinſecus colligit? Beati ſimplices: quoniam multam pacem habebunt.

2. Quare quidam Sanctorum tam perfecti & contemplativi fuerunt? Quia omninò ſeipſos mortificare ab omnibus terrenis deſideriis ſtuduerunt; & ideò totis medullis cordis Deo inhærere: atque liberè ſibi vacare potuerunt. Nos nimiùm occupamur propriis paſſionibus: & de tranſitoriis nimis ſollicitamur. Raro etiam unum vitium perfectè vincimus; ad quotidianum profectum non accendimur: ideò frigidi & tepidi remanemus.

3. Si eſſemus nobiſmetipſis perfectè mortui & interiùs minimè implicati: tunc poſſemus etiam divina ſapere, ac de cæleſti contemplatione aliquid experiri. Totum & maximum impedimentum eſt: quia non ſumus à paſſionibus & concupiſcentiis liberi. [*A paſſionibus liberi. Hæc libertas conſiſtit in habitu eis dominandi; iiſdem affectu non adhærendi: imò actu impugnandi & vincendi. Fomes enim peccati in nobis ſemper manebit ad uſque mortem.*] Nec perfectam Sanctorum viam conamur

ingredi. Quando etiam modicum adverſitatis occurrit nimis citò dejicimur: & ad humanas conſolationes convertimur.

4. Si niteremur ſicut viri fortes ſtare in prælio: profectò auxilium Domini ſuper nos videremus de cælo. Ipſe enim certantes, & de ſua gratia ſperantes paratus eſt adjuvare: qui nobis certandi occaſiones procurat ut vincamus. [*Semper in mente retine quod alibi dixit tibi idem Magiſter: Dei auxilium nunquam defuturum facienti quod in ſe eſt.*] Si tantùm in iſtis exterioribus obſervantiis profectum Religionis ponimus: citò habebit finem devotiò noſtra. Sed ad radicem ſecurim ponamus: ut purgati à paſſionibus pacificam mentem poſſideamus. [*Locus iſte manifeſtè tibi indicat, ſpirituale ædificium in mortificatione interiori eſſe fundandum: eóque tantùm medio animalem hominem dejici.*]

5. Si omni anno unum vitium extirparemus: citò viri perfecti efficeremur. Sed modò è contrario ſæpe ſentimus ˥ ut meliores & puriores in initio converſionis nos fuiſſe inveniamus: quàm poſt multos annos profeſſionis. Fervor & profectus noſter quotidiè deberet creſcere: ſed nunc pro magno videtur, ſi quis primi fervoris partem poſſit retinere. Si modicam violentiam nobis faceremus in principio: cuncta poſteà poſſemus facere cum levitate & gaudio. [*Hanc levitatem & gaudium intellige: de firmo & alacri voluntatis propoſito & de conſcientiæ intimo.*]

6. Grave eſt aſſueta dimittere: gravius contra propriam voluntatem ire. Sed ſi non vincis parva & levia ˥ quando ſuperabis difficiliora? Reſiſte in principio inclinationi tuæ ˥ & malam dediſce conſuetudinem: ne fortè paulatim ad majorem te ducat difficultatem. O ſi adverteres quantam tibi pacem, & aliis lætitiam faceres, te ipſum benè habendo: puto quòd ſollicitior eſſes ad ſpiritalem profectum.

De operibus ex Charitate factis. Libro 1. *de Imitatione. Capite* 15.

1. PRo nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione aliquod malum eſt faciendum ˥ ſed pro utilitate tamen indigentis bonum opus aliquando intermittendum eſt: aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim facto bonum opus non deſtruitur: ſed in melius commutatur. [*En magna Regula diſcretionis in ratione Charitatis fundata: quæ omnibus prævalere debet. Sed hinc proprij ſtatûs munia ˥ indè vero proximorum neceſſitates ſedulò perpendendæ ſunt: ut omnia rationabiliter, juſtè, & ordinatè fiant.*] Sine Charitate opus externum nihil prodeſt. Quidquid autem ex Charitate agitur ˥ quantumcumque parvum ſit & deſpectum: totum efficitur fructuoſum. Magis ſiquidem Deus penſat ex quanto quis agit; quàm quantum facit.

2. Multùm

2. Multùm facit, qui multùm diligit. Multùm facit; qui rem benè facit. Benè facit; qui magis communitati quàm ſuæ voluntati ſeruit. Sæpe videtur eſſe charitas: & eſt magis carnalitas. Quia naturalis inclinatio, propria voluntas ꝛ ſpes retributionis, affectus commoditatis; rarò abeſſe volunt. [*Vides hic quàm ſubtilis eſt amor priuatus: multiſque modis ſeſe occultat. Ab eo ſemper cavendum eſt; bonâ tamen fide agendum ꝛ nec tam ſubtilis perquiſitio facienda eſt: ut detegatur. Satis illum ſenties; quando alium quàm ſperabas ſucceſſum res habuerint.*]

3. Qui verò perfectam charitatem habet ꝛ nulla in re ſeipſum quærit; ſed Dei gloriam ſolummodò in omnibus fieri deſiderat. Nulli etiam invidet ꝛ quia nullum privatum gaudium amat: nec in ſeipſo vult gaudere, ſed in Deo ſuper omnia bona optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit ꝛ ſed totaliter ad Deum refert; à quo fontaliter omnia procedunt, & in quo finaliter omnes ſancti fruibiliter requieſcunt. O qui ſcintillam haberet veræ charitatis: profectò omnia terrena ſentiret plena fore vanitatis.

De pura mente & ſimplici intentione. Libro 2. *de Imitatione, cap.* 4.

1 DUabus alis homo ſublevatur à terrenis; ſimplicitate ſcilicet & puritate. Simplicitas debet eſſe in intentione; puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum; puritas apprehendit & guſtat. Nulla te actio bona impediet: ſi liber intùs ab inordinato affectu fueris. Si nihil aliud, quàm Dei beneplacitum & proximi utilitatem intendis & quæris: interna libertate perfruêris. [*Iſta veluti certa & veriſſima agnoſcere debes. Animum tamen inde non deſpondeas ꝛ ſed humilia te coram Deo, & teipſum vincere firmiter propone; ut ad hunc ſtatum quam propinquiùs poteris accedas.*] Si rectum cor tuum eſſet: tibi omnis creatura ſpeculum vitæ ac liber ſanctæ doctrinæ eſſet. Non eſt creatura tam parva & vilis: quæ bonitatem Dei non repræſentet.

2. Si tu eſſes intùs bonus & purus, tu omnia ſine impedimento videres, & caperes benè. Cor purum penetrat cælum & infernum. Qualis unuſquiſque intùs eſt, taliter judicat exteriùs. Si eſt gaudium in mundo, hoc utique poſſidet puri cordis homo. Et ſi eſt alicubi tribulatio & anguſtia, hoc meliùs novit mala conſcientia. Sicut ferrum miſſum in ignem amittit rubiginem, & totum candens efficitur: ſic homo ad Deum ſe integrè convertens torpore exuitur, & in novum hominem tranſmutatur.

3. Quando homo incipit tepeſcere, tunc parvum metuit laborem, & libenter externam accipit conſolationem. Sed quando perfectè incipit ſe vincere, & viriliter in via Dei ambulare; tunc minùs ea reputat, quæ ſibi priùs gravia eſſe ſentiebat.

LECTIO SEPTIMA DECIMA.

De vita Monaſtica: & de exemplis Sanctorum Patrum. De exercitiis boni Religioſi: & de amore ſolitudinis & ſilentij.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

AMen dico vobis, nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Evangelium; qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc: domos, & fratres & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus: & in ſeculo futuro vitam æternam. Marc. cap. 10. v. 29.

Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare: & non pòterunt. Luc. cap. 13, v. 24.

Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis: quoniam Dominus miſericors eſt & miſerator. Epiſt. Jac. cap. 5. v. 10.

Æmulamini chariſmata meliora. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 12. v. 30.

De cætero Fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ: hæc cogitate. Epiſt. ad Phil. cap. 4. v. 8.

Compulit IESUS Diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum: donec dimitteret turbas. Et dimiſſâ turbâ: aſcendit in montem ſolus orare. Matt. cap. 14. v. 22.

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Matt. cap. 6. v. 6.

Hæc verba innuunt 1. Quanta ſint lucra eorum qui pro Deo omnia relinquunt: prout facere debent Religioſi. 2. Ad ſalutem ſecurè operandam recedendum eſſe à lata ſeculi via, ubi tot reperiuntur voluntates quæ dicuntur bonæ: & nullum producunt effectum. 3. Ad Sanctorum exempla ſæpiùs attendendum eſſe: quippe quæ ad virtutem amplectendam fortiter accendant. 4. Quòd anima quæ Deo penitùs adhærere deſiderat; quæ majoris ſanctitatis & perfectionis ſunt, exquirere debeat. 5. Demùm ſeceſſum & ſolitudinem maximè conducere ad placendum Deo: & ad vitæ pericula, inquietudines, contradictionéſque vitandas. Magiſtri ea de re audi ſententiam.

De vita Monaſtica. Lib. 1. de Imitatione. Cap. 17.

1. OPortet, ut diſcas teipſum in multis frangere: ſi vis pacem & concordiam cum aliis tenere. Non eſt parvum in Monaſteriis, vel in Congregatione habitare; & ibi ſine querela converſari: & uſque ad mortem fideliter perſeverare. [*Vide ideam vitæ Religioſæ: quam reperies inter documenta ſecundi voluminis. Et ex hoc loco collige: mortificationem interiorem ac humilitatem eſſe unicum fundamentum vitæ Religioſæ.*] Beatus qui ibidem benè vixerit: & feliciter conſummaverit. Si vis debitè ſtare, ac proficere: teneas te tanquam exulem & peregrinum ſuper terram. Oportet te ſtultum fieri propter Chriſtum: ſi vis religioſam ducere vitam. [*Hic addiſce neceſſitatem mortificandi rationem ac proprium judicium.*]

2. Habitus & tonſura modicum conferunt: ſed mutatio morum, & integra mortificatio paſſionum verum faciunt Religioſum. Qui aliud quærit quàm purè Deum, & animæ ſuæ ſalutem: non inveniet niſi tribulationem & dolorem. Non poteſt etiam diù ſtare pacificus: qui non nititur eſſe minimus & omnibus ſubjectus.

3. Ad ſerviendum veniſti, non ad regendum; ad patiendum ſcias te vocatum & ad laborandum: non ad otiandum vel fabulandum. Hic ergò probantur homines ſicut aurum in fornace; hìc nemo poteſt ſtare: niſi ex toto corde ſe voluerit propter Deum humiliare.

De exemplis Sanctorum Patrum. Ibidem, cap. 18.

1. INtuere Sanctorum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulſit & religio: & videbis quàm modicum ſit, & penè nihil quod nos agimus. Heu, quid eſt vita noſtra ſi illis fuerit comparata? Sancti & amici Chriſti Domino ſervierunt in fame & ſiti; in frigore & nuditate; in labore & fatigatione; in vigiliis & orationibus; in jejuniis & ſanctis meditationibus: in perſecutionibus & opprobriis multis.

2. O quàm multas & graves tribulationes paſſi ſunt Apoſtoli; & Martyres, Confeſſores, Virgines: & reliqui omnes qui Chriſti veſtigia voluerunt ſequi. Nam animas ſuas in hoc mundo oderunt: ut in vitam æternam poſſiderent eas. O quàm ſtrictam, & abdicatam vitam ſancti Patres in eremo duxerunt; quàm longas & graves tentationes pertulerunt: quàm frequenter ab inimico vexati ſunt. [*Nota tentationem, iter eſſe per quod ambulandum eſt: ut ad ſanctitatem perveniatur.*] Quàm crebras & fervidas orationes Deo obtulerunt; quàm rigidas abſtinentias peregerunt; Quàm magnum zelum & fervorem ad ſpiritualem profectum habuerunt; quàm forte bellum adverſus edomationem vitiorum geſſerunt; quàm puràm & rectam intentionem ad Deum tenue-

runt ! Per diem laborabanr, & noctibus orationi diutinæ vacabant: qu unquam laborando ab oratione mentali minimè ceſſarent. [*Id moraliter & diſcretè intelligendum eſt de elevationibus mentis ad Deum, quæ inter laborandum fiunt: & de intentione ei placendi, quæ abſque interruptione perſeverat.*]

3. Omne tempus utiliter expendebant ! omnis hora ad vacandum Deo brevis videbatur: & præ magna dulcedine contemplationis etiam oblivioni tradebatur neceſſitas corporalis refectionis. [*Notandum, quod priſcis hiſce Patribus liberum erat exercitia ſibi ſeligere in ſolitudine. Sed cùm modò certis regulis ſis aſtrictus ! obedientia anteponenda eſt quibuſvis exercitiis: ex libero tuæ voluntatis arbitrio aſſumendis. Id enim proculdubio majoris eſt meriti & mortificationis.*] Omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus, amicis, & cognatis renunciabant ! nihil de mundo habere cupiebant ! vix neceſſaria vitæ ſumebant: corpori etiam ſervire in neceſſitate dolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis: ſed divites valdè in gratia, & virtutibus. Foris egebant: ſed intùs gratiâ & conſolatione divinâ reficiebantur.

4. Mundo erant alieni: ſed Deo proximi & familiares amici. Sibi-ipſis videbantur tanquam nihili & huic mundo deſpecti: ſed erant in oculis Dei pretioſi & electi. In vera humilitate ſtabant ! in ſimplici obedientia vivebant, in charitate & patientia ambulabant: & ideò in ſpiritu quotidiè proficiebant, & magnam apud Deum gratiam obtinebant. Dati ſunt in exemplum omnibus Religioſis ! & plus provocare nos debent ad benè proficiendum: quàm tepidorum numerus ad relaxandum.

5. O quantus fervor omnium Religioſorum in principio ſuæ ſanctæ inſtitutionis fuit ! O quanta devotio orationis: quanra æmulatio virtutis, quàm magna diſciplina viguit. Quanta reverentia & obedientia ſub regula magiſtri in omnibus effloruit ! teſtantur adhuc veſtigia derelicta, qnòd verè viri ſancti & perfecti fuerunt: qui tam ſtrenuè militantes mundum ſuppeditaverunt. Jam magnus putatur ſi quis rranſgreſſor non fuerit: ſi quis quod accepit, cum patientia tolerare potuerit.

6. O tepor & negligentia ſtatûs noſtri ! quòd tam citò declinamus à priſtino fervore; & jam tædet vivere præ laſſitudine & tepore. Utinam in te penitùs non dormiret profectus virtutum: qui multa ſæpius exempla vidiſti devotorum.

De exercitiis boni Religioſi. Ibidem, cap. 19.

1. Vita boni Religioſi omnibus virtutibus pollere debet: ut ſit talis interiùs, qualis videtur exteriùs hominibus. Et meritò multò plus debet eſſe intùs: quàm quod cernitur foris. Quia inſpector noſter

eſt Deus ⹎ quem ſummoperè revereri debemus ubicumque fuerimus: & tanquam Angeli in conſpectu ejus mundi incedere. Omni die renovare debemus propoſitum noſtrum ⹎ & ad fervorem nos excitare, quaſi hodiè primùm ad converſionem veniſſemus; atque dicere ⹎ Adjuva me Domine Deus in bono propoſito & ſancto ſervitio tuo ⹎ & da mihi nunc hodie perfectè incipere: quia nihil eſt quod hactenùs feci.

2. Secundum propoſitum noſtrum extendit ſe curſus profectûs noſtri: & multa diligentia opus eſt benè proficere volenti. Quòd ſi fortiter proponens ſæpe deficit ⹎ quid ille qui rarò aut minùs fixè aliquid proponit? Variis tamen modis contingit deſertio propoſiti noſtri: & levis omiſſio exercitiorum vix ſine aliquo diſpendio tranſit. Juſtorum propoſitum in gratia Dei potiùs quàm in propria ſapientia pendet ⹎ in quo & ſemper confidunt quidquid arripiant: Nam homo proponit, ſed Deus diſponit, *nec eſt in homine via ejus.* *Ier.10. 23.*

3. Si pietatis cauſâ, aut fraternæ utilitatis propoſito quandoque conſuetum omittitur exercitium: facilè poſteà poterit recuperari. Si autem tædio animi aut negligentiâ faciliter relinquitur: ſatis culpabile eſt, & nocivum ſentietur. Conemur quantùm poſſumus; adhuc leviter deficiemus in multis. Semper tamen aliquid certi proponendum eſt: & contra illa præcipuè quæ ampliùs nos impediunt. Exteriora noſtra & interiora pariter nobis ſcrutanda ſunt & ordinanda; quia utraque expediunt ad profectum.

4. Si non continuè te vales colligere ⹎ ſaltem interdum, & ad minus ſemel in die: manè videlicet aut veſperè. [*Piiſſimi Doctoris hìc diſcretionem attende: quia omnia ex uniuſcujuſque viribus metitur.*] Manè propone, veſperè diſcute mores tuos ⹎ qualis hodiè fuiſti in verbo, opere & cogitatione: quia in his ſæpiùs forſitan Deum offendiſti & proximum. Accinge te ſicut vir contra diabolicas nequitias ⹎ fræna gulam: & omnem carnis inclinationem faciliùs frænabis. Nunquam ſis ex toto otioſus ⹎ ſed aut legens, aut ſcribens, aut orans, aut meditans: aut aliquid utilitatis pro communi laborans. Corporalia exercitia diſcretè ſunt agenda: nec omnibus æqualiter aſſumenda. [*Obſerva quonam modo diſcretionem commendet.*]

5. Quæ communia non ſunt, non ſunt foris oſtendenda: nam in ſecreto tutiùs exercentur privata. Cavendum tamen ne piger ſis ad communia, & ad ſingularia promptior ⹎ ſed expletis integrè atque fideliter debitis & injunctis, ſi jam ultrà vacat, redde te tibi prout devotio tua deſiderat. [*Hi verò devotionis motus intra diſcretionis regulas: & tuæ profeſſionis limites ſunt continendi.*] Non poſſunt omnes habere unum exercitium ⹎ ſed aliud iſti: aliud illi magis deſervit. Etiam pro temporis congruentia, diverſa placent exercitia: quia alia in feſtis, alia in feriatis magis ſapiunt diebus. Aliis indigemus tempore tentationis: & aliis tempore pacis & quietis. Alia cùm triſtamur libet cogitare: & alia cùm læti in Domino fuerimus.

6. Circa principalia feſta renovanda ſunt bona exercitia: & Sanctorum ſuffragia ferventiùs imploranda. [*Hunc fervorem intellige quoad rationem & voluntatem ˥ nec te inde arbitreris poſſe ſolemnioribus feſtis ſenſibilem devotionis affectum in te excitare: Deus enim ſolus poteſt illam elargiri quando ei placuerit. Id ergò intelligendum eſt de renovatione firmioris propoſiti.*] De feſto in feſtum proponere debemus: quaſi tunc de hoc ſeculo migraturi ſimus, & ad æternum feſtum perventuri. Ideóque ſollicitè nos præparare debemus in devotis temporibus ˥ & devotiùs converſari, atque omnem obſervantiam ſtrictiùs cuſtodire: tanquam in brevi præmium laboris noſtri a Deo percepturi.

7. Et ſi dilatum fuerit ˥ credamus nos minùs benè præparatos, atque indignos tantæ adhuc gloriæ, quæ revelabitur in nobis tempore
Matth.24. 43. præfinito: & ſtudeamus nos meliùs ad exitum præparare. *Beatus ſer-*
Luc.12. 43. *vus* (ait Evangeliſta Lucas:) *quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem. Amen dico vobis: ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.*

De amore ſolitudinis & ſilentij. Ibidem, cap. 20.

1. QUære aptum tempus vacandi tibi: & de beneficiis Dei frequenter cogita ˥ Tales perlege materias: quæ compunctionem magis præſtent, quàm occupationem. Si te ſubtraxeris a ſuperfluis locutionibus & otioſis circuitionibus ˥ nec non à novitatibus & rumoribus audiendis: invenies tempus ſufficiens & aptum, quo bonis meditationibus inſiſtas. Maximi Sanctorum humana conſortia ubi poterant, vitabant: & Deo in ſecreto vivere eligebant.

Seneca. 2. Dixit quidam ˥ quoties inter homines fui: minor homo redij. Hoc ſæpius experimur: quando diù confabulamur. Faciliùs eſt omninò tacere: quàm verbo non excedere. Faciliùs eſt domi latêre: quàm foris ſe poſſe ſufficienter cuſtodire. Qui igitur intendit ad interiora & ſpiritalia pervenire: oportet eum cum JESU à turba declinare. Nemo ſecurè apparet: niſi qui libenter latet. Nemo ſecurè loquitur: niſi qui libenter tacet. Nemo ſecurè præeſt: niſi qui libenter ſubeſt. Nemo ſecurè præcipit: niſi qui benè obedire didicit.

3. Nemo ſecurè gaudet: niſi qui bonæ conſcientiæ in ſe teſtimonium habet. Semper tamen Sanctorum ſecuritas plena timoris Dei extitit. Nec eò minùs ſolliciti & humiles in ſe fuérunt: quia magnis virtutibus & gratia emicuérunt. Pravorum autem ſecuritas ex ſuperbia & præſumptione óritur: & in fine in deceptionem ſui vertitur. Nunquam promittas tibi ſecuritatem in hac vita: quamvis bonus videaris Cœnobita, aut devotus Eremita.

4. Sæpe meliores in æſtimatione hominum graviùs periclitati ſunt: propter ſuam nimiam confidentiam. Unde multis utilius eſt, ut non

penitùs tentationibus careant⁏ ſed ſæpiùs impugnentur, ne nimiùm ſecuri ſint, ne fortè in ſuperbiam eleventur: ne etiam ad exteriores conſolationes licentiùs declinent. [*Hic tibi revelat, viarum & diſpenſationis Dei arcanum & indubitatam veritatem⁏ unde non modicam in tentatione conſolationem percipias: & concidentem animum erigas. Hinc etiam comprobatur, Deum voluntatem liberam relinquere ad bonum operandum⁏ cùm tot media admoveat & adjumenta: ut anima ſuâ libertate ad benè agendum utatur.*] O qui nunquam tranſitoriam lætitiam quæreret⁏ qui nunquam cum mundo ſe occuparet: quàm bonam conſcientiam ſervaret. O qui omnem vanam amputaret ſollicitudinem, & ſalutaria duntaxat ac divina cogitaret⁏ totámque ſpem ſuam in Deo conſtitueret: quàm magnam pacem & quietem poſſideret.

5. Nemo dignus eſt cæleſti conſolatione: niſi diligenter ſe exercuerit in ſancta compunctione. Si vis corde tenus compungi⁏ intra cubile tuum, & exclude tumultus mundi, ſicut ſcriptum eſt: *In cubilibus veſtris compungimini.* In cella invenies quod deforis ſæpiùs amittes. Cella continuata dulceſcit: & malè cuſtodita tædium generat. Si in principio converſionis tuæ benè illam incolueris & cuſtodieris: erit tibi poſteà dilecta amica, & gratiſſimum ſolatium. *Pſalm. 4. 5.*

6. In ſilentio & quiete proficit anima devota: & diſcit abſcondita Scripturarum. Ibi invenit fluenta lacrymarum, quibus ſingulis noctibus ſe lavet & mundet⁏ ut Conditori ſuo tantò familiarior fiat: quantò longiùs ab omni ſeculari tumultu degit. Qui ergò ſe abſtrahit à notis & amicis: appropinquabit illi Deus cum Angelis ſanctis. Meliùs eſt latere, & ſui curam agere: quàm ſe neglecto ſigna facere. Laudabile eſt homini religioſo rarò foras ire⁏ fugere videri; nolle etiam homines videre.

7. Quid vis videre quod non licet habere? *Tranſit mundus: & concupiſcentia ejus.* Trahunt deſideria ſenſualitatis ad ſpatiandum⁏ ſed cùm hora tranſierit, quid niſi gravitatem conſcientiæ, & cordis diſperſionem reportas? [*De ſpatiamentis inutilibus hæc intelligenda ſunt. Quæ enim ad competentem animi recreationem præſcribuntur: conſideranda ſunt veluti ſubſidia ad Deo meliùs ſerviendum conceſſa & ordinata.*] Lætus exitus triſtem ſæpe reditum parit: & læta vigilia ſerotina triſte mane facit. Sic omne carnale gaudium blandè intrat: ſed in fine ut vipera mordet & perimit. Quid potes alibi videre, quod hîc non videas? Ecce cælum & terra, & omnia elementa: nam ex iſtis omnia ſunt facta. *1. Io. 2. 17.*

8. Quid potes alicubi videre, quod diu poſſit ſub ſole permanere? Credis te forſitan ſatiari: ſed non poteris pertingere. Si cuncta videres præſentia, quid eſſet niſi viſio vana? leva oculos tuos ad Deum in excelſis: & ora pro peccatis tuis & negligentiis. Dimitte vana vanis: tu autem intende illis, quæ tibi præcepit Deus. Claude ſuper te oſtium tuum: & voca ad te JESUM dilectum tuum. Mane cum eo in cella:

quia non invenies alibi tantam pacem. Si non exiſſes, nec quidquam de rumoribus audiſſes: meliùs in bona pace permanſiſſes. Ex quo nova delectat aliquando audire: oportet te exinde turbationem cordis tolerare.

Univerſæ vitæ Religioſæ arcana paucis expreſſa hîc habes; quibúſque motivis ac modis te in ea gerere debes: ut ibi perfectionem attingas; tranquillam vitam agas: ac cæleſtes conſolationes deguſtare valeas. Quæcumque piiſſimus Doctor hîc aſſerit: veriſſima eſſe experientiâ docente agnoſces. Ejus monita cordi tuo altiùs infige: per viam quam tibi indicat gradatim incedere propone; nec in ea leviores lapſus defectúſque animum conturbent: cùm nemo ab eis, quantócumque ſanctitatis gradu fuerit præditus in hac vita immunis fuerit. Adhuc ea de re egregia documenta in ſequenti lectione fuſiùs expreſſa invenies.

LECTIO OCTAVA DECIMA.

Quòd ferventer incumbendum ſit emendationi noſtræ ac profectui; & omnia ad Deum ſicut ad finem ultimum ſint referenda. Quòd ſpreto mundo, dulce eſt ſervire Deo; & qualiter ſtandum ac dicendum ſit in omnibus deſideriis noſtris.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

N*Eſcitis quod ij qui in ſtadio currunt; omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? ſic currite: ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne fortè cùm aliis prædicaverim: ipſe reprobus efficiar.* Epiſt. 1. ad Cor. cap. 9. v. 24.

De cætero ergò, fratres, rogamus vos, & obſecramus in Domino IESU: ut quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo; ſic & ambuletis, ut abundetis magis. Epiſt. 1. ad Theſſ. cap. 4. v. 1.

Exhortamur, ne in vacuum, gratiam Dei recipiatis; ait enim, tempore accepto exaudivi te: & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis. Epiſt. 2. ad Cor. cap. 6. v. 1.

Sive ergò manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid faciatis: omnia in gloriam Dei facite. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 10. v. 31.

Ego dedi eis ſermonem tuum ; & mundus eos odio habuit : quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo : ſed ut ſerves eos à malo. De mundo non ſum : ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate : ſermo tuus veritas eſt. Joan. cap. 17. v. 14.

Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte ; veruntamen non ſicut ego volo : ſed ſicut tu. Matt. cap. 26. v. 39.

Hæc Sacræ Scripturæ verba apertè innuunt ; 1. Neceſſitatem indiſpenſabilem aſſiduè incumbendi profectui ſpirituali ; nec in præſenti animæ tuæ ſtatu quieſcendi : niſi velis ab eo decidere, & in gravia damna ſpiritualia incidere. 2. Tempore tibi conceſſo, & gratiâ ſtrenuè utendum eſſe : & abſque utriuſque abuſu. 3. Omnes actus noſtros ad Deum eſſe referendos. 4. Mundum magno contemptui habendum eſſe : cùm Chriſtus de eo locutus fuerit quaſi de re à ſe penitùs rejecta. 5. Hæc demùm verba edocent qualiter petitiones noſtras Deo exponere & inſtituere debemus : ac divinæ eius voluntatis beneplacitum acceptare. Magiſtrum tuum de Imitatione ſuper his diſſerentem attentè cauſulta.

De ferventi emendatione totius vitæ noſtræ. Libro 1. de Imitatione, cap. 25.

1. ESto vigilans, & diligens in Dei ſervitio ; & cogita frequenter ad quid veniſti : & cur ſæculum reliquiſti. Nonne ut Deo viveres, & ſpiritalis homo fieres ? Igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies ; nec erit tunc ampliùs timor, aut dolor in finibus tuis. Modicùm nunc laborabis ; & magnam requiem, imò perpetuam lætitiam invenies. Si tu permanſeris fidelis & fervidus in agendo : Deus procul dubio erit fidelis & locuples in retribuendo. Spem bonam retinere debes, quòd ad palmam pervenies : ſed ſecuritatem capere non oportet, ne torpeas, aut elatus fias.

2. Cùm quidam anxius inter metum & ſpem frequenter fluctuaret ; & quadam vice mœrore confectus in Eccleſia ante quoddam altare ſe in oratione proſtraviſſet : hæc intra ſe revolvit dicens. O ſi ſcitem quòd adhuc perſeveraturus eſſem ; ſtatímque audivit intùs divinum reſponſum ; Quid, ſi hoc ſcires, facere velles ? Fac nunc quòd tunc facere velles : & benè ſecurus eris. Móxque conſolatus, & confortatus divinæ ſe commiſit voluntati : & ceſſavit anxia fluctuatio. Noluítque curioſè inveſtigare ut ſciret quæ ſibi eſſent futura ; ſed magis ſtuduit inquirere quæ eſſet voluntas Dei beneplacens & perfecta : ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. [*Hinc diſce ; mentis curioſitatem eſſe comprimendam, circa divinæ diſpenſationis arcana conſilia : nimiámque ſollicitudinem de futuris.*

Q

Pſal. 36. 3. 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem*, (ait Propheta :) *& inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus.* Unum eſt quod multos à profectu & fervεnti emendatione retrahit: horror difficultatis, ſeu labor certaminis. Enimverò illi maximè præ aliis in virtutibus proficiunt ꟸ qui ea, quæ ſibi magis gravia & contraria ſunt : viriliùs vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem : ubi magis ſeipſum vincit, & in ſpiritu mortificat.

4. Sed non omnes habent æquè multum ad vincendum & moriendum. Diligens tamen æmulator valentior erit ad proficiendum, etiamſi plures habeat paſſiones : quàm alius benè morigeratus, minùs tamen fervens ad virtutes. [*Ex his omnibus collige : qualem divina gratia liberi arbitrij cooperationem requirat. Cùm enim ad conatus tuos adhibendos & ad te in numerum ferventiorum adſcribendum incitat : hinc apertè declarat cooperationem gratiæ plus & minus admittere.*] Duo ſpecialiter ad magnam emendationem juvant ꟸ videlicet, ſubtrahere ſe violenter ab eo, ad quod natura vitioſè inclinatur : & ferventer inſtare pro bono, quo ampliùs quis indiget. Illa etiam cavere magis ſtudeas & vincere : quæ tibi frequentiùs in aliis diſplicent.

5. Ubique profectum tuum capias ꟸ ut ſi bona exempla videas vel audias : ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehenſibile conſideraveris ꟸ cave ne idem facias : aut ſi aliquando feciſti, citiùs te emendare ſtudeas. Sicut oculus tuus alios conſiderat : ſic iterùm ab aliis notaris. Quàm jucundum eſt & dulce videre fervidos & devotos fratres : benè morigeratos & diſciplinatos. Quàm triſte eſt & grave videre inordinatè ambulantes : qui ea, ad quæ vocati ſunt, non exercent. Quàm nocivum eſt negligere vocationis ſuæ propoſitum : & ad non commiſſa ſenſum inclinare.

6. Memor eſto arrepti propoſiti : & imaginem tibi propone Crucifixi. Benè verecundari potes inſpectâ vitâ Jesu Christi ꟸ quia necdum magis illi te conformare ſtuduiſti : licèt diù in via Dei fuiſti. Religioſus, qui ſe intentè & devotè in ſanctiſſima vita & paſſione Domini exercet ꟸ omnia utilia & neceſſaria ſibi abundanter ibi inveniet : nec opus eſt ut extra Jesum aliquid melius quærat. O ſi Jesus crucifixus in cor noſtrum veniret ꟸ quàm citò & ſufficienter docti eſſemus ?

7. Religioſus fervidus omnia benè portat & capit quæ illi jubentur. Religioſus negligens & tepidus habet tribulationem, ſuper tribulationem ꟸ & ex omni parte patitur anguſtiam : qui interiori conſolatione caret, exteriorem autem quærere prohibetur. [*En tibi nativis coloribus depingitur Religioſus qui ſit remiſſus : nec ſtudet honorare ſicut debet Regulas ſuæ profeſſionis. Anima eius efficitur quaſi corpus in aëre ſuſpenſum quod vim patitur : quia non habet ubi pedem figat.*] Religioſus extra diſciplinam vivens gravi patet ruinæ. Qui laxiora quærit & remiſſiora,

ſemper in anguſtiis erit; quia aut unum aut reliquum ſibi diſplicebit.

Quomodò faciunt tam multi alij religioſi, qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali? Rarò exeunt, abſtractè vivunt, pauperrimè comedunt, groſsè veſtiuntur, multùm laborant, parùm loquuntur, diù vigilant, maturè ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt: & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt. Attende Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & diverſæ Religionis Monachos ac Moniales: qualiter omni nocte ad pſallendum Domino aſſurgunt. Et ideò turpe eſſet, ut tu deberes in tam ſancto opere pigritare: ubi tanta multitudo Religioſorum incipit Deo jubilare.

9. O ſi nihil aliud faciendum incumberet, niſi Dominum Deum noſtrum toto corde & ore laudare! O ſi nunquam indigeres comedere, nec bibere, nec dormire, ſed ſemper poſſe Deum laudare, ac ſolummodò ſpiritualibus ſtudiis vacare; tunc multò felicior eſſes: quàm modò cùm carni ex qualicumque neceſſitate ſervis. Utinam non eſſent iſtæ neceſſitates, ſed ſolummodò ſpiritales animæ refectiones; quas, heu! ſatis rarò deguſtamus.

10. Quando homo ad hoc pervenit, quòd de nulla creatura conſolationem ſuam quærit; tunc ei Deus primò perfectè ſapere incipit: tunc etiam benè contentus de omni eventu rerum erit. Tunc nec pro magno lætabitur, nec pro modico contriſtabitur: ſed ponet ſe integrè ac fiducialiter in Deo, qui eſt ei omnia in omnibus; cui nihil utique perit, nec moritur: ſed ei vivunt omnia, & ad nutum incunctanter deſerviunt.

11. Memento ſemper finis: & quia perditum non redit tempus. Sine ſollicitudine atque diligentia nunquam acquires virtutes. Si incipis tepeſcere: incipies malè habere. Si autem dederis te ad fervorem: invenies magnam pacem, & ſenties leviorem laborem propter Dei gratiam, & virtutis amorem. Homo fervidus & diligens ad omnia eſt paratus. Major labor eſt reſiſtere vitiis & paſſionibus: quàm corporalibus inſudare laboribus. Qui parvos non vitat defectus paulatim labitur ad majores. Gaudebis ſemper veſperè: ſi diem expenderis fructuosè. Vigila ſuper teipſum, excita teipſum, admone teipſum: & quidquid de aliis ſit, non negligas teipſum. Tantùm proficies; quantum tibi ipſi vim intuleris. Amen.

Hic attentè obſerva qualiter loquatur piiſſimus Magiſter de vi tibi inferenda: ſine qua nullum in virtute progreſſum fieri poſſe abſolutè pronunciat. Violentia autem pœnas & laborem ſemper præſupponit. Id ergò tibi apertè demonſtrat cooperationem quam debemus exhibere gratiæ Dei: vim iſtam ejus auxilio adjuti nobis inferendo, ut non deſinimus gratiæ ejus. Et ideò debemus indeſinenter divinum implorare auxilium ad exercitium iſtius violentiæ benè complendum: quâ naturales propenſiones vincuntur. Ad quod etiam Chriſtus nos incitat dicendo: petite, quærite, pulſate.

Quod omnia ad Deum, ſicut ad finem ultimum ſunt referenda. Libro 3. de Imitatione. Cap. 9.

SALVATOR.

1. FILI ego debeo eſſe finis tuus ſupremus & ultimatus: ſi verè deſideras eſſe beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus: ſæpiùs ad ſeipſum & ad creaturas malè incurvatus. Nam ſi te ipſum in aliquo quæris: ſtatim in te deficis & areſcis. Omnia ergò ad me principaliter referas: quia ego ſum qui omnia dedi. Sic ſingula conſidera ſicut ex ſummo bono manantia: & ideò ad me tanquam ad ſuam originem cuncta ſunt reducenda.

2. Ex me puſillus & magnus, dives & pauper tanquam ex fonte vivo aquam vivam hauriunt: & qui mihi ſponte ac liberè deſerviunt, gratiam pro gratia accipient. Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo privato bono delectari ˥ non ſtabilietur in vero gaudio, neque in corde ſuo dilatabitur: ſed impedietur multipliciter, & anguſtiabitur. Nihil ergò tibi de bono adſcribere debes ˥ nec alicui homini virtutem attribuas: ſed mihi totum da Deo tuo, ſine quo nihil habet homo. Ego totum dedi ˥ ego totum rehabere volo: & cum magna diſtrictione gratiarum actiones requiro.

3. Hæc eſt veritas, quâ fugatur gloriæ vanitas. Et ſi intraverit cæleſtis gratia & vera charitas ˥ non erit aliqua invidia, nec contractio cordis: neque privatus amor occupabit. [*Hîc vides gratiæ ſenſibilis effectus quæ ad tempus naturæ contradictiones effugat ˥ & quoddam robur in anima imprimit: quo in omnibus amorem privatum ſuperat. Ita ut vix audeat apparere: repetitis victoriis, & quaſi ex habitu profligatus.*] Vincit enim omnia divina charitas: & dilatat omnes animæ vires. Si rectè ſapis in me ſolo gaudebis, in me ſolo ſperabis ˥ quia nemo bonus, niſi ſolus Deus: qui ſum ſuper omnia laudandus, & in omnibus benedicendus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Quod ſpreto mundo dulce eſt ſervire Deo. Ibidem, cap. 10.

DISCIPULUS.

Pſ. 67. 25. 1. NUNC iterum loquar Domine, & non ſilebo ˥ dicam in auribus *Dei mei, Domini mei, Regis mei, qui eſt in excelſo: O quàm magna*
Pſ. 30. 20. *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Sed quid es amantibus? quid toto corde tibi ſervientibus? Verè ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ: quàm largiris amantibus te. In hoc maximè oſtendiſti mihi dulcedinem charitatis tuæ ˥ quia cùm non eſſem feciſti me: & cùm errarem longè à te, reduxiſti me, ut ſervirem tibi: & præcepiſti ut diligam te.

2. O fons amoris perpetui quid dicam de te. Quomodò potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari, etiam poſtquàm contabui & perij? Feciſti ultra omnem ſpem miſericordiam cum ſervo tuo: & ultra omne meritum gratiam & amicitiam exhibuiſti. Quid retribuam tibi pro gratia iſta? Non enim omnibus datum eſt ut omnibus abdicatis ſæculo renuntient: & Monaſticam vitam aſſumant. Numquid magnum eſt ut tibi ſerviam, cui omnis creatura ſervire tenetur? Non magnum mihi videri debet ſervire tibi⁊ ſed potiùs hoc mihi magnum & mirandum apparet: quòd tam pauperem & indignum dignaris in ſervum recipere, & dilectis ſervis tuis adunare.

3. Ecce omnia tua ſunt quæ habeo, & unde tibi ſervio. Verumtamen vice verſâ tu mihi magis ſervis, quàm ego tibi. Ecce cælum, & terra, quæ in miniſterium creaſti hominis præſto ſunt: & faciunt quotidiè quæcumque mandaſti. Et hoc parum eſt. Quin etiam Angelos in miniſterium hominis ordinaſti. Tranſcendit autem hæc omnia, quòd tu ipſe homini ſervire dignatus es: & teipſum daturum ei promiſiſti.

4. Quid dabo tibi pro omnibus iſtis millibus bonis? Utinam poſſem tibi ſervire cunctis diebus vitæ meæ. Utinam vel uno die dignum ſervitium exhibere ſufficerem. Verè tu es dignus omni ſervitio: omni honore & laude æternâ. Verè tu Dominus meus es, & ego pauper ſervus tuus⁊ qui totis viribus teneor tibi ſervire: nec unquam in laudibus tuis debeo faſtidire. Sic volo, ſic deſidero; & quidquid mihi deeſt, tu digneris ſupplere.

5. Magnus honor, magna gloria tibi ſervire: & omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam magnam: qui ſponte ſe ſubjecerint tuæ ſanctiſſimæ ſervituti. Invenient ſuaviſſimam Spiritûs Sancti conſolationem: qui pro amore tuo omnem carnalem abjecerint delectationem. Conſequenter magnam mentis libertatem: qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam.

6. O grata & jucunda Dei ſervitus: quâ homo veraciter efficitur liber & ſanctus. O ſacer ſtatus religioſi famulatûs, qui hominem Angelis reddit æqualem⁊ Deo placabilem, dæmonibus terribilem: & cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum & ſemper optabile ſervitium⁊ quo ſummum promeretur bonum: & gaudium acquiritur ſine fine permanſurum.

Vita Religioſa his titulis & prærogativis meritò debet inſigniri, cùm in ſpiritu & veritate ducitur: ac monitis à piiſſimo Doctore hìc traditis conformatur.

Qualiter ſtandum ſit & dicendum in omni re deſiderabili. Libro 3. de Imitatione. Cap. 15.

Salvator.

1. Fili ſic dicas in omni re: Domine ſi tibi placitum fuerit, fiat hoc ita. Domine ſi ſit honor tuus: fiat in nomine tuo hoc. Domine ſi mihi videris expedire, & utile eſſe probaveris: tunc dona mihi hoc uti ad honorem tuum. Sed ſi mihi nocivum fore cognoveris, nec animæ meæ ſaluti prodeſſe: aufer à me tale deſiderium. Non enim omne deſiderium à Spiritu Sancto eſt: etiam ſi homini videatur rectum & bonum. [*Obſerva ergò quodlibet boni deſiderium non eſſe æſtimandum: quaſi cælitùs inſpiratum. Vide quod de hac re habetur in ſecundo volumine: tractatu de vero amore.*] Difficile eſt pro vero judicare utrum ſpiritus bonus, an alienus te impellat ad deſiderandum hoc vel illud: an etiam ex proprio movearis ſpiritu. Multi in fine ſunt decepti: qui primò bono ſpiritu videbantur inducti.

2. Igitur ſemper cum timore Dei, & cordis humilitate deſiderandum eſt & petendum quidquid deſiderabile menti occurrit maximéque cum propria reſignatione mihi totum committendum eſt, atque dicendum: Domine tu ſcis qualiter melius eſt, fiat hoc vel iſtud, ſicut volueris. Da quod vis, & quantum vis: & quando vis. Fac mecum ſicut ſcis, & ſicut tibi magis placuerit: & major honor tuus fuerit. Pone me ubi vis: & liberè age mecum in omnibus. In manu tua ſum: gyra & reverſa me per circuitum. En ego ſervus tuus paratus ad omnia quoniam non deſidero mihi vivere, ſed tibi: utinam dignè atque perfectè.

Oratio pro beneplacito Dei perficiendo.

3. Concede mihi, benigniſſime Jesu gratiam tuam: ut mecum ſit, & mecum laboret, mecúmque uſque in finem perſeveret. Da mihi ſemper deſiderare & velle: quod tibi magis acceptum, & cariùs placet. Tua voluntas mea ſit: & mea voluntas tuam ſequatur ſemper, & optimè ei concordet. Sit mihi unum velle & nolle tecum: nec aliud poſſe velle, aut nolle niſi quod tu vis, aut non vis.

4. Da mihi omnibus mori quæ in mundo ſunt: & propter te amare contemni, & neſciri in hoc ſæculo. Da mihi ſuper omnia deſiderata in te quieſcere: & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu ſola
Pſal. 4.9. requies: extra te omnia ſunt dura & inquieta. *In hac pace in idipſum:* hoc eſt, in te uno ſummo, æterno Bono *dormiam & requieſcam.*

His quæ ad Religioſi ſtatûs perfectionem & exercitia pertinent expoſitis; ad ea quæ omnes in univerſum ſpectant, redeamus.

LECTIO NONA DECIMA.

De Orationis neceſſitate : & de interna Chriſti locutione ad animam fidelem. Quòd veritas intùs loquitur ſine ſtrepitu verborum; Quòd Dei verba cum humilitate ſunt audienda : & quòd multi ea non ponderant.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

V*Igilate & orate; ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt : caro autem infirma.* Matt. cap. 26. v. 41.

Petite, & dabitur vobis; quærite & invenietis : pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit; & qui quærit, invenit : & pulſanti aperietur. Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? aut ſi piſcem petierit; numquid ſerpentem porriget ei? ſi ergò vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris; quantò magis pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? Matt. cap. 7. v. 7.

Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint : quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. Joan. cap. 15. v. 7.

Qui habet mandata mea, & ſervat ea : ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo : & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Joan. cap. 14. v. 21.

Ecce ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam : intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Apoc. cap. 3. v. 20.

Quod autem in bonam terram; hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent : & fructum afferunt in patientia. Luc. cap. 8. verſ. 15.

Hæc verba te edocent; 1. Orationem quæ non ſolùm ad divina beneficia recipienda, ſed etiam ad lapſus præcavendos neceſſaria eſt; effectus ſuos infallibiliter ſortiri. Cùm filius Dei id promittat; & ut de hac re te certum reddat: Dei in te amorem pluſquàm paternum eſſe aſſerat. 2. Chriſtum ſpirituali planè modo innoteſcere animæ quæ ipſius verba in ſacris libris expreſſa ſervando; ſe diſponit ad internas inſpirationes, veritatéſque ſupernaturales audiendas: quæ abſque verborum ſtrepitu in ea ſeſe imprimunt. Verùm hujuſmodi divini verbi ſemina; non niſi in corde humili, ſincero & à creaturarum amore ſoluto: fructum proferre. Utriuſque Doctoris ea de re audi ſententiam.

Ex Introductione Lib. 2. cap. 1. De Orationis neceſſitate.

NIhil eſt quod magis intellectum à ſuis ignorantiis; & voluntatem ab affectibus depravatis expurget : quàm oratio. Utpote quæ mentem & intellectum divinâ claritate ac lumine illuſtrat : atque amoris cæleſtis calore voluntatem incendit. Eſt namque ipſa velut aqua benedictionis; quæ irrigatione ſuâ bonorum deſideriorum noſtrorum plantas reviviſcere & florere facit : animas à ſuis purgat imperfectionibus, corda verò à ſuis liberat paſſionibus.

Secundò, imprimìs verò tibi conſulo orationem mentalem ac cordialem : & eam maximè quæ circa vitam & paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti verſatur. Si enim ſæpè eum meditatione conſideres; tota anima tua illo replebitur; illius modum agendi addiſces : & ad exemplar & normam illius omnes actiones tuas conformabis. Ipſe eſt lux mundi; in ipſo ergò, per ipſum, & ob ipſum : illuſtrari & illuminari debemus. Eſt item arbor deſiderij : ſub cujus umbra requieſcere & refrigerari nos oportet. Eſt vivus fons Jacob : in quo omnes noſtræ maculæ & nævi ablui debent. Pueri, loquentes matres ſuas frequenter audiendo; & unà cum ipſis balbutiendo : illarum linguam & loquelam diſcunt. Sic nos apud Salvatorem noſtrum per meditationem frequenter agentes; ac verba, actiones, & affectus ejus obſervantes : illius gratiâ juuante, diſcemus loqui, facere & velle uti ipſe. [*Hanc certam ſolidámque viam teneas ; quæ ad Sacram Chriſti humanitatem perpetuò mentis oculos intendit. Hæc enim eſt via quæ ducit ad patrem; per quam ſi conſtanter & fideliter incedas : Deus tempore opportuno levabit te ſupra te modo excellenti & ſublimi. Verùm qui uſque ad eſſentiam divinam hoc relicto medio conſcendere præſumunt per ideas abſtractas & ſupereminentes ; quàm maximis illuſionibus obnoxij ſunt.*] Hìc pedem figamus oportet, Philóthea; nec enim per aliam, quàm per hanc : ad Deum Patrem ire portam poſſemus. Nam ſicuti ſpeculi planities vultum & oculos noſtros non referret, nec in ſe detineret, niſi retrorſum ſtanno & plumbo inductum foret : ita nec Divinitas in mundo hoc inferiore commodè à nobis conſiderari poſſet : niſi ſactæ Salvatoris noſtri humanitati eadem foret conjuncta & unita. Hujus verò vita & mors tale objectum & materia ſunt : ut nullum magis proportionatum, ſuavius, delicioſius & utilius eo in ordinariam noſtram meditationem ſeligere poſſemus. Unde non fruſtrà Redemptor noſter, panis qui de cælo deſcendit, appellatur; nam ſicuti panis cum quolibet cibo comedi debet ; ſic & Salvator in omnibus orationibus & actionibus noſtris meditari, conſiderari & requiri. Vita & mors ejus fuit in diverſa puncta, ut meditationi accommodaretur, à variis auctoribus diviſa, diſtributa & diſtincta : inter quos tibi imprimìs

Imprimis ſuadeo legas, S. Bonaventur. Bellintanum, Brunum, Capilliam, Granatenſem, & Lud. de Ponte.

Tertiò, quotidiè horam unam ante prandium ei impende: & ſi fieri poteſt, manè. Tunc enim Spiritus tuus minùs erit turbatus: & poſt nocturnam quietem vigoroſior. Neque etiam pluſquàm horæ ſpatium, ei impendito: niſi Pater tuus ſpiritualis expreſſe id tibi præcipiat, aut ſuadeat. [*Spatium temporis Orationis formatæ hic aſſignatum, gravibus de cauſis poteſt minui Religioſis illis: qui Divinis Officiis prolixioribus perſolvendis aſtringuntur, quorúmque vita à conſortio hominum ſegregata: oratio ferè continua eſſe debet. Quæ verò hîc habentur uſque ad hujuſce capitis finem, ſeculares ſpectant, ex his tamen diſcretionem ediſcere potes: quæ in omnibus obſervari debet.*]

Quartò, ſi exercitium hoc in templo facere poſſis, & ſatis ibi tranquillitatis invenias, percommodum certè id tibi erit & facilè: quòd tibi nec pater, nec mater, nec uxor, nec maritus, nec alius quiſlibet impedimento eſſe poterit, quò minus una hora in templo agas. Cùm, ſi alicubi ſubjecta ſis: horam tam liberam in domo tua tibi forſan promittere non poſſes.

Quintò, omnem orationem, tam mentalem, quam vocalem à Dei præſentia inchoa, & hanc regulam ſemper ſine ulla exceptione obſerva: & brevi videbis, quantùm tibi ea imaginatio boni ſit allatura.

Sextò, (mihi credas velim) Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Apoſtolorum Symbolum recitabis Latinè: ſed quid eorum verba in lingua vernacula ſignificent, benè ut intelligas, elabora. Ut etſi ea communi Eccleſiæ linguâ recites: nihilominus admirabilem & ſapidum ſanctarum harum orationum ſenſum guſtare poſſis. Quas ita percurres, ut ſimul cogitatione ſenſum illarum profundè rimeris: & affectum tuum circa eumdem excites. Neque etiam feſtines ut multa dicas, ſed elabores potiùs: ut, quidquid dices, ex corde & affectuosè dicas. Nam vel una oratio Dominicalis cum ſenſu & attentè recitata pluris valet: quàm centum feſtinanter & celeriter decurſæ.

Septimò, roſarium utiliſſimus & commodiſſimus orandi modus & ratio eſt: dummodò id ſicut oportet & convenit, legere nôris. Quòd ut facias, fac habeas è libellis illis aliquem: qui ejus recitandi modum tradunt. Perutile quoque eſt, Litanias de Redemptore Jeſu, B. Virgine, & Sanctis legere; nec non eas omnes orationes vocales, quæ Manualibus & Officiis approbatis continentur. Eâ tamen conditione, ut, ſi orationis mentalis donum habeas: ei ſemper primarium locum aſſignes. Adeò ut, ſi poſt hanc abſolutam, commodè orationem vocalem facere nequeas; aut negotiorum multitudine óbruta, aut alia qualibet de cauſa, non multum propterea crucieris aut contriſteris; ſed ſatis tibi ſit ante vel pòſt meditationem ſolam Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum recitare.

Octavo, ſi orationem vocalem faciens ˥ cor tuum ad interiorem ac mentalem trahi & allici ſenties: ne reluctèris, neque invita illi te applices. Sed ſpiritum tuum ſuaviter illam in partem ferri & delabi ſinas ˥ neque ideò anxia ſis: quòd fortè orationes vocales, quas facere propoſueras, non perſolveris: mentalis enim quam illarum loco feciſti ˥ & Deo eſt gratior, & animæ tuæ utilior: excipio verò officium & Horas Canonicas, ſi ad eaſdem recitandas obligêris. Tunc quippe debiti partes explendæ ſunt: & officio ſatisfaciendum.

Nonò, ſi totum tempus antemeridianum ita tibi effluere contingat ˥ ut hoc orationis mentalis exercitium peragere commodè non poſſis: aut ob varia & multiplicia negotia, vel ob aliam quamlibet cauſam, (quod, quantùm tibi poſſibile eſt, videre debes ne unquam contingat ˥) defectum hunc poſt prandium reparare ſatage: ídque eâ horâ quæ à ciborum ſumptione maximè diſtet. Nam ſi immediatè à ſumpto cibo, & antequam ejus digeſtio longiùs provecta ſit, eam inſtituas ˥ & multo ſopore opprimêris: & valetudo tua non parùm detrimenti accipiet. [*Hic obſerva non ſtatim poſt refectionem animum eſſe intendendum: & ideò prudenter poſt eam hora ad minus integra ejus relaxationi debet concedi.*]

Si verò totâ die nulla ad eam faciendam tibi ſuppetat oportunitas ˥ jactura illa reſarcienda eſt: aut jaculatorias orationes per diem multiplicando ˥ aut aliquem librum ſpiritualem legendo: aut quamdam adjungendo pœnitentiam ˥ quæ, ne hic defectus ſæpiùs occurrat & multiplicetur, impediat: & firmum facito propoſitum poſtridiè meliùs officio tuo fungendi.

Nunc alter Magiſter ſubjiciet tibi, atque enucleatiùs exponet Orationis arcana ˥ methodum ac diſpoſitiones quæ requiruntur: ut in ea piè cum Deo converſeris.

De interna Chriſti locutione ad animam fidelem. Lib. 3. de Imitatione. Cap. 1.

Pſal. 84. 9. 1. AUDIAM *quid loquatur Dominus Deus in me.* Beata anima, quæ Dominum in ſe loquentem audit: & de ore ejus verbum conſolationis accipit. Beatæ aures, quæ venas divini ſuſurri ſuſcipiunt: & de mundi hujus ſuſurrationibus nihil advertunt. Beatæ planè aures quæ non vocem foris ſonantem: ſed intùs auſcultant veritatem loquentem & docentem. Beati oculi qui exterioribus clauſi: interioribus autem ſunt intenti. Beati qui interna penetrant ˥ & ad capienda arcana cæleſtia; magis ac magis per quotidiana exercitia ſe ſtudent præparare. Beati qui Deo vacare geſtiunt: & ab omni impedimento ſæculi ſe excutiunt.

2. Animadverte hæc, ô anima mea ˥ & claude ſenſualitatis tuæ oſtia,

ut poſſis audire quid loquatur in te Dominus Deus tuus. Hæc dicit dilectus tuus ˥ *Salus tua ego ſum*, pax tua, & vita tua : ſerva te apud me, & pacem invenies. Dimitte omnia tranſitoria, & quære æterna. Quid ſunt omnia tranſitoria niſi ſeductoria? Et quid juvabunt omnes creaturæ ſi fueris à Creatore deſerta? Omnibus ergò abdicatis Creatori tuo te redde placitam, ac fidelem : ut veram valeas apprehendere beatitudinem. *Pſal. 34. 9.*

Quod veritas intùs loquitur ſine ſtrepitu verborum. Ibidem, cap. 2.

1. LOQUERE, *Domine, quia audit ſervus tuus. Servus tuus ſum ego : da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua. Inclina cor meum in verba oris tui : fluat ut ros eloquium tuum.* [*Hoc internum Dei verbum nihil aliud eſt : quàm impreſſio gratiæ in anima, quâ veritate aliquâ tibi manifeſtatâ remanet convicta* ˥ *aut pios affectus concipit : aut propoſitum faciendi bonum, aut à malo declinandi amplectitur.*] Dicebant olim filij Iſraël ad Moyſen. *Loquere tu nobis, & audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Non ſic, Domine, non ſic oro ˥ ſed magis cum Samuele Propheta humiliter, ac deſideranter obſecro : *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Non loquatur mihi Moyſes, aut aliquis ex Prophetis: ſed tu potiùs loquere Domine Deus, inſpirator & illuſtrator omnium Prophetarum ˥ quia tu ſolus ſine eis potes me perfectè imbuere : illi autem ſine te nihil proficient. *1. Reg. 3. 9. Pſal. 118. 125. Pſ. 118. 36. Deut. 32. 2. Exo. 20. 19. 1. Reg. 3. 9.*

2. Poſſunt quidem verba ſonare : ſed ſpiritum non conferunt. Pulcherrimè dicunt : ſed te tacente cor non accendunt. Literas tradunt: ſed tu ſenſum aperis. Myſteria proferunt : ſed tu reſeras intellectum ſignatorum. Mandata edicunt : ſed tu juvas ad perficiendum. Viam oſtendunt: ſed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tantùm agunt; ſed tu corda inſtruis & illuminas. Illi exteriùs rigant: ſed tu fœcunditatem donas. Illi clamant verbis : ſed tu auditui intelligentiam tribuis.

3. *Non* ergò *loquatur mihi Moyſes, ſed tu Domine Deus meus* æterna veritas ˥ ne fortè moriar, & ſine fructu efficiar : ſi fuero tantùm foris admonitus, & intùs non accenſus. Ne ſit mihi ad judicium verbum auditum, & non factum ˥ cognitum, nec amatum : creditum, & non ſervatum. *Loquere* igitur *Domine, quia audit ſervus tuus. Verba enim vitæ æternæ habes.* Loquere mihi ad qualemcumque animæ meæ conſolationem ˥ & ad totius vitæ meæ emendationem : tibi autem ad laudem & gloriam, & perpetuum honorem. *Ioa. 6. 69.*

Quod Dei verba cum humilitate ſunt audienda : & quod multi ea non ponderant. Lib. 3. de Imitat. cap. 3.

SALVATOR.

Ioan. 6.64. 1. AUDI fili verba mea, verba ſuaviſſima: omnem Philoſophorum, & Sapientûm hujus mundi ſcientiam excedentia. *Verba mea ſpiritus, & vita ſunt* : nec humano ſenſu penſanda. Non ſunt ad vanam complacentiam trahenda ; ſed in ſilentio audienda : & cum omni humilitate atque affectu magno ſuſcipienda.

DISCIPULUS.

Pſ. 23. 12. Et dixi, *Beatus quem tu erudieris, Domine ; & de lege tua docueris eum: ut mitiges ei à diebus malis*, & non deſoletur in terra.

SALVATOR.

2. Ego, inquit Dominus, docui Prophetas ab initio ; & uſque nunc non ceſſo omnibus loqui : ſed multi ad vocem meam ſurdi ſunt & duri. Plures libentiùs mundum audiunt, quàm Deum : faciliùs ſequuntur carnis ſuæ appetitum, quàm Dei beneplacitum. [*In iſtis reprehenſionibus obſerva electionem boni & mali in libero arbitrio eſſe poſitam ; hominéſque Dei gratia abuti frequenter : quandoquidem omnibus non ceſſat loqui, prout hic dicitur.*] Promittit mundus temporalia & parva, & ſervitur ei aviditate magna : ego promitto ſumma & æterna, & torpeſcunt mortalium corda. Quis tantâ curâ mihi in omnibus ſervit, & obédit ;
Iſa. 23. 4. ſicut mundo & dominis ejus ſervitur? *Erubeſce Sidon, ait mare.* Et ſi cauſam quæris, audi quare. Pro modica Præbenda longa via curritur: pro æterna vita à multis vix pes ſemel à terra levatur. Vile pretium quæritur ; pro uno numiſmate interdum turpiter litigatur: pro vana re & parva promiſſione, die noctúque fatigari non timetur.

3. Sed, proh dolor ; pro bono incommutabili, pro præmio inæſtimabili, pro ſummo honore & gloria interminabili: vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubeſce ergo ſerve piger & queruloſe ; quòd illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Gaudent illi ampliùs ad vanitatem, quàm tu ad veritatem. Equidem à ſpe ſua nonnunquam fruſtrantur ; ſed promiſſio mea neminem fallit : nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod promiſi, dabo ; quod dixi, implebo : ſi tamen uſque in finem fidelis in dilectione mea quis permanſerit. Ego remunerator ſum omnium bonorum ; & fortis probator omnium devotorum.

4. Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter : erunt enim in tempore tribulationis ſeu tentationis tibi valdè neceſſaria. Quod non intelligis cùm legis: cognoſces in die viſitationis. [*Hæc omnia prorſus miranda ſunt. Sed hunc locum nota diligenter ; nec mireris*

ſi tentationis tempore : veritatis lumen in ratione tua defeciſſe videatur.] Dupliciter ſoleo viſitare meos electos : tentatione ſcilicet, & conſolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego ; unam increpando eorum vitia : alteram exhortando ad virtutum incrementa. *Qui habet verba mea , & ſpernit ea : habet qui judicet eum in noviſſimo die.* Ioa.12. 48.

Oratio ad impetrandam devotionis gratiam.

DISCIPULUS.

5. DOMINE Deus meus, omnia bona mea tu es. Et quis ego ſum, ut audeam ad te loqui ? Ego ſum pauperrimus ſervulus tuus & abjectus vermiculus ; multò pauperior & contemptibilior : quàm ſciam , vel dicere audeam. Memento tamen , Domine , quia nihil ſum: nihil habeo, nihilque valeo. Tu ſolus bonus, juſtus, & ſanctus ; tu omnia potes , omnia præſtas, omnia imples : ſolum peccatorem inanem relinquens. *Reminiſcere miſerationum tuarum , Domine* ; & imple cor meum gratia tua : qui non vis vacua eſſe opera tua. Pſal. 24.6.

6. Quomodò poſſum me tolerare in hac miſera vita ; niſi me confortaverit miſericordia & gratia tua ? *Hinc diſce recognoſcere coram Deo quid ſis ex teipſo ; quidque Deus tibi ſit : & ſenſum ac deſideria cordis tui amorosè, humiliter & patienter in conſpectu ejus effundere.*] Noli avertere faciem tuam à me : noli viſitationem tuam prolongare ; noli conſolationem tuam abſtrahere : *Ne fiat anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Pſa.142. 6. *Domine doce me facere voluntatem tuam* ; doce me coram te dignè & humiliter converſari : quia ſapientia mea tu es, qui in veritate me cognoſcis ; & cognoviſti antequam fieret mundus: & antequam natus eſſem in mundo. Pſ.142. 10.

LECTIO VIGESIMA.

De modo meditandi & de tribus partibus præparationis ad Orationem ; quæ ſunt , Animæ in præſentia Dei collocatio, invocatio : & argumenti meditationis electio.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

ANte Orationem præpara animam tuam : & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* Eccleſ. cap. 18. v. 23.

Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper : quoniam à dextris eſt mihi , ne commovear. Pſalm. 15. v. 8.

Deus virtutum convertere ; reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam quam plantavit dextera tua : & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. Pſalm. 79. v. 15.

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui ; & meditatus ſum, nocte cum corde meo : & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Pſal. 76. verſ. 6

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte : tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Epiſt. 1. ad Co. cap. 13. v. 12,

Hæc verba edocent præparationem ad Orationem eſſe neceſſariam ; ſimulque indicant modum ſe in ea benè gerendi per exercitia : 1. Præſentiæ Dei ; 2. Invocationis, 3. Meditationis : 4. Affectuum, 5. Et Patientiæ. Verùm S. Doctor hunc modum tibi latiùs explicaturus eſt ordinatè : & cum ſolita peſpicuitate.

Ex Introductione ad vitam devotam. Lib. 2. cap. 2. ubi de brevi meditandi methodo agitur : & primò de Dei præſentia, quæ eſt primum Præludiorum punctum.

AT neſcis forſan, Philóthea : quo ſit mentalis oratio modo inſtituenda. Eſt enim res quam neſcio quo infortunio, pauci noſtrâ hac ætate noverunt ; atque hac de cauſa facilem & brevem ad hoc methodum tibi hîc propono : expectans fore, ut multorum inſignium, qui hac de re compoſiti ſunt, librorum lectione, & ſuper omnia uſu, uberiùs & magis inſtruaris. Primùm tibi hîc popono præparationem aut præludia, quæ in duobus punctis conſiſtunt ; quorum primum eſt, collocare ſe in Dei conſpectu & præſentia : alterum, ejus auxilium invocare. Ut autem te in Dei præſentia conſtituas ; quatuor principalia tibi media propono : quibus hocce in principio uti poteris. [*Obſerva id dictum eſſe pro incipientibus : ut inde paulatim & gradatim formentur ad agendum ex pura fide.*]

Primum in viva & attenta quadam omni præſentiæ Dei apprehenſione ſitum eſt : ut cogites nimirùm, Deum eſſe in omnibus & ubique ; & nullum in hoc univerſo locum aut rem eſſe : in quo non adſit veriſſimâ quadam præſentiâ præſens. Adeò ut, ſicuti aves, quocumque volitant, ſemper aërem inveniunt ; ſic quocunque ambulamus, & ubicunque ſumus : ſemper Deum præſentem inveniamus. Unuſquiſque quidem veritatem hanc novit ; at non omnes attenti ſunt : ut eam apprehendant. Cæci tametſi non videant Principem qui ipſis præſens eſt : tamen nonminùs ſe reverenter gerunt, dummodò eum præſentem eſſe admoniti ſint. Sed quoniam eum non vident ; hinc facilè obliviſcuntur illum:

præſentem eſſe : & hoc obliti, adhuc faciliùs honorem illius & reverentiam amittunt. Non videmus, eheu! Philothea, Deum qui nobis præſens adeſt ꝰ & licet fides nos doceat, eum ſemper nobis præſentem eſſe : tamen, quòd eum oculis noſtris non cernamus ꝰ hinc ſæpè ejuſdem obliviſcimur : & ita nos gerimus, ac ſi procul à nobis abeſſet. Nam tametſi eum omnibus rebus præſentem eſſe noverimus ꝰ cùm tamen de eo non cogitamus : perinde id eſt ac ſi id non ſciremus. Hac de cauſa ſemper ante orationem anima ad attentam quamdam hujus præſentiæ Dei cogitationem conſiderationémque excitanda eſt. Hanc apprehendebat David, cum exclamaret ꝰ *Si aſcendero in cælum,* Deus meus, *tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades.* Unde verbis illis Patriarchæ Jacob uti debemus ꝰ qui, viſâ ſcalâ illâ ſacrâ : *quàm terribilis*, inquit, *eſt locus iſte. Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Dicere vult : ſe ad hoc non reſpexiſſe. Nam ignorare non poterat : Deum in omnibus & ubique præſentem eſſe. Ergò ad orationem accedens ꝰ ex toto corde tuo, & cordi tuo dicas : *Verè, ô cor meum, Deus eſt hic.*

Alterum ſeſe in hac ſacra Dei præſentia conſtituendi, medium eſt : cogitare, Deum non ſolùm in loco in quo tu agis, ſed etiam particulariſſimè in corde tuo, & in ſpiritûs tui fundo intimo adeſſe, utpote, quod ipſe divinâ ſuâ præſentiâ vivificat & animat : ibi perindè ac cor cordis tui, & ſpiritûs tui exiſtens. Nam uti anima, per totum corpus diffuſa, in omnibus ejus partibus præſens exiſtit ꝰ tametſi ſpeciali quadam reſidentia in corde ſedem habeat : eodem modo Deus, licet omnibus rebus præſentiſſimus ſit, ſpeciali tamen modo ſpiritui & cordi noſtro præſens aſſiſtit. Hinc eum David vocat, *Deum cordis* ſui ꝰ & S. Paulus ajebat : *In Deo vivimus, movemur & ſumus.* Itaque in veritatis hujus conſideratione ꝰ magnam in corde tuo erga Deum, qui ei adeò intimè præſens eſt : reverentiam excitabis.

Tertium medium eſt, ipſum Redemptorem noſtrum Jeſum intueri & conſiderare ꝰ ut pote qui ſua in humanitate, jam inde è cælis, omnes qui in mundo ſunt homines contemplatur : ſed imprimìs Chriſtianos, qui ejus ſunt filij ꝰ & eos quàm maximè qui orationi inſiſtunt : quorum actiones geſtus, & agendi modum conſiderat atque intuetur. Non eſt autem hoc nuda quædam fictio & imaginatio : ſed ipſiſſima veritas. Nam, quamvis eum non videamus : è ſummo tamen cælorum nos conſiderat. Sic Stephanus eum vidit, cùm pro nomine illiùs mortem oppeteret ꝰ adeò ut cum ſponſa dicere non immeritò poſſimus : *En ipſe ſtat poſt parietem, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.*

Quartum medium in eo conſiſtit, ut nuda ſimplicíque imaginatione utamur ꝰ Salvatorem nos noſtrum in ſacra ſua humanitate coram videre imaginantes : tanquam ſi apud nos verſaretur. Perinde atque amicos ipſi noſtros nobis repræſentamus, & dicimus ꝰ fingo mihi me videre talem, qui faciat hoc aut illud ; videor mihi illum videre, aut ſimile

quid. At, ſi ſanctiſſimum Altaris Sacramentum in meditationis loco adeſſet ; tunc præſentia illa realis eſſet : & non purè imaginaria. Etenim ſpecies & accidentia panis eſſent velut tapetum ; retrò quod Dominus realiter præſens nos conſpicit & conſiderat : etſi eum in propria forma non videamus. Aliquo ergò ex hiſce quatuor mediis uteris, ad animam tuam in Dei præſentia ante orationem conſtituendam ; nec verò omnia hæc media uno tempore ſimul ſunt uſurpanda : ſed tantùm ſigillatim unum, idque breviter & ſimpliciter.

Ibidem cap. 3. ubi agitur de invocatione : altero præparationis puncto.

INvocatio porrò fit hoc modo ; anima tua in Dei præſentia ſe agere ſentiens, ſumma quadam cum reverentia ſeſe proſternit : indigniſſimam ſe reputans quæ coram adeò ſublimi & ſuprema Majeſtate verſetur : ſciens tamen hanc ipſam bonitatem id velle ; gratiam ab ipſa poſtulabit ad illi benè ſerviendum, & in hac meditatione illam adorandum. Si velis, brevibus & ardentibus quibuſdam verbis ad hoc uti poteris : uti ſunt illa Davidis. *Ne projicias me, Deus meus, à facie tua : & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Illumina faciem tuam ſuper ancillam tuam : & conſiderabo mirabilia tua. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam : & cuſtodiam illam ex toto corde meo. Ego ancilla tua, da mihi ſpiritum :* Et alia id genus verba. Utile quoque fuerit præterea ; Angeli tui Cuſtodis, & perſonarum quæ in miniſterio quod meditaris, occurrent, opem invocare : verbi gratia, in myſterio mortis Dominicæ ; invocare poteris B. Virginem Matrem, S. Joannem, Mariam Magdalenam, bonum Latronem : ut ſenſus & motus interiores, quos ipſi ibi accepêre, tibi communicentur. In meditatione verò de morte propria, Angelum tuum Cuſtodem, qui haud dubiè in ea præſens aderit, invocare poteris ; ut tibi hic convenientes inſpiret conſiderationes : & ſic de aliis myſteriis.

Ibidem cap. 4. ubi agitur de myſterij propoſitione : tertio præparationis puncto.

POſt duo hæc propoſitionis ordinaria puncta ; eſt & tertium quoddam, quod omnibus meditationibus commune non eſt, nec convenit : éſtque, quod nonnulli fabricationem & imaginationem loci, alij lectionem interiorem vocant. Nihil porrò hoc eſt aliud, quàm ipſam meditandi myſterij rem imaginationi ſuæ proponere : perindè ac ſi realiter & de facto coram nobis perageretur. Exempli cauſâ, Dominum Jeſum in cruce fixum meditari vis : finges te in monte Calvariæ

præſentem

præſentem adeſſe; & quidquid in die paſſionis factum & dictum ſit: coram oculis tuis ſpectare. Aut ſi velis (idem enim eſt:) imaginaberis eo ipſo in loco, in quo tu es Domini crucifixionem fieri, eo prorſus modo quo eam Evangeliſtæ deſcribunt. Idem faciendum, quando de morte meditaberis: uti in meditatione de eadem indicavi. Item in iis quæ de inferno; & in omnibus id genus myſteriis: in quibus de viſibilibus & ſenſibilibus rebus fit meditatio. Nam in aliis myſteriis, uti de Dei magnitudine; de virtutum præſtantia; de fine ob quem conditi ſumus; (quæ certè inviſibilia ſunt:) non eſt quod hâc imaginatione uti velimus. Poſſumus quidem aliqua ſimilitudine aut comparatione, per quam conſideratio nonnihil juvetur: ad hoc uti. Sed hæc non ita facile paſſim occurrit; & ego nonniſi valdè ſimpliciter tecum agere volo: & ita ut ſpiritus tuus non multùm talibus inveniendis fatigetur.

Porrò, imaginationis hujus adminiculo, ſpiritum noſtrum intra myſterij meditandi limites coarctamus & reſtringimus; ne hùc & illùc liberè divagetur: perindè atque avis caveæ includitur, vel accipiter perticæ alligatur, aut aucupis pugno inſidet. Dicent tibi fortaſſis nonnulli; ſatius eſſe, ſimplici cogitatione fidei, & nuda apprehenſione, planè mentali & ſpirituali, in horum myſteriorum repræſentatione uti: aut conſiderare rem ipſam in tuo ſpiritu peragi. Benè quidem; ſed eſt hoc ſub principium nimis ſubtile: & quoadusque Deus altiùs te ſuſtollat; conſulo tibi, Philóthea: ut in humili, quàm tibi commonſtro, valle te detineas.

Quam citiùs poteris ab iſta imaginaria rerum apprehenſione: ad mentalem ac ſpiritualem fidei conceptum animus transferendus eſt. Verùm diſcretio, quam obſervat Sanctus Doctor ſic ducendo incipientes per vias minus ſublimes edocet te; nihil de te ipſo præſumere; nec putare te poſſe agere ut Magiſtrum; cùm in Tirocinio conſtitutus ſis. A minoribus ergò incipe ut ad majora conſcendas; Ita tamen ut in oratione gratiæ metum ſive tractum ſequaris: prout expreſſum reperies in ſecunda parte hujus operis, tractatu de oratione.

Alterius Doctoris ſenſum in hac lectione non proferam; omnia enim adeò perſpicua ſunt: ut ampliori explicatione non indigeant.

LECTIO VIGESIMA PRIMA.

De conſiderationibus, affectibus, propoſitis; & quibuſdam aliis ad meditationem ſpectantibus. De occultis Dei judiciis conſiderandis, ne extollamur in bonis: & de eminentia liberæ mentis quàm ſupplex oratio magis obtinet, quàm Lectio.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt⁊ non laborant, neque nent; dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut unum ex iſtis. Luc. cap. 12. v. 27.

Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem: ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis; adverſum peccatum repugnantes. Epiſt. ad Hebræ. cap. 12. v. 3.

In ipſa hora, exultavit in Spiritu Sancto, & dixit. Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus: & revelaſti ea parvulis. Etiam pater: quoniam ſic placuit ante te. Luc. cap. 10. verſ. 21.

Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 4. v. 4.

Si quis veſtrûm indiget ſapientia⁊ poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans⁊ qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris: qui à vento movetur, & circumfertur. Epiſt. Jac. cap. 1. verſ. 5.

Si quis auditor eſt verbi, & non factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea⁊ non auditor obliviosus factus, ſed factor operis: hic beatus in ſuo facto erit. Epiſt. Jac. cap. 1. v. 23.

Hîc Chriſtus ipſe docet te 1. Ex viſibilium conſideratione: ad inviſibilia aſſurgendum eſſe. 2. Quos affectus, Paſſionis ejus meditatio in te debeat excitare; & quales gaudij motus veritas agnita in anima producat. 3. De bonis actibus nihil tibi eſſe præſumendum; ſed potiùs juſtum ipſius judicium pertineſcendum. 4. Petitiones tuas cum fide eſſe faciendas. 5. Denique⁊ eum gravioris criminis ſe reum conſtituere: qui bonum agnoſcens illud opere exercere non ſatagit. Utriuſque Doctoris ea de re audiamus ſententiam.

Ex Introductione Lib. 2. cap. 5. ubi agitur de conſiderationibus ſecunda meditationis parte.

POſt imaginationis actionem ſequitur actio intellectus, quam meditationem appellamus; quæ nihil aliud eſt, quàm una aut plures conſiderationes, eo fine factæ: ut motus noſtri in Deum & res divinas accendantur. In quo meditatio à ſtudio, & aliis cogitationibus & conſiderationibus differt; quòd hæ non ad virtutem & amorem divinum acquirendum: ſed alia quadam de cauſa & intentione, uti ad ſcientiam conſequendam, ad ſcribendum & diſputandum, inſtituantur. Poſtquàm ergò jam ſpiritum tuum materiæ, quàm meditari voles, ſeptis (uti dictum eſt) incluſiſti; vel per imaginationem (ſi quidem materia ſenſibilis eſt,) vel per ſimplicem propoſitionem (ſi inſenſibilis eſt;) conſiderationes circa illam facere incipies; quarum exempla planè efformata in meditationibus: quas tibi antè propoſui, invenies. Quod ſi ſpiritus tuus ſat guſtûs, luminis & fructûs in una conſideratione inveniat; in ea ſiſtes, neque ulteriùs progredieris: apes ſcilicet imitando, quæ florem non deſerunt, quamdiù mel quod ex eo colligant, inveniunt. At ſi in aliquo puncto aliquid, quod arrideat: non invenias; poſtquam aliquantiſper in eo hæſeris, & velut experimentum feceris: ad aliud tranſibis, in quo non præcipitanter & temerè, ſed graviter & ſimpliciter procedas oportet.

Ibidem cap. 6. ubi agitur de affectibus & propoſitis: tertiâ meditationis parte.

MEditatio in voluntate, aut affectiva animæ noſtræ parte bonos motus ciet & diffundit; uti ſunt amor Dei & proximi, cæli & gloriæ æternæ deſiderium; Zelus ſalutis animarum, imitatio vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti; compaſſio, admiratio, gaudium; Deo diſplicendi, judicij & inferni timor; peccati odium, fiducia de Dei bonitate & miſericordia: confuſio denique ob vitæ præteritæ flagitia. Hos in affectus ſpiritus noſter, quantum ei poſſibile erit; ſe diffundat & extendat oportet. Si aliquod hîc habere adminiculum & ſubſidium velis; primum Andreæ Capigliæ meditationum tomum in manus ſume: ejúſque præfationem legito; in qua oſtendit, quomodo hos affectus dilatare nos oporteat; & multò uberiùs Pater Arias in tractatu de oratione mentali.

Non adeò tamen, Philothea, affectibus generalibus hiſce inſiſtas oportet: ut non eos in ſpecialia & particularia ad correctionem &

emendationem tuam tendentia propoſita convertas. Exempli gratia, Primùm, quod Dominus in cruce protulit verbum, bonum haud dubiè in anima tua affectum imitationis: nimirùm quoddam tuis ignoſcendi inimicis, eóſque diligendi deſiderium excitabit. Dico porrò, parùm admodum id eſſe: niſi inſuper ſpeciale quoddam propoſitum concipias hoc modo. Agedum ergò, non offendas poſthac amplius verbis illis amarulentis & contumelioſis quibus hic aut illa, vicinus aut vicina, domeſticus aut domeſtica mea me nonnunquam præſcindunt; neque illo vilipendio, quo ille aut illa me contempſit. Imò è contra talia & talia dicam aut faciam ad eum mihi lucrandum & emolliendum: & ſic de aliis. Hac ratione fiet, Philóthea, ut brevi in tempore defectus tuos corrigas; cùm per ſolos affectus id nonniſi lentè admodum & difficillimè factura ſis.

Verùm ut ejuſmodi affectiones coram Deo, de cordis abundantia diſcas efformare & proferre, propoſitámque ad meditandum materiam attentiùs perpendere: in exemplum aſſume quæ duobus ſequentibus capitulis alter piiſſimus Doctor tibi ſubjicit.

De occultis Dei judiciis conſiderandis ne extollamur in bonis. Lib. 3. de Imitatione cap. 14.

1. INtonas ſuper me judicicia tua, Domine, & timore ac tremore concutis omnia oſſa mea: & expaveſcit amima mea valdè. Sto attoni-
Iob. 15. 15. tus, & conſidero: quia *cæli non ſunt mundi in conſpectu tuo.* Si *in Angelis*
Apoc. 8. 18. *reperiſti pravitatem*, nec tamen pepercisti, qui fiet de me? *Ceciderunt ſtellæ de cælo*, & ego pulvis quid præſumo? Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima: & qui comedebant panem Angelorum, vidi ſiliquis delectari porcorum.

2. Nulla eſt ergò ſanctitas: ſi manum tuam, Domine, ſubtrahas. Nulla ſapientia prodeſt: ſi gubernare deſiſtas. Nulla juvat fortitudo: ſi conſervare deſinas. Nulla ſecura caſtitas: ſi eam non protegas. Nulla propria prodeſt cuſtodia: ſi non adſit tua ſancta vigilantia. Nam relicti mergimur & perimus: viſitati verò vivimus & erigimur. [*Deus neminem deſerit; quin prius ipſe Deum per abuſum gratiæ deſeruerit.*] Inſtabiles quippe ſumus, ſed propter te confirmamur: tepeſcimus, ſed à te accendimur.

3. O quàm humiliter & abjectè mihi de meipſo ſentiendum eſt. Quàm vilipendendum: ſi quid boni videar habere. O quàm profundè me ſubmittere debeo ſub abyſſalibus judiciis tuis Domine: ubi nihil aliud me eſſe invenio, quàm nihil & nihil. O pondus immenſum, ô pelagus intranſnatabile, ubi aliud nihil de me reperio, quàm in toto nihil. Ubi eſt ergò latebra gloriæ? ubi confidentia de virtute concepta?

Abſorpta eſt omnis gloriatio vana: in profunditate judiciorum tuorum ſuper me.

4. Quid eſt omnis caro in conſpectu tuo? *Numquid gloriabitur lutum contra formantem ſe?* Quomodò poteſt erigi vaniloquio, cujus cor in veritate ſubjectum eſt Deo? Non eum totus mundus eriget, quem veritas ſibi ſubjecit: nec omnium laudantium ore movebitur; qui totam ſpem ſuam in Deo firmavit. Nam & ipſi qui loquuntur ecce omnes nihil: deficient enim cum ſonitu verborum: *Veritas autem Domini manet in æternum.* *Iſai. 29. 16. 45. 9.* *Pſ. 116. 2.*

De eminentia liberæ mentis, quam ſupplex oratio magis meretur quam Lectio. Lib. 3. de Imitatione, cap. 26.

1. DOMINE hoc opus eſt perfecti viri, nunquam ab intentione cæleſtium animum relaxare: & inter multas curas quaſi ſine cura tranſire: non more torpentis, ſed prærogativâ quadam liberæ mentis nulli creaturæ inordinatâ affectione adhærendo.

2. Obſecro te, piiſſime Deus meus, præſerva me â curis hujus vitæ: ne nimis implicer à multis neceſſitatibus corporis, ne voluptate capiar; ab univerſis animæ obſtaculis, ne moleſtiis fractus dejiciar. Non dico ab his rebus, quas toto affectu ambit mundus, ſive mundana vanitas: ſed ab his miſeriis, quæ animam ſervi tui communi maledicto mortalitatis pœnaliter gravant & retardant: ne in libertatem ſpiritûs, quoties libuerit, valeat introire.

O Deus meus, dulcedo ineffabilis: verte mihi in amaritudinem omnem conſolationem carnalem, ab æternorum amore me abſtrahentem: & ad ſe intuitu cujuſdam boni delectabilis præſentis malè allicientem. Non me vincant caro & ſanguis: non me decipiat mundus & brevis gloria ejus: non me ſupplantet diabolus, & aſtutia illius. Da mihi fortitudinem reſiſtendi: patientiam tolerandi: conſtantiam perſeverandi. Da pro omnibus mundi conſolationibus ſuaviſſimam Spiritûs tui unctionem: & pro carnali amore, tui nominis infunde amorem.

4. Ecce cibus, potus, veſtis, ac cætera utenſilia, ad corporis ſuſtentaculum pertinentia; ferventi ſpiritui ſunt oneroſa. Tribue talibus fomentis temperatè uti: non deſiderio nimio implicari. Abjicere omnia non licet, quia natura ſuſtentanda eſt: requirere autem ſuperflua & quæ magis delectant, lex ſancta prohibet. Nam aliàs caro adverſus ſpiritum inſoleſceret. Inter hæc, quæſo, manus tua me regat & doceat: ne quid nimiùm fiat.

Expoſito tibi ſic modo effundendi cor tuum ante conſpectum Domini; ad ea quæ Orationis exercitium ſpectant redeamus.

Ex Introductione Lib. 2. cap. 7. ubi agitur de concluſione, & faſciculo ſpirituali.

CONcludenda denique meditatio per tres actiones : quæ quàm potest maximâ fieri humilitate debent. Prima eſt, actio gratiarum, quâ Deo gratiæ pro affectibus & propoſitis quos tibi dedit, nec non pro bonitate & miſericordia ejuſdem, quam in meditationis myſterio vidimus : agantur. Altera eſt, actio oblationis, quâ ſuam Deo bonitatem & miſericordiam, nec non mortem, ſanguinem & virtutes filij: & unà cum ipſis affectus & propoſita noſtra offerimus. Tertia denique eſt ſupplicationis : per quam Deum rogamus, & enixè obſecramus, ut nobis filij ſui gratias & virtutes communicet: ſuámque affectibus & propoſitis noſtris benedictionem impertiat, ut eadem fideliter exequi valeamus. Oramus præterea pro Eccleſia, Paſtoribus noſtris, parentibus, amicis, & aliis : Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Angelorum, Sanctorúmque interceſſionem ad hoc implorantes. Denique notavi, orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, quæ generalis & neceſſaria fidelium omnium oratia eſt : in fine ſubnecti debere.

His omnibus adjunxi : faſciculum quemdam devotionis nobis ex omnibus illis colligendum eſſe. Quemadmodum enim qui per hortum floribus variis diſtinctum aliquantulum ambularunt, non libenter illo egrediuntur : niſi quatuor aut quinque hinc inde ex eo flores decerpſerint, quos olfaciant; & toto deinde die manibus verſent & teneant. Ita poſtquam ſpiritus noſter jam meditatione aliquod myſterium percurrit, punctum unum atque alterum, aut fortaſſe etiam tria, nobis eligendum eſt, quod maximè nobis in ea arriſit : quódque profectui noſtro potiſſimè conducere comperimus, ut illius per reliquum diei recordemur : & ſpiritualiter ipſum odoremur. Hoc autem fiat in ipſomet meditationis loco, aliquantiſper poſt eam : illic in ſolitudine agendo aut obambulando.

Ibidem cap. 8. ubi agitur de quibuſdam utiliſſimis circa meditationem ipſam documentis.

HOc imprimis requiritur, Philothea ut, cùm jam à meditando ſurrexiſti, propoſita & deliberationes, quæ feciſti, memoriâ teneas: quò eadem toto die ſtudioſè executioni mandes. Hic eſt magnus meditationis fructus, qui ſi non ſequatur : ipſa ſæpe numerò non modò inutilis, verùm & noxia eſt. Virtutes enim meditatæ, & non practicatæ, ſubinde ſpiritum & mentem inflant, dùm tales nos eſſe opinamur: quales eſſe propoſuimus & ſtatuimus. Quòd tum demum proculdubio verum eſt: cum propoſita viva ſunt & ſolida. At viva revera non ſunt,

ſed vana & periculoſa: Si executioni minimè mandentur. Omnimodis ergò procurandum, ut illa opere ipſo exequamur: quin & occaſiones ad hoc, parvæ, vel magnæ, quæritandæ. Exempli gratiâ, ſi manè inter meditandum decrevi, & ſtatui, benignitate eos mihi devincere & lucrari, qui me offendunt; per diem occaſiones illis occurrendi, captabo: ut ſic eos amicè benevoléque ſalutem. Si verò illis occurrere nequeam; benè ſaltem de illis loquar: Deúmque pro ipſis rogabo. [*Obſerva, eos qui ſui juris ſunt hæc ſpectare; qui enim Regulæ cuipiam adſtringuntur; nihil inſolitum debent agere ad exquirendas ejuſmodi occaſiones.*]

Mentali hâc oratione egreſſa; ſeriò videbis & cavebis: ne cor tuum uſpiam durè impingat. Sic enim quod in oratione collegiſti, balſamum effunderes: id eſt, ſi fieri poteſt, ſilentium aliquantiſper ſervabis; & ſuaviter ſenſimque animum ab oratione ad negotiorum tractationem conduces: quàm poteris diutiſſimè ſenſum & affectus, quos orando collegiſti, conſervare ſtudens. Qui vaſculo porcellanio pretioſum aliquem liquorem domum deferendum excepiſſet; haud dubiè lentè modeſtéque incederet: nec hùc illúcque reſpiceret. Sed modò ante ſe, ne fortè in ſaxum aliquod impingat, aut incautè greſſum figat; modò ad vaſculum ſuum, oculos converteret: viſurus an non id obliquè teneat. Idem omninò te facere oportet à meditatione ſurgentem; vide, inquam, ne hinc tota ſimul diſtrahatis: ſed modeſtè cautéque te geras. Verbi gratia, ſi obvium aliquem habeas, quem neceſſariò te aut convenire, aut audire oporteat; non eſt quod ab eo ſcrupuloſè te ſubducas: ſed neceſſitati te accommoda; ſed ita ſuper cor tuum vigiles, ejúſque rationem habeas: ut ſanctus orationis liquor niſi quàm minimus effluat. [*Hinc diſce qualiter univerſis debeas te dare & accommodare; ſed ſemper modus in rebus ſervandus eſt.*]

Addiſcas etiam paulatim uſu oportet, ab oratione ad quaſlibet actiones, quas vocatio & profeſſio tua juſtè legitiméque à te exigit; licet eæ ab affectibus quos in oratione accepimus, remotæ eſſe videantur: tranſire. Nôrit, inquam, Advocatus ab oratione ad tribunal & lites ſuas; mercator ad negotia; mulier conjugata ad matrimonij ſui munia & familiæ ſuæ impedimenta tranſire. Idque tanta cum animi ſuavitate & tranquillitate: ut ſpiritus ejus propterea minimè turbetur. Cùm enim tam hoc, quàm illud juxta divinæ voluntatis preſcriptum fiat: ipſe ex uno ad aliud tranſitus in ſpiritu humilitatis & devotionis tibi faciendus eſt. [*Hîc tibi exhibetur ratio ſapienter renunciandi propriæ voluntati ad perficiendam Dei voluntatem: deſignatam per Regulas & munia cujuſcumque Statûs ac conditionis.*]

Continget interdùm mea, Philóthea; ſtatim poſt factam præparationem & præludia: affectum tuum protſùs in Deum moveri & abripi. Quod cùm continget, illi habenæ laxandæ ſunt: nec tum ea, quam tibi tradidi, methodus ſequenda. Nam tametſi, ut plurimùm conſideratio

affectus & propoſita præcedere debeat ꝛ tamen ſi tibi Spiritus Sanctus affectus unà cum conſideratione donet; non eſt quòd uſque adeò de conſideratione labores, cum hæc non niſi ad affectum concitandum ſoleat adhiberi. Quandocunque ergò affectus ſe tibi inſinuabunt ꝛ admittendi erunt, locúſque iis dandus: tam antè quàm poſt conſiderationes advenientibus. Unde licet ſuperiùs affectus poſt omnes conſiderationes poſuerim ꝛ non alio id fine feci: quàm ut ipſas orationis partes meliùs ab invicem diſtinguerem. Cæterùm, generalis quædam regula ſit, ut nunquam affectus comprimas aut compeſcas; ſed ſemper, quotieſcunque occurrunt, egredi & prorumpere eos ſinas. Quod, non ſolùm in illis affectibus ꝛ ſed etiam in gratiarum actione, oblatione & ſupplicatione (quæ etiam medias inter conſiderationes inſtitui poſſunt:) locum habet. Non enim minus hæc, quàm alij affectus, reprimenda & retinenda ſunt; licet hæc poſteà in ipſa meditationis concluſione, rurſùm repetenda & reſumenda ſint. Porrò propoſita immediatè poſt ipſos affectus elicitos ꝛ & in fine totius meditationis: ante ejuſdem concluſionem ſunt elicienda. Nam cum particularia & familiaria objecta nobis in iis repræſentare debeamus ꝛ certè ſi illa inter affectus ipſos miſceremus: forſan aliquod nobis diſtractionum periculum adferre poſſent.

His affectibus & propoſitis aliquod ſubinde colloquium intermiſcere conſultum eſt: & modò Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum ꝛ modò Angelos, modò perſonas, quarum in myſteriis ſit mentiò ꝛ modò Sanctos, modò nos ipſos, modò peccatores ꝛ imò etiam creaturas ſenſus expertes alloqui & compellare: ſicuti Davidem ſuis in Pſalmis & alios ſanctos in ſuis meditationibus facere videmus.

Hæc quidem brevia ac ſimplicia ſunt: ſi tamen ad praxim reducantur ꝛ propriámque voluntatem ac guſtum abneges: ut Deum ſequaris quocumque voluerit te ducere ꝛ & per quodcumque iter ei placuerit: ad intimam cum ipſo converſationem & ad ſublimiorem contemplationem te perducent. Optima enim ad hoc obtinendum media ſunt.

LECTIO VIGESIMA SECUNDA.

De mentis ariditatibus in Oratione contingentibus: & quod verum ſolatium in ſolo Deo ſit quærendum. Qualiter homo deſolatus ſe debet in manus Dei offerre ꝛ & quod humilibus inſiſtendum eſt operibus: cùm deficitur à ſummis.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de Cælo confortans eum ꝛ & factu

factus in agonia : prolixius orabat. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione & veniſſet ad Diſcipulos ſuos; invenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis; quid dormitis? Surgite; orate, ne intretis in tentationem. Luc. cap. 22. v. 44.

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, quâ exhortamur & ipſi à Deo. Epiſt. 2. ad Cor. cap. 1. v. 3.

Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Æquo animo eſt? pſallat. Epiſt. Jac. cap. 5. v. 13.

Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei; ut exaltet vos in tempore viſitationis: omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Epiſt. Petri. cap. 5. v. 5.

Patientes igitur eſtote Fratres uſque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ: patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerótinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam adventus Domini appropinquavit. Epiſt. Jac. cap. 5. v. 7.

1. Hîc potes admirari in ipſo Jeſu Chriſti exemplo, arcanum Dei conſilium circa ariditates & contradictiones, quibus anima in oratione impugnatur; & exinde concludere quòd cùm ad perfectionem acquirendam plurimùm conferre valeant: in hujuſcemodi pugnis non modò non eſt abjiciendus animus, ſed & magis obfirmandus.

2. Hæc Sacri Textûs verba innuunt, veram conſolationem à ſolo Deo eſſe ſperandam & quærendam; quàm tibi concedet; ſi in tuis pœnis & laboribus te geras, eo modo & affectu quem tibi ſuggerunt. Sed hujus rei praxim ambo Magiſtri articulatim te edocturi ſunt.

Ex Introductione Lib. 2. cap. 9. ubi agitur de ariditatibus quæ in Meditatione contingunt.

SI fortè, ô Philothea, nullum te in meditatione guſtum aut conſolationem ſentire contingat; ne propterea, obſecro te, turberis: ſed verbaliter interdum loquere; ſortem tuam apud Dominum deplora; indignitatem tuam confitere & agnoſce; eum roga ut te adjuvet, atque imaginem illius, (ſi quidem habes) exoſculare: & dic illi cum Jacobo Patriarcha, *Non dimittam te Domine, niſi benedixeris mihi*; aut cum muliere Chananæa; *Etiam Domine, Canis ſum: ſed & catelli comedunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* [*Hæc pro incipientibus & adhuc tenellis dicta ſunt. Proficientes enim hujuſcemodi ariditates cum forti & tranquilla reſignatione ferre debent; prout latiùs expreſſum reperies, ſecundâ hujus operis parte, in monitis circa ariditatem.*]

Aliquando & librum aliquem pium in manus ſume; cúmque attentè lege: uſquedùm ſpiritus tuus velut ſtertens, excitetur, & intra te redeat. Interdùm quoque per aliquem devotionis exterioris geſtum motúmque cor tuum incita; in terram videlicet te proſternendo; manus ante pectus crucis in modum committendo; crucifixi imaginem amplectendo: ſi nimirùm in loco ſeparato privatóque agas. Si poſt hæc omnia nondum redire conſolationem ſentias; noli, quantumvis magna ariditas tua ſit: ullatenùs propttereà turbari: ſed in devoto quodam geſtu coram Deo tuo continere te pergas. Quàm multi ſunt aulici, qui plus centies anno durante Principis ſui conclave ingrediuntur, ſine ulla illius alloquendi ſpe: ſed tantùm ut ab ipſo eminùs videantur ſuíque muneris partes expleant. Eo prorſùs modo, cariſſima Philothea, ad ſanctam nos orationem accedere oportet; videlicet non aliâ intentione, quàm ut officio noſtro fungamur: noſtrámque Deo fidelitatem teſtemur & exhibeamus. Si ergò divina Majeſtas nos in ea alloqui, & ſanctis ſuis inſpirationibus, & conſolationibus interioribus nobiſcum agere dignetur: ſummo ſanè nobis id honori ac voluptati erit. At ſi hanc nobis gratiam facere noluerit; non magis nos alloquens, quàm ſi nos minimè videret, & in ejus conſpectu non ageremus: non idcircò nos ab eo ſubducere, aut inde recedere; ſed coram ſumma illa bonitate: devoto quietóque geſtu manere & expectare debemus. Et certè noſtram patientiam tunc dignanter reſpiciet; noſtrámque aſſiduitatem & perſeverantiam benignè intuebitur: adeò ut, cùm poſteà ante conſpectum ejus comparebimus; benevolè nos reſpecturus, ſuíſque nos conſolationibus & colloquiis dignaturus ſit: ſanctæ orationis amœnitatem & pulchritudinem nos videre faciens. Imò etiamſi id non præſtaret; ſufficiat nobis, Philothea, quòd nimis quàm honorificum nobis ſit: apud ipſum, & in conſpectu illius agere.

Excipe præſtantiſſima incentiva reſignationis, & ad conſolationem internam aptiſſima affectuum exercitia; nec non ſolidiora quæ deſiderari poſſunt in idem argumentum documenta; quæ alter Doctor in ſequentibus tibi ſubminiſtrat.

Quòd verum ſolatium in ſolo Deo eſt quærendum. Lib. 3. de Imitatione. Cap. 16.

1. QUidquid deſiderare poſſum vel cogitare ad ſolatium meum non hîc expecto: ſed in poſterum. Quòd ſi omnia ſolatia mundi ſolus haberem; & omnibus divitiis frui poſſem: certum eſt quòd diù durare non poſſent. Unde non poteris anima mea plenè conſolari, nec perfectè recreari: niſi in Deo conſolatore pauperum & ſuſceptore humilium. Expecta modicum anima mea; expecta divinum promiſſum: &

habebis abundantiam omnium bonorum in cælo. Si nimis inordinatè iſta appetis præſentia: perdes æterna & cæleſtia. Sint temporalia in uſu; æterna in deſiderio. Non potes aliquo bono temporali ſatiari: quia ad hæc fruenda nos es creata.

2. Et ſi omnia bona creata haberes: non poſſes eſſe felix & beata. Sed in Deo, qui cuncta creavit, tota beatitudo tua & felicitas conſiſtit ⁊ non qualis videtur & laudatur à ſtultis mundi amatoribus: ſed qualem expectant boni Chriſti fideles, & prægustant interdum ſpiritales ac mundi corde, quorum converſatio eſt in cælis. Vanum eſt & breve omne humanum ſolatium. Beatum & verum ſolatium: quod intùs à veritate percipitur. Devotus homo ubique ſecum fert conſolatorem ſuum JESUM, & dicit ad eum: Adeſto mihi, Domine JESU, in omni loco & & tempore. Hæc mihi ſit conſolatio libenter velle carere omni humano ſolatio. Et ſi tua defuerit conſolatio ⁊ ſit mihi tua voluntas & juſta probatio pro ſummo ſolatio: *Non enim in perpetuum iraſcêris, neque in æternum comminaberis.* Pſa. 102. 9.

Qualiter homo deſolatus ſe debet in manus Dei offerre. Ibidem. cap. 50.

DISCIPULUS.

1. DOMINE Deus, ſancte Pater, ſis nunc & in æternum benedictus ⁊ quia ſicut vis factum eſt: & quod facis bonum eſt. Lætetur in te ſervus tuus, non in ſe, nec in aliquo alio ⁊ quia tu ſolus lætitia vera: tu ſpes mea, & corona mea, tu gaudium meum, & honor meus, Domine. *Quid habet ſervus tuus, niſi quod à te accepit,* etiam ſine merito ſuo? Tua 1. Cor. 4. 7. ſunt omnia: quæ dediſti, & quæ feciſti. *Pauper ſum & in laboribus meis* Pſa. 87. 16. *à juventute mea* ⁊ & contriſtatur anima mea, nonnunquam uſque ad lacrymas: quandoque etiam conturbatur ad ſe propter imminentes paſſiones.

2. Deſidero pacis gaudium ⁊ pacem filiorum tuorum flagito: qui in lumine conſolationis à te paſcuntur. Si das pacem, ſi gaudium ſanctum infundis ⁊ erit anima ſervi tui plena modulatione: & devota in laude Pſ. 118. 32. tua. Sed ſi te ſubtraxeris, ſicut ſæpiſſimè ſoles ⁊ non poterit *currere viam mandatorum tuorum:* ſed magis ad tundendum pectus genua incurvantur. Quia non eſt illi ſicut heri, & nudiuſtertius, *quando ſplendebat* Iob. 29. 3. *lucerna tua ſuper caput ejus: & ſub umbra alarum tuarum protegebatur* à Pſal. 16. 8. tentationibus irruentibus. [*Nota ergò, probationem & purgationem ſervorum Dei frequenter ab eo fieri per ſubſtractionem conſolationis ſenſibilis gratiæ: idque quaſi eſſe unam è Regulis ſui regiminis. Nec ideò mirandum ſi tunc temporis majori cum difficultate bonum operentur: ſuáque munia adimpleant.*

3. Pater juſte & ſemper laudande: venit hora ut probetur ſervus tuus: Pater amande, dignum eſt ut horâ hac patiatur aliquid pro te ſervus tuus. Pater perpetuò venerande: venit hora, quam ab æterno præſciebas affuturam: ut ad modicum tempus ſuccumbat foris ſervus tuus, vivat verò ſemper apud te intùs. [*Attentè hic obſerva iſtam gratiæ ſenſibilis dereliƈtionem: ex qua anima deſolata & ſuis paſſionibus impugnata foris remanet: ejus cum Deo unionem minimè impedire.*] Paululum vilipendatur, humilietur, & deficiat coram hominibus: paſſionibus conteratur & languoribus: ut iterum tecum in aurora novæ lucis reſurgat, & in cæleſtibus clarificetur. Pater ſanƈte: tu ſic ordinaſti, & ſic voluiſti: & hoc factum eſt, quod ipſe præcepiſti.

4. Hæc eſt enim gratia ad amicum tuum: pati & tribulari in hoc mundo pro amore tuo, quotieſcumque & à quocumque id permiſeris fieri. Sine conſilio, & providentia tua: & ſine cauſa nihil fit in terra.
Pſa.118.71. *Bonum mihi, Domine, quòd humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas*; & omnes elationes cordis, atque præſumptiones abjiciam. Utile mihi
Pſa.68.8. quòd *confuſio cooperuerit faciem meam*: ut te potiùs, quàm homines ad conſolandum requiram. Didici etiam ex hoc inſcrutabile judicium tuum expaveſcere: qui affligis juſtum cum impio: ſed non ſine æquitate ac juſtitia.

5. Gratias tibi qui non pepercisti malis meis: ſed attriviſti me verberibus amaris: infligens dolores, & immittens anguſtias intùs, & fo-
1. Reg.2.6. ris. Non eſt qui me conſoletur ex omnibus, quæ ſub cælo ſunt: niſi tu
Tob.13.21. Domine Deus meus, cæleſtis medicus animarum: *qui percutis, & ſanas:*
Pſal.17.36. *deducis ad inferos, & reducis. Diſciplina tua ſuper me; & virga tua ipſa me docebit.*

6. Ecce Pater dileƈte, in manibus tuis ego ſum: ſub virga correƈtionis tuæ me inclino: percute dorſum meum, & collum meum: ut incurvem ad voluntatem tuam tortuoſitatem meam. Fac me pium & humilem diſcipulum, ſicut benè facere conſueviſti: ut ambulem ad omnem nutum tuum. Tibi me, & omnia mea ad corrigendum committo: meliùs eſt hìc corripi: quàm in futuro. Tu ſcis omnia & ſingula: & nihil te latet in humana conſcientia. Antequam fiant noſti ventura: & non opus eſt tibi, ut quis te doceat aut admoneat de his, quæ geruntur in terra. Tu ſcis quid expediat ad profeƈtum meum: & quantùm deſerviat tribulatio ad rubiginem vitiorum purgandam. Fac mecum deſideratum beneplacitum tuum: & ne deſpicias peccaminoſam vitam meam: nulli meliùs, nec clariùs, quàm tibi ſoli notam.

7. Da mihi Domine hoc ſcire, quod ſciendum eſt: hoc amare, quod amandum eſt: hoc laudare, quod tibi ſummè placet: hoc reputare, quod tibi pretioſum eſt: hoc vituperare, quod oculis tuis ſordeſcit. Non me ſinas ſecundùm viſionem oculorum exteriorum judicare: neque ſecundùm auditum aurium hominum imperitorum ſententiare:

ſed in judicio vero de ſpiritalibus & viſibilibus diſcernere, atque ſuper omnia beneplacitum voluntatis tuæ ſemper inquirere.

8. Falluntur ſæpe hominum ſenſus in judicando, falluntur & amatores ſæculi viſibilia tantummodò amando. Quid eſt homo inde melior? quia reputatur ab homine major? Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit dum exaltat: & veraciter magis confundit dum inaniter laudat. Nam *quantum unuſquiſque eſt in oculis tuis, tantum eſt, & non amplius:* ait humilis Sanctus Franciſcus.

Quòd humilibus inſiſtendum eſt operibus cum deficitur à ſummis. Ibidem cap. 51.

Salvator.

1. Fili non vales ſemper in ferventiori deſiderio virtutum ſtare, nec in altiori gradu contemplationis conſiſtere? ſed neceſſe habes interdum ob originalem corruptelam ad inferiora deſcendere: & onus corruptibilis vitæ, etiam invitè & cum tædio portare. Quamdiù mortale corpus geris: tædium ſenties & gravamen cordis. Oportet ergò ſæpè in carne de carnis onere gemere: eò quòd non vales ſpiritalibus ſtudiis, & divinæ contemplationi indeſinenter inhærere.

2. Tunc expedit tibi ad humilia & exteriora opera confugere, & in bonis re actibus recreare: adventum meum & ſupernam viſitationem firma confidentia expectare? exilium tuum, & ariditatem mentis patienter ſufferre: donec iterùm à me viſiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. [*Bona opera de quibus hîc loquitur intra limites officiorum cujuſcumque profeſſionis debent contineri: & in praxim deduci.*] Nam faciam te laborem oblivisci: & interna quiete perfrui. Expandam coram te prata Scripturarum: & dilatato corde currere incipies viam mandatorum meorum. Et dices? *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam: quæ revelabitur in nobis.* Ro. 8. 18.

Eximius Dei ſervus qui hæc ſcripſit? divinæ diſpenſationis rationem tam certis ac intimis experimentis noverat; ut ejus verba quaſi à Chriſti ore prolata ſint excipienda. At ultimum hujus Lectionis Capitulum multùm te debet conſolari & animum erigere; quando, eo fervore & affectu, quo velles, opera tua perficere non vales. Licètque inclinationum naturæ motus quaſi tumentes maris fluctus contra te inſurgant? qui in profundum ſubmerſionem minentur: inde conſolare quòd Deus ipſe tempeſtatem illam oriri permittat: ut agnoſcas quid tu ſis, & quid ipſe tibi ſit. Denium ſi hujuſmodi contradictiones in ariditate exurgentes? te gratiorem Deo poſſunt efficere; his potius uti debes ut animos tibi addas, quàm ut te in afflictionem conjicias.

LECTIO VIGESIMA TERTIA.

De exercitiis ſpiritualibus & quotidianis, Oratione matutina & veſpertina: examine conſcientiæ, recollectione ac ſeceſſu interiori, aſpirationibus, orationibus Jaculatoriis, ac piis cogitationibus.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

SEmper gaudete, ſine intermiſſione orate: in omnibus gratias agite. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu; in omnibus vobis. Spiritum nolite ſpernere: omnia autem probate. Quod bonum eſt tenete: ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Epiſt. 1. ad Theſſ. cap. 5. v. 16.

Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec cognominatur hodiè: ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Epiſt. ad Hebræ. cap. 3. verſ. 13.

Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) ubi habitas? dicit eis: venite & videte. Venerunt & viderunt ubi maneret; & manſerunt apud eum die illo. Joan. cap. 1. v. 38.

Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini ſpiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus: cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti; Deo & Patri. Epiſt. ad Eph. cap. 5. v. 18.

Dicebat autem & Parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere, dicens: judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum dicens: vindica me de adverſario meo. Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intrà ſe: etſi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam: ne in noviſſimo veniens ſugillet me. Luc. cap. 18. v. 1.

Hæc verba edocent 1. Sine ceſſatione ad Deum eſſe recurrendum. 2. Sedulò tibimet attendendum, ut quæ agenda vel fugienda ſunt, rectè poſſis diſcernere; & quicquid in te reperies mali ſpeciem habens corrigere. 3. Quonam modo duorum diſcipulorum ad inſtar: mente valeas ad Chriſtum accedere & ibi manere. 4. Deum orationis aſſiduæ importunitate delectari, Unde libet conjicere quanti ad profectum ſpiritualem referat: habitum ſibi formare mentem ſæpiùs elevandi

ad eum per affectus ex corde quaſi jaculatoriè interaiu emiſſos. Horum omnium praxim S. Magiſter te edocturus eſt.

Ex Introductione Lib. 2. cap. 10. ubi agitur de exercitio matutino.

PRæter orationem illam mentalem integram & formatam, ac præter alias orationes vocales, quas ſemel in die te facere oportet ; ſunt & alij quinque orationum modi, quæ quidem in ſe breviores ſunt: alterius tamen majoris orationis ſunt præparatio quædam, præludium & origo. Inter has illa prima eſt quæ manè fit: quæ omnium diei totius operum velut fundamentum & præparatio eſt. Hanc porrò hoc modo facies.

Primò, profunda quadam cum reverentia gratias Deo ages ; eúmque adorabis, quod te ſuperiore nocte pro ſua bonitate incolumem conſervârit: ſi quod verò eâ durante peccatum commiſeris, de eo veniam rogabis.

Secundò conſidera, præſentem diem tibi datum eſſe, ut in eo futurum æternitatis diem lucreris ; firmúmque propoſitum facito: ad hanc intentionem diem præſentem impendendi.

Tertiò, præexamina & provide quænam negotia, commercia, & quales occaſiones Deo ſerviendi ; quales item ejus offendendi tentationes, tam per coleram, & vanitatem, quàm aliam quamlibet inordinationem tibi eâ die poſſint occurrere: & ſanctâ quadam animoſitate & propoſito te præpara ; ut quæcumque Deo ſerviendi, devotioniſque tuæ proponendæ occurrere poſſunt media, exequaris: benéque impendas. E contrà verò debitè effugias, oppugnes & ſuperes: quodcumque contra ſalutem tuam ac divinam gloriam tendens occurrere poteſt impedimentum. Neque verò ſatis eſt nudè hoc propoſitum facere: ſed & media ejuſdem ritè executioni mandandi preparanda & diſponenda ſunt. Exempli gratiâ, ſi me cum homine iracundo & ad coleram propenſo aliquod negotium tractare debere prævideam ; non ſolùm proponam eum verbo non offendere: verùm etiam benigna & ſuavia ad eum præveniendum verba diſponam ; vel aliquem adhibebo: qui me in illo placando adjuvet. Si prævideam, occaſionem mihi fore ægroti alicujus viſitandi ; tempus, verba conſolatoria, & ſubſidia, quæ illi adhibere debeo: diſponam, &c.

Quartò, hoc facto humilia te coram Deo ; agnoſcens eorum quæ deliberaſti & ſtatuiſti, tum ad malum fugiendum, tum ad bonum exequendum: nihil omninò per teipſam, & ex teipſa facere poſſe. Et tanquam ſi cor tuum in manibus habeas: ipſum divinæ Majeſtati cum omnibus tuis bonis propoſitis offeras ; ipſam rogans ut in ſuam illud protectio-

nem admittere, & corroborare dignetur: quò in ejus obſequio & famulatu feliciter progrediaris. Idque per hæc aut hujuſmodi verba interiora. En Domine, hoc miſerum & inops cor, quod bonitate tuâ plures quidem bonos effectus & propoſita concepit; ſed, ah! nimis debile & imbecillum eſt ad bonum, quod deſiderat, exequendum & opere complendum: niſi cæleſtem tuam ipſe benedictionem illi communices; quam hac de cauſa te, ô clementiſſime Pater, rogo; idque per meritum Paſſionis Filij tui dilectiſſimi: cujus honori diem hunc, & reliquum vitæ meæ tempus offero & conſecro. Invoca etiam Beatiſſimæ Virginis, Angeli tui Cuſtodis, & Sanctorum; ut hac in re tibi opitulentur: auxilium.

Sed, omnes ſpirituales actiones breviter & vivaciter fiant oportet; & quidem antequam cubiculo egrediaris, ſi fieri poteſt: ut exercitij hujus adminiculo, quidquid die tota factura es, divinâ benedictione velut irroretur. Rogo autem te, Philóthea: ne ipſum unquam omittas aut obliviſcaris.

Ibidem cap. 11. ubi agitur de exercitio veſpertino déque examine conſcientiæ.

Quemadmodum ante prandium tuum temporale, prandium ſpirituale, illúdque per meditationem feciſti: ita te & ante cœnam tuam, cœnulam quamdam, devotam & ſpiritualem facere oportet. Ergò paulò ante cœnam nonnihil tibi temporis & otij ſuffurare; & coram Deo proſtrata, & mente tuâ ante Jeſum Chriſtum crucifixum, (quem nudâ quadam conſideratione, & interiori oculo tibi præſentem finges) collectâ: ſopitum meditationis matutinæ ignem, per vivas & ardentes aliquot aſpirationes, humiliationes, & amoroſa, quæ ad divinum hunc animæ tuæ Salvatorem evibrabis, ſuſpiria in corde tuo rurſùs exſuſcita; vel illa puncta breviter repetendo, & velut ruminando, quæ in matutina meditatione plus tibi guſtûs attulere: vel alio quodam novo modo te excitando, prout tibi magis placebit.

Quod ad conſcientiæ examen, quod ſemper antequam cubitum eas, inſtituendum, ſpectat; nemo non novit: quonam id modo ſit faciendum.

Primò, gratiæ aguntur Deo: quòd nos die illâ ſoſpites & incolumes conſervârit.

Secundò, inquirimus quomodo per omnes diei horas nos geſſerimus; útque hoc commodiùs & faciliùs fiat: conſiderandum, ubinam, quibuſcum, & quibus in negotiis fuerimus.

Tertiò, ſi quid benè actum eſſe comperiatur, gratiæ aguntur Deo; contrà, ſi quod ſit aut in cogitationibus, aut in verbis, aut in operibus delictum;

delictum: venia à divina Majeſtate petitur, cum propoſito & intentione primâ illud opportunitate confitendi, & ſeriò vitam emendandi.

Quartò, divinæ Providentiæ corpus, animam, Eccleſiam, parentes & notos commendamus ⁊ B. Virginem, Angelum Cuſtodem, & ſanctos cæli cives rogamus, ut ſuper nos & pro nobis excubent; & benedictione Dei præmiſſâ, ad quietem, quam nobis neceſſariam eſſe voluit, nos componimus.

Hoc porrò exercitium non minùs omittendum eſt, quàm matutinum ⁊ per matutinum quippe animæ tuæ feneſtras aperis, quò Sol juſtitiæ per eaſdem radios ſuos immittat: per veſpertinum verò tenebris infernalibus eaſdem occludis.

Ibidem cap. 12. ubi agitur de recollectione & receſſu ſpirituali.

HIc te, chariſſima Philothea, velim in conſilio meo ſequendo imprimis ſtudioſam & ſedulam: hoc namque in articulo unum è certiſſimis profectûs tui ſpiritualis mediis conſiſtit.

Quàm facere potes ſæpiſſimè, ſpiritum tuum per diem Deo præſentem ſiſte: idque uno è quatuor illis modis, quos tibi ſuperiùs conſignavi. Conſidera quid facit Deus, & quid tu facis ⁊ & videbis, oculos ejus in te converſos: & perpetuò ſuper te incomparabili quodam amore defixos. Dices ergò ⁊ cur, ô Deus meus, ita te ſemper non intueor, ſicut tu me intueris? cur tam ſæpe de me, Domine, cogitas? & cur ego tam rarò de te? Ubinam ſumus, anima mea? verus locus noſter Deus eſt, & ubinam nos agimus?

Sicut aves nidos in arboribus habent, in quos ſeſe recipiunt cum opus eſt: & cervi dumos & cunabula, ſub quibus ſeſe abdunt & occulunt, dum umbram in æſtivis caloribus captant ⁊ ſic, ô Philothea, corda noſtra aliquem ſibi locum quotidiè capiant & ſeligant oportet: vel in monte Calvariæ, vel in vulneribus Salvatoris noſtri ⁊ vel in alio quopiam loco ei vicino, in quem ſe in omnigenis occaſionibus recipiant: & ubi inter negotia exteriora ſeſe oblectent & recreent. Ubique velut in propugnaculo quodam agant: quo ſe ab ingruentibus tentationibus tueantur. Beata illa erit anima ⁊ quæ Domino in veritate dicere poterit: Tu es mihi domus refugij, tutum meum propugnaculum, tectum in pluvia, & in æſtu umbraculum.

Memineris ergò, Philóthea ⁊ ſemper aliquor in cordis tui ſolitudine & deſerto conſtruere receptacula: dum corporaliter medias inter converſationes & negotia mundana verſaris. Et mentalem hanc ſolitudinem nullo modo impedire poſſunt: tametſi plurimi circum, & apud te verſentur. Non enim circa cor, ſed corpus tuum duntaxat verſantur:

adeò ut cor ſolum apud Deum ſolum maneat. Atque hoc eſt exercitium, quod David Rex inter tot, quibus opprimebatur, regni negotia, uſurpabat: uti ſexcenties ſuis ipſe in Pſalmis de ſe teſtatur. Ut dum ait; *Ego Domine ſemper apud te, providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: Ad te levavi oculos meos Deus meus, qui habitas in cœlis: Oculi mei ſemper ad Dominum.*

Ad hæc, converſationes non ita ſeriæ ſunt plerúmque: ut non poſſimus ſubindè mentem recolligere, quò illam in divinam illam ſolitudinem recludamus.

Parentes Sanctæ Catharinæ Senenſis, cùm ei omnem & loci, & temporis oportunitatem ad orandùm & meditandum abſtuliſſent; Dominus ei inſpiravit, ut oratoriolum quoddam internum ſuo ſibi in corde conſtitueret: intra quod ſe mentaliter recipiens, medios inter occupationum exteriorum ſtrepitus ſanctæ huic ſolitudini mentali vacare poſſet. Unde fiebat, ut, cùm poſteà eam mundus oppugnabat & vexabat; nullum inde damnum aut noxam reciperet: eò quòd, inquiebat illa, intra conclave ſuum interius ſeſe abderet, in quo cum ſponſo ſuo cæleſti ſe oblectabat. Hinc etiam filiis ſuis ſpiritualibus conſulebat; ut intra cor conclave quoddam ſecretum conſtruerent: & intra illud ſubinde ſe reciperent.

Subinde igitur mentem tuam intra te recollige; in quo ab omnibus hominibus ſequeſtrata: aperto corde, cum Deo tuo agere poſſis, ut cum Davide dicas. *Vigilavi; ſimilis factus ſum pelicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio, & ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Quæ verba, præter ſenſum literalem (qui oſtendit, magnum hunc Regem aliquot ſibi horas ſeligere ſolitum, quibus in ſolitudine rerum ſpiritualium contemplationi vacaret; in ſenſu ſuo myſtico tria egregia recollectionis genera, & velut tria eremitoria nobis exhibent: in quibus, ad imitationem & exemplum Salvatoris, ſolitudinem noſtram poſſumus exercere. Ipſe quippe in monte Calvariæ ſimilis fuit pelicano ſolitudinis: ſuo pullos ſuos mortuos ſanguine ad vitam reſuſcitanti. In nativitate verò ſua, in ſtabulo illo deſerto fuit; quaſi nycticorax in domicilio: delicta & peccata noſtra deplorans & deflens. In die denique aſcenſionis ſuæ, fuit adinſtar paſſeris: in cælum (quod eſt mundi quodammodò tectum) ſe recipientis & evolantis. Et in tribus his locis, medias inter negotiorum turbas & ſtrepitum: nos recolligere & recipere poſſumus. Beatus Elzearius Comes Arrianenſis in Provincia; cùm diutiùs à caſta & pia ſua Delphina abfuiſſet; & ipſa per nuntium expreſſum, quem ad eum miſit de ejus valetudine quæſiviſſet: hoc modo ei reſpondit. *Rectè valeo cariſſima conjux; ſi videre me cupis: quære me in vulnere lateris dulciſſimi Ieſu noſtri. Ibi námque habito, & ibi me invenies: alibi me fruſtrà quæſieris.* O equitem verè Chriſtianum!

Ibidem cap. 13. ubi agitur de aſpirationibus, orationibus jaculatoriis ac piis cogitationibus.

IN Deo mens ſe recolligit, dum ad eum aſpirat, & ad eum aſpirat, ut in eo ſe recolligat: adeò ut ipſa aſpiratio ad Deum, & converſio ſpiritualis ſeſe mutuò ſuſtentent: ac utraque ex bonis procedat naſcatúrque cogitationibus. Sæpè ergò ad Deum aſpira Philóthea: ídque per breves quaſdam, ſed ardentes cordis evibrationes. Illius pulchritudinem admirare, opémque implora; in ſpiritu ad crucis pedem te abjice; bonitatem ejus adora; ſæpè eum de ſalute tua interroga; millies per diem animam tuam illi offer; interiores oculos tuos in benignitatem illius defige; manum tuam verſùs illum uti parvulus ad patrem, extende, ut ipſe te conducat; pone quoque eum ſuper pectus & cor tuum veluti ſuaviſſimum florum faſciculum; ac velut vexillum & ſignum quoddam, in anima tua eum defige; & alia ſexcenta diverſorum cordis tui motuum genera facito: quò amorem Dei in te excites, & ad divinum hunc ſponſum affectuoſè & tenerè diligendum temetipſam exſtimules. [*Hîc formam & modum habes mentem facilè elevandi ad Deum abſque nimia animi contentione; affectus producendo quaſi per intuitum in eum directum: & per ſimplicem conſenſum bonæ cogitationi tibi immiſſæ & conceptæ.*]

Hoc modo fiunt orationes jaculatoriæ: quas magnus Auguſtinus tam ſeriò & impensè piæ mulieri Probæ commendat. Sic fiet, ut ſpiritus noſter, Philóthea; continuò Dei ſui commercio, colloquio, & familiaritati intimæ ſeſe applicans: omnes ejus perfectiones paulatim imbibat & hauriat. Hoc porrò exercitium in ſe difficilè non eſt. Etenim omnibus negotiis noſtris, operibus & occupationibus, ſine ullo eorum diſpendio, commodè intermiſceri & intertexi poteſt; quòd tam in recollectione ſpirituali, quam in hiſce ejaculationibus interioribus, nonniſi breves & parvæ quædam diverſiones fiant: à quibus ea quæ agimus, nullo modo impediuntur, quin imò mirificè etiam promoventur. Viator, pauxillum vini ad cor ſuum recreandum & os refocillandum ſumens; tametſi paululùm ſubſiſtat: viam ſuam tamen propterea non interrumpit. Imò verò novas ad celeriùs & faciliùs eam perficiendam, vires colligit: non aliter ſubſiſtens, quàm ut expeditiùs ambulet.

Multi ſcriptores multas aſpirationes vocales collegêre; quæ certè cumprimis bonæ & utiles ſunt; ſed, me conſulente, ad nulla certa verba te adſtringes; verùm aut corde, aut ore, illa proferes, quæ tibi amor ex tempore ſuggeret: is enim tot, quot voles, tibi ſuggeret. Tametſi non ignorem, quædam eſſe verba, quæ peculiarem quamdam ad

cordi hac in re ſatisfaciendum vim habent; uti ſunt ejaculationes illæ in Pſalmis Davidicis adeo frequentes & crebræ : diverſæ quoque nominis Jeſu invocationes; & amoris illæ ſignificationes & indicia: quæ Canticum Canticorum paſſim præfert & ſpirat. Huic quoque intento deſerviunt cantiones ſpirituales: dummodò aliqua cum attentione canantur.

Denique, ſicut illi qui amore quodam humano & naturali aliquid amant; cogitatione penè ſemper in rem amatam feruntur, ac toto cordis affectu in eamdem rapiuntur: & nunquam non in laudes ejuſdem prorumpunt; & licet ab eadem corpore abſint: nunquam tamen amorem ſuum per literas quas ſcribunt, teſtandi occaſionem omittunt. Imò nullam eſſe patiuntur arborem: cujus cortici nomen rei amatæ non inſcribant. Ita quicunque Deum diligunt; nunquam de illo cogitare deſinunt; ſemper illum reſpirant, & ad illum aſpirant; continuò de illo loquuntur: & ſi fieri poſſet, omnium hominum qui in mundo ſunt pectoribus, ſacrum & ſanctum Jeſu nomen vellent inſculpere.

Atque ad hoc ipſum etiam omnia creata eos invitant; cùm nulla ſit creatura, quæ non dilecti ſui laudes ipſis annunciet; & (uti poſt S. Antonium magnus Auguſtinus ait) quidquid in mundo eſt: mutâ quadam linguâ, ſed admodum intelligibili, de amore ipſorum bene loquatur. Denique quidquid in orbe eſt, bonas in ipſis cogitationes cauſetur: è quibus deindè permultæ in Deum mentis aſpirationes enaſcuntur. En tibi aliquot harum exempla. Sanct. Gregorius Nazianzenus, uti de ſe ipſo ad populum ſuum ait; in littore maris obambulans, conſiderabat quomodò marini fluctus in littus ſeſe exonerantes: conchylia, conchas, caules herbarum, oſtreola, & alias id genus minutias, quas mare ejiciebat, & ut ita dicam, in littus exſpuebat, poſt ſe relinquerent; & quomodo mare ipſum deinde, per alios fluctus ſupervenientes, partem illorum reſorberet, & rurſus ad ſe attraheret: ſcopulis interim vicinis firmis & immobilibus conſiſtentibus, etſi violenter & aſſiduè ab undis tunderentur & ferirentur. Quo viſo, cogitare ſecum cœpit; debiles adinſtar conchyliorum, cochlearum, & caulium herbarum, modò ad conſolationem, prout fortunæ fluctus & undæ impellunt, ferri rapique: ſed generoſos & viriles animos ad omnes fortunæ inſultus & fluctus fixos & immobiles permanere. Et ab hac cogitatione in illa Davidis ſuſpiria & aſpirationes prorumpebat; *Salva me, Domine, quia intraverunt aquæ uſque ad animam meam: libera me Domine de profundis aquarum. Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.* Tunc quippe ipſe in afflictione agebat: eò quòd Maximus iniquâ invaſione Epiſcopatum ſuum uſurpaſſet.

S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, cùm nobilitatis Romanæ quem Theodoricus Gothorum Rex indixerat, conventui intereſſet; videretque tot Procerum, qui ordine quique ſuo conſederant, ſplendorem &

decorem; *Quam*, inquit, *Deus bone, pulchra ſit oportet cæleſtis Ieruſalem, cum Roma terreſtris tantâ pompâ & fulgore reſplendeat? Et ſi hoc in mundo tantum ſplendoris detur amatoribus vanitatis; ecquæ gloria reſervetur oportet in altero contemplatoribus veritatis?*

Dicitur autem S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis (à cujus incunabulis & natalibus permultum decoris & gloriæ montibus noſtris acceſſit:) in hac bonarum cogitationum praxi cum primis excelluiſſe. Contigit aliquando, lepuſculum quemdam, à canibus inſequentibus preſſum; ſub ſancti hujus Præſulis, (qui tum quemdam in locum fortè proficiſcebatur) equum ſeſe, velut in aſylum, quod imminens mortis periculum ei ſuggerebat, recipere; canes autem circumſecus allatrantes, immunitatem loci ad quem præda ſua confugerat, minimè auſos fuiſſe violare. Extraordinarium certe & novum hoc ſpectaculum, omnibus viæ comitibus riſum movit; quouſque magnus Anſelmus, lacrymans & ingemiſcens, vos, inquit, ridetis; ſed miſella beſtia non ridet. Pari modo animæ exagitatæ, & per varios anfractus in omni flagitiorum genere malè habitæ; inimici eam in mortis anguſtiis potiſſimè exſpectant: quò eam ibi rapiant & devorent. Unde ipſa planè conſternata & expalleſcens, undequaque auxilium, ſolatium, & refugium aliquod conquirit; quod ſi invenire nequeat: inimici ei inſultant & exſibilant. Et hoc ille dicto abiit ſuſpirans & gemens.

Cum Conſtantinus Magnus honorificas literas ad ſanctum Antonium miſiſſet: Religioſi qui aderant, hoc cognito maximoperè mirabantur. Quibus ille; *Miramini, Regem homini ſcribere? miremini potius, quod Deus immortalis & æternus ſuam mortalibus legem ſcripſerit: imò verò quod in perſona filij ſui ore ad os iis ſit locutus.*

S. Franciſcus quodam tempore unicam & ſolam ovem multos inter hircos conſpicatus, *Vide*, inquit ſocio ſuo, *obſecro quomodo miſella illa ovicula placidè & manſuetè inter illos hircos agat. Sic Redemptor noſter Ieſus manſuetus & humilis inter Phariſæos agebat.* Aliàs agnellum quemdam à porco devoratum cernens; *Ah miſelle agne*, ajebat plorans: *quàm tu ad vivum Salvatoris mei mortem repræſentas.*

Illuſtris illæ ætatis noſtræ vir, Franciſcus de Borgia; cùm adhuc Gandiæ Dux eſſet, ad venandum exiens: ſexcentos pios devotóſque conceptus inter venandum efformabat. *Mirabar*, ait ipſe poſteà, *quomodò & quàm promptè falcones ad venatoris manum redeant; atque oculos ſibi velari, perticæque ſe realligari patiantur: homines verò voci divinæ adeò rebelles ſunt & contumaces.*

S. Baſilius ait, roſam è ſpinis enaſcentem, hanc hominibus lectionem prælegere; *Quod hoc in mundo, ô homines, ſuaviſſimum & jucundiſſimum, triſtitiâ quadam miſtum & perfuſum eſt: nam nihil ibi omnis doloris eſt expers: ipſáque amaritudo atque triſtitia lætitiæ ſemper agnata eſt. Sic matrimonio viduitas; fœcunditati cura; gloriæ ignominia; honoribus*

impenſæ, *deliciis faſtidium*: *ſanitati morbus. Pulcher quidem*, inquit pius hic vir, *flos roſa eſt*; *at magnam ille mihi triſtitiam cauſatur*, *dum peccati mihi mei memoriam refricat*: *ob quod terra ad ſpinas & tribulos proferendos damnata eſt.*

Pia quædam anima, amnem quemdam ſerena in nocte contemplans, cælúmque in eo cum ſtellis ſuis effigiatum cernens: ajebat. *Hæ ipſæ ſtellæ, Domine*, *ſub pedibus meis erunt cùm me intra ſancta tabernacula tua receperis*, *& ſicuti ſtellæ cæli in terra expreſſæ repræſentantur*: *ſic homines terræ in cælis in vivo divinæ charitatis fonte exprimuntur.*

Alius videns fluvium rapi volvíque, exclamabat. *Non priùs anima mea requiem habebit*: *quàm in divinitatis mare*, *quæ ejus origo eſt*, *abſorpta ſit.* Et S. Franciſca, placidum quemdam rivulum, in cujus ripa ad orandum genua flexerat, conſiderans, in mentis exceſſum rapta fuit: identidem verba illa ſubmiſſâ voce apud ſemetipſam repetens. *Sic Dei mei gratia dulciter placidéque*, *rivuli hujus in morem*: *in animam influit.*

Alius arbores floribus coopertas undique cernens, ingemiſcens ajebat, *Cur ego ſolus in Dei Eccleſiæ horto florum expers ſum*? Alius pullos gallinaceos ſub matris alis collectos conſpiciens: *ſub umbra alarum tuarum*, ajebat, *Domine protege me.* Alius Heliotropium florem videns, *Quandonam*, exclamabat, *Deus meus*, *anima mea bonitatis tuæ ductum attractionémque ſequetur*? Et alius violas autumnales (vulgò flammeas) cernens, oculis quidem gratas, ſed odoris expertes: *Tales* inquit, *ſunt cogitationes meæ*, *quæ bona quidem dicunt*, *ſed nullum agunt aut operantur.*

Vide ergò, Philothea, quomodò ex omni illa rerum varietate, quæ in hac vita mortali nobis occurrit, quæcumque demum ea ſit: bonas elicere cogitationes ſanctáſque ejaculationes mentis poſſimus. Miſeri profectò illi, qui creaturas a ſuo creatore divellunt: quò eas in peccatum convertant. Beati autem illi, qui eaſdem in creatoris ſui gloriam convertunt: earúmque vanitatem ad veritatis honorem impendunt. *Soleo*, inquit S. Gregorins Nazianzen. *omnia in commodum meum ſpirituale referre.* Legito pium illud Epitaphium, quod S. Paulæ S. Hieronymus conſcripſit, & ipſum plurimis ſanctis aſpirationibus, & piis conceptibus, quos omni propè in occaſione ipſa efformabat: undequaque conſperſum videbis.

Porrò in hoc recollectionis ſpiritualis & orationum jaculatoriarum exercitio magna devotionis pars conſiſtit, ipſúmque omnium aliarum orationum defectum ſupplere poteſt: illius verò defectus & omiſſio nullâ propè aliâ ratione poteſt reparari. Sine illo quippe, vitæ contemplativæ non benè quis ſe-dare & activæ nonniſi ægrè admodum poteſt, & ſine illo, quies omnis nonniſi otioſitas eſt: labor verò tantùm impedimentum & intricatio. Quapropter te adhortor, ut ſeriò, & ex toto corde id complectaris: neque unquam ipſum deſeras.

Quoſlibet libros evolve in quibus de interiori cum Deo converſatione

agitur, nihil ſanè hiſce S. Doctoris documentis aut ad intelligendum planius; aut ad praxim accomodatiùs ſolidiúſque reperies.

LECTIO VIGESIMA QUARTA.

De Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio & quomodò audiendum ſit. De aliis exercitiis publicis frequentandis: & de Sanctis honorandis & invocandis. De Lectione Sanctarum Scripturarum ac piorum Librorum: & quid de vana & ſeculari ſcientia ſentiendum ſit.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

E*Cce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.* Matt. cap. 28. v. 20.

Ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Mal. cap. 1. v. 11.

Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Epiſt. ad Rom. cap. 15. v. 4.

Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi: & non ſecundum Chriſtum. Ad Coloſſ. cap. 2. v. 8.

Prophetica Malachiæ verba in ſacro Miſſæ ſacrificio Chriſtus adimplet, & ut ipſe promiſit: nobiſcum ibidem manet uſque ad conſummationem ſeculi. Verùm ut & tu quoque ejuſdem Prophetæ promiſſa compleas, Chriſti Sacrificio tuum adjungere debes in iſto myſterio; cum illo manendo ſicut & ipſe tecum eſt. Hæc prætereà ſcripturæ verba tibi apertè innuunt quid de Sacra Lectione, quidve de humanæ ſcientiæ curioſitate: ſentire debeas. Sed eorum praxim ambo Magiſtri te edocturi ſunt.

Ex Introductione Lib. 2. cap. 14. ubi agitur de Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio, & quomodo ipſum audiendum ſit.

NOndum tibi de exercitiorum ſpiritualium ſole & principe locutus ſum: de ſanctiſſimo, inquam, ſacratiſſimo, & diviniſſimo Miſſæ

Sacrificio & Sacramento. Hoc quippe religionis Chriſtianæ centrum eſt: devotionis cor, pietatis anima; myſterium ineffabile, quod divinæ charitatis abyſſum in ſe comprehendit: ac per quod ſe Deus ipſe realiter nobis applicans, gratias & dona ſua nobis magnificè communicat.

Secundò, oratio in divini hujus ſacrificij unione facta, incredibilem certè vim habet; adeò ut anima, illius adminiculo, cæleſtibus donis & beneficiis quàm abundantiſſimè compleatur: veluti ſuper dilectum ſuum innixa; qui ſpiritualibus odoramentis & ſuavitatibus uſque adeò eam adimplet: ut virgulæ cuidam fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarij concinnatæ (uti in Canticis dicitur) ſimilis eſſe videatur.

Tertiò, omni ergò ſtudio operam da, ut Sacrificio Miſſæ quotidiè interſis: ut unà cum Sacerdote Redemptoris tui Sacrificium Deo Patri, pro te, & pro univerſa Eccleſia, offeras. Semper, ut ſcribit S. Joannes Chryſoſtomus, infiniti Angeli ei præſentes adſtant, ut ſanctum hoc myſterium honorent; cúmque nos unà cum ipſis, & eâdem intentione, præſentes ei adſumus: è tali ſocietate & contubernio non poſſumus niſi maximam benignorum gratiarum influxuum copiam recipere. Eccleſiæ tàm triumphantis, quàm militantis Chori, Domino in divina hac actione ſeſe conjungunt; cúmque ſtipant, ut unà cum ipſo, in ipſo & per ipſum cor Dei Patris rapiant: ejúſque miſericordiam totam ad nos commiſcere faciant. Ecqua animæ eſt felicitas, quâ affectus ſuos pro adeò pretioſò & deſiderabili bono devotè confert?

Quartò, ſi fortè neceſſitate aliquâ impedita; celebrationi ſummi hujus & divini Sacrificij realiter præſens adeſſe nequeas: animum tamen & cor tuum hùc referas oportet, ut ſpiritualiter ei interſis. Aliquâ ergò horâ matutinâ, confer te in ſpiritu (ſi aliter facere non poſſis) ad templum; intentionem tuam cum omnium Chriſtianorum intentionibus conjunge; & eoſdem actus interiores elice in loco in quo verſaris: quos eliceres ſi realiter ſancto Miſſæ officio aliquo in templo intereſſes.

Quintò, porrò ſive Sacratiſſimo Miſſæ Sacrificio, mente vel corpore adſimus: hac brevi expeditâque methodo uti poterimus.

Primò, jam inde ab initio Introitus, uſque dum Sacerdos ad Altare acceſſerit, unà cum ipſo te præpara; facies hoc: ſi in Dei præſentia te ſiſtas; indignitatem tuam agnoſcas: & peccatorum tuorum veniam roges.

Secundò, ab eo tempore quo Sacerdos ad Altare acceſſit, uſque ad Evangelium; conſidera Redemptoris noſtri adventum & vitam in hoc mundo: ídque ſimplici & generali quadam conſideratione.

Tertiò, ab Evangelio uſque ad Offertorium; conſidera Domini prædicationem: & proteſtare te in fide & obedientia ſancti Verbi, & in ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ unione vivere & mori velle.

Quartò,

Quartò, ab initio Offertorij uſque ad recitationem *Pater noſter*; myſteriis & Paſſionis Dominicæ, quæ actualiter & eſſentialiter in hoc Sacroſancto Sacrificio repræſentantur, recogitandis cor tuum applica: quod unà cum Sacerdote & reliquo populo, Deo Patri, ad ejus honorem & gloriam, & ad utilitatem & ſalutem tuam offeres.

Quintò, jam inde à *Pater noſter*, uſque ad finem Communionis; ſexcenta cordialiter deſideria excitare conare: ardentiſſimè amore æterno Salvatori noſtro in æternum conjungi & uniri deſiderans.

Sextò, jam inde à Communione uſque ad finem ſacri; gratias divinæ ejus Majeſtati, ob ipſius Incarnationem, vitam, mortem, paſſionem, nec non amorem, quem nobis in ſancto hoc Sacrificio teſtatur, age: cúmque per illud obteſtare; ut ſemper tibi, parentibus, amicis tuis, & univerſæ Eccleſiæ propitius ſit: téque ex toto corde humilians, divinam benedictionem, quam tibi Dominus per miniſtrum ſuum impertitur, devotè recipe.

At ſi tempore Sacri meditationem iis de myſteriis, quæ quotidiè ordine dierum meditaris, inſtituere vis: opus non erit ut particularibus his actibus factitandis teipſam diſtrahas & divertas; ſed ſatis erit, quòd intentionem tuam initio ad hoc dirigas: ut ſanctum hoc Sacrificium per meditationis & orationis tuæ exercitium adorare & offerre cupias. Cùm in qualibet meditatione prædicti actus aut expreſsè: aut tacitè & virtualiter contineantur.

Obſerva ſanctum Doctorem ſemper & ubique animas dirigere velle ad rationabilem ſpiritûs libertatem ſectandam: & ad veram diſcretionem in omnibus ſervandam.

Ibidem cap. 15. *ubi agitur. De aliis exercitiis publicis & communibus.*

PRæter hæc, diebus Feſtis & Domínicis; Horarum Canonicarum & Veſperarum Officio intereſſe te oportet, Philóthea: quantum quidem per otium & commoditatem tuam licebit. Hi namque dies ſpecialiter Deo dedicati & ſacri ſunt: & in iis plures ad ejus honorem & gloriam actus uſurpandi ſunt, quàm in aliis. Hoc pacto quoque ſexcentas devotionis dulcedines & delicias ſenties: uti olim S. Auguſtinus ſenſit. Etenim hic in confeſſionibus ſuis ſcribit, ſe ſub initium converſionis, cùm divina officia audiret; tantâ introrſum animi dulcedine perfundi ſolitum: ut cor ei quodammodo colliqueſceret, & oculi lacrymis devotionis innatarent. Tum verò, quod (ut ſemel id dicam, & non ſit opus repetere) ſemper plus boni & conſolationis homo à publicis Eccleſiæ officiis, quàm ex aliis particularibus actibus ſoleat percipere: cùm Deus ipſe juſſerit, ut ſemper publica privatis, & peculiaribus communia præferrentur.

Libenter Sodalitatibus loci in quo agis, aſcribi velis; iis præſertim, quarum exercitia & inſtitura: plus fructûs & boni exempli adferunt. Hoc namque pacto: obedientiæ actum Deo gratiſſimum exercebis. Nam licet ſodalitates ſpeciali ab eo præcepto præſcriptæ & mandatæ non ſint: ab Eccleſia tamen commendantur: quæ declarare cupiens, quàm ſibi gratum ſit, plures in eiſdem nomina dare: Sodalibus earum & membris indulgentias varias & alia quædam privilegia impertiri ſolet. Adde quod maximæ charitatis eſt cum multis ſimul concurrere; & aliis ad bona eorum deſideria executioni mandanda cooperari: & auxiliari. Et quamquam fieri poſſit, ut tam bona quis exercitia ſeparatim faciat, atque in Sodalitatibus ſimul junctim que peraguntur; imò illi fortaſſis longè gratius & ſuavius ſit eadem privatim & ſibi ſoli facere: per hanc tamen operum noſtrorum bonorum, quam unà cum fratribus & proximis noſtris facimus, unionem & collationem Deus Opt. Max. magis glorificatur.

Idem de omnibus precibus & devotionibus publicis cenſeo; in quibus, quantùm quidem nobis poſſibile eſt: bono noſtro exemplo proximum ædificare, & affectum noſtrum in unicam Dei gloriam, & communem ac publicam intentionem debemus dirigere.

Ibidem capite 16. ubi agitur de ſanctis honorandis. & invocandis.

Cum Deus Opt. Max. per Angelos ſuos ſæpè ſuas inſpirationes nobis immittat; noſtrum eſt viciſſim etiam noſtras aſpirationes ad illum ſæpè horum nuntiorum operâ remittere. Sanctæ defunctorum animæ, quæ in cælis cum Angelis verſantur, & ſicuti Dominus in Evangelio ait, ſunt ſicut Angeli Dei; idem quoque nobis inſpirandi, & per ſanctas ſuas orationes pro nobis aſpirandi: officium ſubeunt.

Jungamus, ergò mea Philothea, noſtra cum cæleſtibus illis ſpiritibus, & beatis animabus corda; & uti parvæ Philomelæ junctæ matribus cantare diſcunt: ita per ſacrum illud quod cum ſanctis inibimus commercium, melius & orare, & divinas laudes cantare addiſcemus. *Cantabo & pſallam*, inquit Pſalmiſta, *in conſpectu Angelorum.*

Speciali quodam amore & honore ſacram & glorioſam Virginem Mariam honora, reverére & cole; ipſa quippe ſupremi Patris noſtri Mater eſt: ac proinde, ut ita dicam, avia noſtra. Ad illam ergò confugiamus; & velut parvuli ejus, perfecta quadam cum fiducia: omni momento & omnibus in caſibus illius nos in gremium recipiamus. Benigniſſimam hanc Matrem invocemus; amorem ejus maternum imploremus; & virtutes illius imitari ſatagentes: verè filiali quodam affectu & corde erga ipſam feramur.

Angelis quoque valdè familiaris eſto ⁏ & eos frequenter vitæ tuæ, & actionibus tametſi inviſibiliter: præſentes conſidera. Ante omnes verò præcipuè dilige & reverere Angelum Diœceſeos, in qua habitas præſidem ⁏ uti & Angelos eorum, inter quos & quibuſcum agis: & præcipuè tuum Angelum Cuſtodem & tutelarem. Eos ergò ſæpè invoca, lauda & honora ⁏ atque in omnibus negotiis tuis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus: illorum opem & auxilium implora, ut tuis illi in tentationibus cooperentur.

Magnus ille Pater Petrus Faber, primus in ſancta Jeſu Societate Sacerdos ⁏ primus Concionator, primus Theologiæ Doctor, & primus S. Ignatij fundatoris ejuſdem ſocius: quodam tempore è Germania, in qua multa ad divinam gloriam ſpectantia obſequia præſtiterat, veniens ⁏ & hanc diœceſin in qua natus fuerat, pertranſiens, narrabat: ſe multis hæreticorum provinciis peragratis, plurimas inde ſenſiſſe conſolationes ⁏ quòd ſingularum parœciarum, quas ingrediebatur: Angelos protectores & tutores, in ingreſſu illarum ſalutaſſet. Quos ſibi notabiliter & perceptibiliter faventes & propitios fuiſſe eſt expertus: tum ipſum à variis hæreticorum inſidiis protegendo ⁏ tum in plurimis animabus illi emolliendis: & docilibus ad doctrinam ſalutarem recipiendam reddendis. Id autem tanta cum efficacia & energia aliis commendabat ⁏ ut matrona quædam, tum quidem adhuc juvenis, cùm id illum dicentem audiſſet: id ipſum jam quadriennio, id eſt, poſt ſexaginta ex quo id audiiſſet, annos inſigni cum devotionis ſenſu nobis referret. Incredibili certè cum gaudio quoddam anno ſuperiore, eo in loco, in quo beatus ille vir natus eſt: in parvo, inquam pago Vilareto, in aſperrimis agri noſtri montibus ſito, Altare conſecravi.

Porrò tibi ſelige aliquos Sanctos ſpeciales, quorum vitam ſequi meliùs & imitari poſſis: & quorum interceſſione meliùs te adjuvari poſſe confidis. Ille autem, cujus nomen geris: particularim tibi jam inde à baptiſmo ad cultum aſſignatus eſt.

Ibidem cap. 17. *ubi agitur, Quomodo verbum Dei audire & legere oporteat.*

Singularem habere affectum erga verbum Dei debes ⁏ ſive ipſum in familiari cum amicis tuis ſpiritualibus colloquio: ſive in concionibus pro ſuggeſtu audias. Semper ipſum attentè & reverenter audi ⁏ & aliquam ex illo utilitatem & fructum elice: nec ipſum in terram cadere & effundi ſinas. Sed velut pretioſum quoddam balſamum in cor tuum recipe ⁏ exemplo nimirum Deiparæ Virginis, quæ quæcumque ad filij ſui laudem & præconium verba dicebantur: ſedulò in corde ſuo conſervabat. Et nôris Dominum ita omnia verba, quæ illi in precibus

noſtris proferimus, obſervare & colligere: prout viciſſim ipſi colligimus illa, quæ nobis ipſe per os concionatoris eloquitur.

Habe ſemper penes te librum aliquem ſpiritualem, uti ſunt libelli S. Bonaventuræ, Joan. Gerſonis, Dionyſij Carthuſiani, Lud. Bloſij, Granatenſis: Stellæ, Ariæ, Pinelli, Lud. de Ponte, Joan. Avilæ, Lucta ſpiritualis, Confeſſiones S. Auguſtini, Epiſtolæ S. Hieronymi, & ſimiles: & quotidiè aliquid in iis magna cum devotione lege, perinde ac ſi literas legeres, è ſanctis tibi de cælo Miſſas, quibus tibi viam ad cælum oſtenderent: téque ad eòdem pergendum animarent. [*Nota quod hos libros proponat quaſi Catalogum optimorum librorum, non ut ad omnes legendos adſtringat; ſed ut aliquos ex eis ſeligas. At in hoc ſelectu debes Superioris aut Ductoris ſpiritualis conſilia perquirere.*] Lege prætereà Hiſtorias & vitas Sanctorum, in quibus, velut in ſpeculo, ipſam vitæ Chriſtianæ imaginem videbis: ex eorúmque operibus & actionibus, pro ſtatu & vocatione tua, rem tuam facere ſtude. Nam etſi multæ ſanctorum actiones imitari nequeas, & inimitabiles ſint ab iis qui in mundo vivunt; omnes tamen potes cominùs vel eminùs imitari. Solitudinem quippe Pauli primi Eremitæ imitari aliquatenùs potes in recollectionibus tuis ſpiritualibus, de quibus & poſteà agemus: & ſuprà jam egimus. S. quoque Franciſci paupertatem, per ea exercitia paupertatis, quæ ſuo loco præſcribemus: & ſic de aliis.

Inter ipſas autem Hiſtorias quædam majus ad vitæ noſtræ directionem gubernationémque lumen ſuppeditant: quàm aliæ. Tales ſunt vita S. Matris Tereſiæ de Jeſu: quæ in hoc ſingularis cumprimis & admirabilis eſt. Vitæ primorum Patrum Societatis Jeſu: S. Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis, S. Ludovici, S. Bernatdi, Chronica Fratrum Minorum: & aliæ id genus. Aliæ verò admirandæ magis quam imitandæ ſunt: uti S. Mariæ Ægyptiæ, S. Simeonis Stilitæ, SS. Catharinarum Senenſis & Genuenſis, S. Angelæ, & aliæ hujuſmodi: quæ nihilominùs magnum quemdam ſancti amoris divini guſtum legentibus ſolent adſpirare.

Homo privatus, id eſt qui nullis alicujus Status Regulis adſtrictus eſt; vix ex Sanctorum exemplis poſſet ſibi normam actuum ſuorum componere. Ad hoc enim maxima diſcretione ei opus eſſet, ut tot inter, támque varias ipſorum actiones: quod ſibi maximè conveniret poſſet eligere. Documentis ergò Evangelicis ordinatè expoſitis & explicatis inſiſtendum eſt; & ipſis quaſi omnium agendorum principiis eſt inhærendum. Ex Sanctorum verò exemplis & ex varietate eorum quæ geſſerunt id omninò concludendum eſt; nos cum Dei auxilio eum poſſe ſummè diligere, & omnia nos poſſe agere, ferre, & vincere: in eo qui nos confortat. His primis monitis ea ſubjunge quæ alter Magiſter mox ſuggeret, ut quâ ratione in ſcientia Sanctorum proficias: penitiùs addiſcas.

De Lectione Sanctarum Scripturarum ac piorum Librorum. Lib. 1. de Imitatione, cap. 5.

1. VEritas eſt in Scripturis ſanctis quærenda; non eloquentia. Omnis Scriptura ſacra eo ſpiritu debet legi: quo facta eſt. Quærere potiùs debemus utilitatem in Scripturis: quam ſubtilitatem ſermonis. Ita libenter devotos & ſimplices libros legere debemus: ſicut altos, & profundos. Non te afficiat auctoritas ſcribentis ˥ utrùm parvæ, vel magnæ literaturæ fuerit: ſed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non quæras quis hæc dixerit: ſed quid dicatur, attende.

2. *Homines tranſeunt*; ſed *veritas Domini manet in æternum.* Sine perſonarum acceptione variis modis loquitur nobis Deus. Curioſitas noſtra ſæpe nos impedit in lectione Scripturarum ˥ cùm volumus intelligere, & diſcutere: ubi ſimpliciter eſſet tranſeundum. [*Quod iis omninò contingit ˥ qui prædeſtinationis myſterium & alia ejuſmodi perſcrutari & explicare præſumunt: quæ omnia à nobis quaſi abyſſus multa conſiderari debent. Ad quarum ripam ſtare nobis ſufficiat; & ibi adorationes & vota Deo reddere.*] Si vis profectum haurire ˥ lege humiliter, ſimpliciter, & fideliter: nec unquam velis habere nomen ſcientiæ. Interroga libenter, & audi tacens verba Sanctorum ˥ nec diſpliceant tibi parabolæ ſeniorum: ſine cauſa enim non proferuntur.

Pſal. 38. 7.
Pſal. 116. 2.

Contra vanam & ſecularem ſcientiam. Libro 3. de Imitatione. Capite 43.

1. FILI Non moveant te pulchra & ſubtilia hominum dicta ˥ *Non enim eſt Regnum Dei in ſermone: ſed in virtute.* Attende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant: inducunt compunctionem, & variam ingerunt conſolationem. Nunquam ad hoc legas verbum meum ut doctior, aut ſapientior poſſis videri ˥ ſed ſtude mortificationi vitiorum: quia hoc ampliùs tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæſtionum.

1. Cor. 4. 20.

2. Cùm multa legeris & cognoveris: ad unum ſemper oportet redire principium. *Ego ſum, qui doceo hominem ſcientiam: & clariorem intelligentiam parvulis tribuo*, quàm ab homine poſſit doceri. Cui ego loquor, cito ſapiens erit: & multùm in ſpiritu proficiet. Væ eis qui multa curioſa ab hominibus inquirunt: & de via mihi ſerviendi parùm curant. Veniet tempus quando apparebit Magiſter magiſtrorum, Chriſtus, Dominus Angelorum ˥ cunctorum auditurus lectiones: hoc eſt, ſingulorum examinaturus conſcientias. Et tunc *ſcrutabitur Hieruſalem*

Pſ. 118. 99. & 130.
Soph. 1. 12.
1. Cor. 4. 5.

in lucernis ⁏ *& manifeſta erunt abſcondita tenebrarum :* tacebúntque argumenta linguarum.

3. Ego ſum qui humilem in puncto elevo mentem ⁏ ut plures æternæ veritatis capiat rationes; quàm ſi quis decem annis ſtuduiſſet in ſcholis. Ego doceo ſine ſtepitu verborum ⁏ ſine confuſione opinionum ⁏ ſine faſtu honoris : ſine impugnatione argumentorum. Ego ſum qui doceo terrena deſpicere ⁏ præſentia faſtidire ⁏ cæleſtia quærere, æterna ſapere : honores fugere, ſcandala ſufferre ⁏ omnem ſpem in me ponere : extra me nihil cupere, & ſuper omnia me ardenter amare.

4. Nam quidam amando me intimè didicit divina : & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia : quàm in ſtudendo ſubtilia. Sed aliis loquor communia, aliis ſpecialia ⁏ aliquibus in ſignis & figuris dulciter appareo : quibuſdam verò in multo lumine revelo, myſteria. Una vox librorum, ſed non æquè omnes informat ⁏ quia intùs ſum doctor veritatis, cordis ſcrutator, cogitationum intellector, actionum promotor: diſtribuens ſingulis ſicut dignum judicavero.

LECTIO VIGESIMA QUINTA.

Quomodo inſpirationes ſunt admittendæ & Sacra Confeſſio facienda. De examine propriæ conſcientiæ & emendationis popoſito : & quòd nos & omnia noſtra Deo debemus offerre ac pro omnibus orare.

Textus ex Sacris Scripturis deſumpti.

Qui habet, dabitur ei & abundabit : qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Matt. cap. 13. v. 12.

Meliùs enim erat illis, non cognoſcere viam juſtitiæ : quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Epiſt. 2. Pet. cap. 2. v. 21.

Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo ⁏ *& ille declinaverat, atque tranſierat : anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt. Quæſivi, & non inveni illum* ⁏ *vocavi : & non reſpondit mihi.* Cant. cap. 5. v. 6.

Ego quidem baptizo vos in aqua, in pœnitentiam ⁏ *qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare : ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni. Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam* ⁏ *& congregabit triticum ſuum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matt. cap. 3. v. 11.

Si noſmetipſos dijudicaremus; non utique judicaremur. Dum judicamur autem; à Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 11. v. 31.

Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt: ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo; qui omnes homines vult ſalvos fieri: & ad agnitionem veritatis venire. Epiſt. 1. ad Timot. cap. 2. v. 1.

Hæc Sacri Textûs verba edocent 1. Si gratiis ac piis motibus à Deo tibi immiſſis, ad interiorem animæ profectum non utaris; in periculum incidis perdendi paulatim quæ recepiſti: & in inopiam ſpiritualem decidendi. 2. Quæ in hiſce donis negliguntur: non ad arbitrium noſtrum nec quandolibet recuperari. 3. Conſcientias noſtras à nobiſmetipſis penitiùs eſſe perſcrutandas, & quaſi cribrandas; ut nos poſteà dijudicemus, atque ad amoroſam pœnitentiam condemnemus: ſi velimus divinum prævenire judicium. 4. Demùm nos coram Deo veluti hoſtias vivas perpetuò exhibendos: quæ pro omnibus ipſius gratiam & auxilium implorent. Horum praxim ex utriuſque Magiſtri verbis accipe.

Ex Introductione Lib. 2. cap. 18. ubi agitur, Quonam modo inſpirationes divinæ admittendæ ſint.

INſpirationes voco, omnes internas attractiones, motus, coargutiones, & remorſus, lumina quoque & cogitationes; quas Deus, ſuis in benedictionibus paternâ quadam curâ & amore cor noſtrum præveniens in nobis incitat: quo nos ad ſanctas virtutes, amorem cœleſtem, bona propoſita; denique ad omnia quæ nos ad bonum æternum aliquomodò conducunt: excitet, expergefaciat, alliciat & impellat. Atque hoc eſt, quòd ſponſus in Canticis vocat ad oſtium ſtare & pulſare; loqui ad cor ſponſæ, eam dormientem excitare, vocare: & abſentem conquirere. Hoc item intelligit; dum eam ad mel ſuum, atque ad poma & fructus in horto ſuo colligenda: & ad cantandum, ut vox ejus dulcis in auribus ſuis ſonet, invitat.

Ad plenum & abſolutum matrimonium contractum; tres ex parte puellæ quam parentes elocare volunt: actiones interueniant oportet. Primò namque futurus conjux ei proponitur; deinde ipſa eum ſibi placere dicere debet: tertiò conſenſum ſuum illi dat. Sic Deus Opt. Max. aliquem magnæ virtutis actum in nobis, per nos, & nobiſcum facere volens; primò ſuâ nobis inſpiratione eum proponit: ſecundò nos eum ratum habemus, tertiò aſſenſum præbemus. Nam ſicuti tres

ſunt gradus, quibus ad peccatum deſcenditur; tentatio nimirum, delectatio, & conſenſus: ſic & tres ſunt, quibus ad virtutem aſcenditur; inſpiratio ſcilicet, quæ tentationi opponitur, in inſpirata re: delectatio, quæ delectationi in malo objecta eſt: & in inſpiratione conſenſus, qui conſenſui in tentatione contrarius eſt.

Tametſi inſpiratio toto vitæ noſtræ duraret tempore; non propterea tamen Deo vel hilum placeremus: ſi eâ minimè delectemur. Imò vero divinà ejus Majeſtas graviſſimè indignaretur & offenderetur; uti indignatus eſt olim adverſus Iſraëlitas quibus quadraginta annis inſpiratione ſuâ proximus fuit, (uti ipſemet teſtatur) identidem eos, ut ſe converterent: incitans & urgens. Ipſi verò nunquam ei benè monenti auſcultare voluère; quibus proinde juravit in ira ſua: quod non introirent in requiem ſuam. Quemadmodum nobilis aliquis procus qui longo tempore per omne obſequiorum, & meritorum genus, puellæ alicujus favorem & amorem ſibi comparare ſtuduiſſet; plenè planéque officio ſuo defunctus dici poſſet: licet ipſa, poſt hæc omnia, nullatenùs aſſenſum matrimonio, quod is ſpectat, dare velit.

Ex ipſa, quæ ex divinis inſpirationibus capitur, delectatione; inſignem ad divinam gloriam progreſſum facimus: & jam tum per illam divinæ ejus Majeſtati placere incipimus. Nam tametſi illa delectatio nondum plenus ſit conſenſus: aliqua tamen ad eumdem via & diſpoſitio eſt. Quod ſi imprimìs utile eſt, verbi Dei auditione delectari; hoc namque velut inſpiratio quædam externa eſt: ita bonum Deóque imprimìs gratum eſt, internâ inſpiratione delectari. De hac namque delectatione loquitur ſponſa ſacra, dum ait; *Anima mea liquefacta eſt: dum dilectus meus locutus eſt.* Nobili quoque illi tum ſatis ſupérque puella quam ambit, ſatisfacit, & placet; dum quæcumque ei præſtat officia & obſequia: grata illi eſſe & placere conſpicit.

At conſenſus actum bonum tandem in ſe perficit. Si enim & inſpirationem ſentiamus; & ex eadem quoque voluptatem capiamus: nihilominùs poſteà conſenſum præſtare Deo nolimus; certè quàm ingratiſſimi ſumus: & divinam ejus Majeſtatem quàm maximè offendimus. Nam majorem tunc contemptum præferre videmus. Sic namque in Canticis ſponſæ contigit: licet enim dilecti ſui vox ſanctâ quadam voluptate cor ejus affeciſſet: oſtium tamen ei non adaperiebat: ſed ſatis frivolâ ſe excuſatione purgabat. Unde ſponſus, meritò indignatus pertranſit: eámque deſerit. Sic nobilis ille procus, ſi poſtquam diù puellam ambiiſſet; & obſequiis quoque ſuis illi placuiſſet: tandem adhuc ab ea repudiaretur & vilipenderetur; longò majorem indignandi & ſtomachandi occaſionem haberet: quàm ſi petitio ejus rata habita non fuiſſet, ejúſque obſequia minimè placuiſſent.

Quapropter, Philothea, firmiter proponas oportet; omnes quas Deus tibi afflare dignabitur inſpirationes, dignanter & bono corde

acceptare:

acceptare: eaſque dum tibi fient, ceu Regis cæleſtis, tecum matrimonium inire & contrahere deſiderantis, legatos & nuntios admittere. Propoſitiones & poſtulata earum benignè auſculta ⁏ amorem, quo tibi inſpiratio fit, perpende: ſanctámque inſpirationem amanter amplectere. [*In mentem revoca quæ alter piiſſimus Doctor te docuit ⁏ videlicet; non omnes cogitationes de aliquo bono faciendo, quaſi inſpirationes à Deo immiſſas æſtimandas eſſe. Id latiùs explicatum habes parte ſecundâ hujus operis tractatu de vero amore, &c.*]

Conſenſu itaque, ſed pleno, amoroſo & conſtanti, ſanctæ inſpirationi conſentias ⁏ hoc enim pacto fiet: ut Deus cui nunquam ſatisfacere potes, ſatis ſibi factum, ob affectum tuum putet. At priuſquam inſpirationibus de magni momenti & extraordinariis rebus conſenſum & aſſenſum præſtes, ne decipiaris ⁏ directorem & patrem tuum ſpiritualem ſemper conſule; ut examinet nimirum, utrum inſpiratio vera ſit, an falſa. Etenim inimicus animam ad inſpirationibus conſentiendum facilem & promptam videns: ſæpè ei falſas, ad eam decipiendam proponit. Nunquam verò eam decipiet, quamdiù in ſpiritu humilitatis Directori ſuo obtemperabit: ejúſque ductum ſequetur.

Conſenſu jam præſtito ⁏ ſumma cum promptitudine & diligentia rem propoſitam effectui mandare; & inſpirationem opere ipſo exequi neceſſe eſt. Hoc namque veræ virtutis ſumma eſt & complementum. Conſenſum namque in animo habere ⁏ & ad effectum & rem ejuſdem non venire: perinde foret, atque vineam aliquam plantare, ac nolle ut uvas proferat.

Porrò ad hæc omnia incredibiliter conducit ⁏ ritè & prout oportet matutinum exercitium, nec non recollectionem ſpiritualem de quibus jam ante locutus ſum: factitare. Hoc namque modo præparamus nos, ad præparationis non generalis ſolum, ſed & particularis bonum faciendum.

Ibidem cap. 19. ubi agitur de ſancta Confeſſione.

POenitentiæ & Confeſſionis Sacramentum ad hoc Dominus Eccleſiæ ſuæ reliquit ⁏ ut quoties nos iniquitates commaculabunt & deturpabunt: illas in eo eluamus. Noli ergò, mea Philothea, pati, ut cor tuum peccato diù infectum maneat: cum remedium tam præſens & facilè ad manum habeas. Leæna, cùm à Leopardo oppreſſa fuit, quam citiſſimè ſeſe in profluente abluit ⁏ quò fœtorem qui ſibi ex illa copula adhæſit, hac ratione tollat: ne veniens Leo, ipſúmque olfaciens, offendatur & irritetur. Sic anima, quæ peccato conſenſit ⁏ ſui ipſius concipere horrorem, & ſe quàm promptiſſimè debet emundare: idque ob reſpectum & reverentiam, quam divinæ Majeſtatis oculis debet. Sed cur obſecro, morte ſpirituali mori

velimus ⁊ cùm tam ſingulare & præſens remedium habeamus?

Humiliter ergo & devotè ſemel in hebdomada confitère ⁊ & ſi fieri poteſt, quoties ad ſacram communionem accedis : tametſi nullum peccati alicujus mortalis in conſcientia tua remorſum ſentias. Etenim per confeſſionem quam inſtitues, non ſolùm venialium peccatorum quæ confiteberis abſolutionem : ſed & incredibile ad eadem in poſterum evitanda robur recipies ⁊ uti & ingens ad eadem benè diſcernenda lumen: nec non abundantem gratiam ad omnem jacturam ac diſpendium, quod tibi attulerant, reparandum. Ad hæc, humilitatis, obedientiæ ſimplicitatis & charitatis virtutem exercebis ; & plures in ſolo hoc confeſſionis actu virtutes, quam in alio quocunque uſurpabis.

Semper tibi eâ quæ confiteberis peccata, quamtumcumque parva ſint, verè diſpliceant : firmúmque concipe propoſitum eadem in poſterum ſeriò corrigendi. Multi è conſuetudine quadam & velut pro forma, nullo modo de emendatione vitæ ſuæ cogitantes, peccata ſua venialia confitentur ⁊ & hi, quoad vivunt, iiſdem infecti & inquinati manent : itáque fit, ut bonorum, & fructuum ſpiritualium multorum jacturam faciant. Si ergò mentitam te eſſe confitearis ⁊ tametſi nullum proximo è mendacio tuo ſecutum ſit damnum; aut aliquod verbum inordinatum locutam ⁊ aut nimiùm luſiſſe ; pœniteat te, firmúmque te emendandi propoſitum concipe. Etenim abuſus & error eſt, peccatum aliquod, ſive veniale, confiteri : & nolle ſe ab eo expedire. Cùm non ob alium quam hunc finem Confeſſio ſit inſtituta. [*Obſerva, hoc emendationis propoſitum, non excludere prævisionem relapsûs in peccata venialia ⁊ toto enim vitæ tempore nos peccatores Deus eſſe voluit ? non verò ut per pœnitentiæ Sacramentum quaſi impeccabiles efficeremur. Omnia ergò peccata deteſtemur ; cum bona voluntate omnia vitandi de cætero, quantùm poterimus.*]

Nec ſatis eſt, accuſationes illas ſuperfluas & generales facere, quas multi ordinatim & ſeriatim faciunt, dicentes ⁊ non dilexi Deum tantùm quantùm debebam ⁊ non oravi eâ devotione quâ orare oportuit ⁊ non dilexi proximum prout debebam ⁊ non recepi Sacramenta eâ reverentiâ quâ debebam ; & alias hujuſmodi. Ratio eſt, quod hæc dicendo ⁊ nihil dictura ſis particulare, è quo confeſſarius conſcientiæ tuæ ſtatum perſpectum & exploratum habeat : idem quippe dicere poſſent omnes qui in cœlo ſunt ſancti, & qui in terra homines, ſi confeſſionem inſtituerènt. Vide ergò quæ te privatim cauſa moveat, ut has accuſationes tui facias ⁊ quam ubi detexeris & videris, te defectûs commiſſi accuſa: idque planè, ſimpliciter & nudè. Exempli cauſa ⁊ accuſas te, quòd proximum non eo quo opoituit amore ſis proſecuta ; id ideò forſan factum eſt, quòd alicujus pauperis in ſumma neceſſitate conſtituti, quem facili negotio juvare & conſolari poteras ⁊ miſerta non ſis : nec ullam ejus curam habueris. Sed immiſericordiæ hujus particularis te accuſa dicens ⁊ Videns pauperem aliquem inopiâ ſummâ oppreſſum,

eum non juvi, prout quidem poteram: vel è negligentia, vel ex inclementia, vel è contemptu, prout defectûs hujus cauſam & occaſionem fuiſſe deprehendes. Pari modo, ne te accuſes quod Deum eâ devotione non oràris, quâ quidem debes; at dic ſimpliciter & apertè, ſi voluntarias in oratione diſtractiones habueris: aut commodum locum, tempus, & corporis ſitum, ad attentionem in oratione habendam, neceſſarium captare neglexeris; prout te hîc deliquiſſe comperies: generalem illam accuſationem non afferendo, quæ in confeſſione nihil omninò prodeſt.

Nec ſatis tibi ſit, peccata venialia quoad factum ipſum confiteri; ſed & cauſam motivúmque, quo ad eadem committenda fuiſti inducta: expone. Exempli gratiâ; ſatis tibi non ſit, dicere eſſe te, etſi ſine ullius diſpendio, mentitam; ſed adde, an id è vana gloria, ut te ſcilicet laudares & excuſares; an verò è vano gaudio, vel pertinacia feceris. Si in luſu deliqueris; explica an id feceris præ lucri cupidine: an quod voluptatem è converſatione captaris, &c. [*Id tantum majoris perfectionis conſilium eſt: circa peccata venialia.*]

Adjunge prætereà an diù in malo tuo hæſeris. Etenim temporis diuturnitas adauget plerumque peccatum non mediocriter; cùm magnum ſit inter vanitatem quamdam tranſitoriam, quæ nonniſi ad quadrantis horæ ſpatium in animo noſtro manſerit: & eam quæ integrum per diem aut biduum, aut triduum cor noſtrum occupârit. Diſcrimen ergò & factum, & motivum, & diuturnitas peccatorum noſtrorum aperienda ſunt. Nam etſi, communiter in peccatorum venialium explicatione uſque adeò exactos & ſcrupuloſos nos non eſſe oporteat; imò verò abſolutè non teneamur eadem confiteri; qui tamen animas ſuas benè expurgare volunt, quò melius ad ſanctam devotionem pertingant; ſeduli & accurati ſint oportet: ad malum ſuum quantumlibet parvum id ſit, à quo curari & ſanari cupiunt, medico ſuo ſpirituali integrè & ſincerè patefaciendum. [*Hæc tamen liberâ mente & abſque anxietate facienda ſunt; & intelligenda de quibuſdam occultis quorum conſequentia præcavenda ſunt.*]

Ne vereare dicere id quod neceſſariò dicendum eſt, quò peccati tui qualitas benè perfectéque intelligatur: uti eſt verbi gratia occaſio & cauſa, quâ ad alicui iraſcendum mota fuiſti; aut cur alicujus peccatum toleràris: aut ipſum reprehendere neglexeris. Exempli cauſâ, aliquis mihi uſque adeò non placens, leve aliquod mihi verbum per jocum dicet; ego verò id in malam partem accipiam: & ob id illi indignabor. Si quis alius, qui mihi placuiſſet; aliud multò aſperius dixiſſet: bonam id in partem accepiſſem. Itaque inter confitendum non verebor dicere; protuli verba indignationis in aliquem, in malam partem accipiens aliquid quod dixerat: non quod revera verba ejus eſſent talia, ſed quod dicens mihi diſpliceret. Et ſi etiam, quo benè conſcientiæ tuæ ſtatum declares; ipſamet neceſſe ſit verba particulatim referre:

credo bonum fore ipſa dicere. Nam dum quis ſic apertè ſe accuſat ⁊ non modò peccata, quæ commiſit, ſed & malas inclinationes, mores, habitus, atque alias peccati radices patefacit: itáque ſpiritualis Pater plenam perfectámque animi & conſcientiæ quam tractat, nec non remediorum quæ ei propria ſunt & conveniunt, cognitionem accipit. Semper tamen ſtudioſè cavendum eſt, ne tertia perſona, quæ peccato tuo aliquo modo eſt cooperata: quantùm quidem fieri poteſt, pateſcat & detegatur.

Diligenter quoque animadverte ad multa peccata, quæ ſæpè inſenſibiliter in conſcientia vivunt & dominantur ⁊ ut ipſa confitearis: téque ab iiſdem expurgare valeas. Legas ad hoc diligenter Caput 6. 27. 28. 29. 35. & 36. Partis tertiæ: & Caput 7. Partis quartæ.

Ad hæc non facilè Confeſſarius tibi mutandus eſt: at poſtquam aliquem jam tibi delegeris ⁊ huic exinde conſcientiæ tuæ rationem perge reddere, diebus ad hoc faciendum præſtitutis: candidè & apertè omnia quæ admiſiſti peccata ⁊ nec non tempus ab ultima confeſſione elapſum, declarando: verbi gratia, eſſe jam menſem aut duos ab ea elapſos. Aperi prætereà inclinationum tuarum ſtatum licet per has ipſas minimè deliqueris. Si nimirum in triſtitiam propendeas, aut naturâ ſis moroſior ⁊ ſi in lætitiam, aut opum comparandarum cupiditatem ſis inclinatior; & ſic de aliis affectibus & inclinationibus.

Cum Sacramentalis confeſſio, ſit communis & ſolita preparatio ad Sacram Communionem ⁊ alter piiſſimus Magiſter te edocturus eſt, qualiter illam debes inſtituere; ut ad hanc Sacram Synaxim benè diſpoſitus accedas. Quæ ergò dicturus eſt, attentiùs auſculta.

De diſcuſſione propriæ conſcientiæ & emendationis propoſito. Libro 4. de Imitatione, cap. 7.

SALVATOR.

1. SUper omnia cum ſumma humilitate cordis, & ſupplici reverentia ⁊ cum plena fide, & pia intentione honoris Dei, ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum, & ſumendum: oportet accedere Dei Sacerdotem. Diligenter examina conſcientiam tuam ⁊ & pro poſſe tuo, vera contritione, & humili confeſſione eam munda & clarifica: ita ut nihil grave habeas, aut ſcias, quod te remordeat, & liberum acceſſum impediat. Habeas diſplicentiam omnium peccatorum tuorum in generali: & pro quotidianis exceſſibus magis in ſpeciali doleas & & gemas. Et ſi tempus patitur: Deo in ſecreto cordis cunctas confitere paſſionum tuarum miſerias.

2. Ingemiſce & dole, quòd adhuc ita carnalis ſis & mundanus ⁊ tam immortificatus à paſſionibus, tam plenus concupiſcentiarum motibus;

tam incuſtoditus in ſenſibus exterioribus, tam ſæpe multis vanis phantaſiis implicatus ? tam multùm inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora ? tam levis ad riſum, & diſſolutionem ? tam durus ad fletum & compunctionem ? tam promptus ad laxiora & carnis commoda ? tam ſegnis ad rigorem & fervorem ? tam curioſus ad nova audienda & pulchra intuenda ? tam remiſſus ad humilia & vilia amplectenda ? tam cupidus ad multa habenda ? tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum ? tam inconſideratus in loquendo, tam incontinens ad tacendum ? tam incompoſitus in moribus, tam importunus in actibus ? tam effuſus ſuper cibum ? tam ſurdus ad Dei verbum ? tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem ? tam vigilans ad fabulas, tam ſomnolentus ad vigilias ſacras ? tam feſtinus ad finem, tam vagus ad attendendum ? tam negligens in Horis perſolvendis, tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando ? tam citò diſtractus: tam rarò tibi benè collectus ? tam ſubitò commotus ad iram, tam facilis ad alterius diſplicentiam ? tam pronus ad judicandum, tam rigidus ad arguendum ? tam lætus ad proſpera, tam debilis in adverſis; tam ſæpe multa bona proponens & modicum ad effectum perducens.

3. His & aliis defectibus tuis cum dolore & magna diſplicentia propriæ infirmitatis confeſſis & deploratis: firmum ſtatue propoſitum emendandi vitam tuam, & ſemper in melius proficiendi. Deinde cum plena reſignatione, & integra voluntate, offer teipſum in honorem nominis mei in ara cordis tui holocauſtum perpetuum ? corpus tuum ſcilicet atque animam mihi fideliter committendo: quatenùs ſic dignè merearis ad offerendum Deo Sacrificium accedere, & Sacramentum corporis mei ſalubriter ſuſcipere.

4. Non eſt enim oblatio dignior, & ſatisfactio major pro peccatis diluendis? quàm ſeipſum purè & integrè cum oblatione corporis mei in Miſſa, & in Communione Deo offerre. Si homo fecerit quod in ſe eſt, & verè pœnituerit quotieſcumque pro venia & gratia ad me acceſſerit: *Vivo ego dicit Dominus, quia nolo mortem peccatoris ? ſed magis ut convertatur, & vivat: quoniam peccatorum ſuorum non recordabor ampliùs,* ſed cuncta ipſi indulta erunt. *Eze. 33. 11.* *Ib. 18. 22.*

Obſerva ſemper quod ſi facias quod inte eſt & gratia Dei non deſis: auxilium de ſancto & peccatorum venia tibi concedentur.

Quod nos & omnia noſtra Deo debemus offerre & pro omnibus orare. Lib. 4. de Imitatione. Cap. 9.

Discipulus.

1. DOMINE omnia tua ſunt: quæ in cælo ſunt & in terra. Deſidero me ipſum tibi in ſpontaneam oblationem offerre: &

tuus perpetuò permanere, Domine, in ſimplicitate cordis mei offero meipſum tibi hodie in ſervum ſempiternum: in obſequium & in ſacrificium laudis perpetuæ. Suſcipe me cum hac ſancta oblatione tui pretioſi corporis; quam tibi hodie in præſentia Angelorum inviſibiliter aſſiſtentium offero: ut ſit pro me, & pro cuncto populo tuo in ſalutem.

2. Domine offero tibi omnia peccata & delicta mea, quæ commiſi coram te & ſanctis Angelis tuis, à die quo primùm peccare potui uſque ad diem hanc, ſuper placabili altari tuo; ut tu omnia pariter incendas & comburas igne charitatis tuæ: & deleas univerſas maculas peccatorum meorum, & conſcientiam meam ab omni delicto emundes; & reſtituas mihi gratiam tuam, quam peccando amiſi: omnia mihi plenè indulgendo, & in oſculum pacis me miſericorditer recipiendo.

3. Quid poſſum agere pro peccatis meis, niſi humiliter ea confiteri & lamentari & tuam propitiationem inceſſanter deprecari? Deprecor te, exaudi me propitius: ecce ego aſto coram te, Deus meus. Omnia peccata mea mihi maximè diſplicent; nolo ea unquam ampliùs perpetrare: ſed pro eis doleo & dolebo quamdiu vixero; paratus ſum pœnitentiam agere: & pro poſſe ſatisfacere. Dimitte mihi Deus meus, dimitte mihi omnia peccata mea propter nomen ſanctum tuum: & ſalva animam meam, quam pretioſo ſanguine tuo redemiſti. Ecce ego committo me miſericordiæ tuæ: reſigno me manibus tuis. Age mecum ſecundùm bonitatem tuam: non ſecundùm meam malitiam & iniquitatem.

4. Offero etiam tibi omnia bona mea, quamvis valdè pauca & imperfecta; ut tu ea emundes & ſanctifices: ut ea grata habeas & accepta tibi facias; & ſemper ad meliora trahas: nec non ad beatum & laudabilem finem me pigrum & inutilem homuncionem perducas.

5. Offero quoque tibi omnia pia deſideria devotorum; neceſſitates parentum, amicorum, fratrum, ſororum, omniúmque charorum meorum: eorum qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt. Et qui orationes & Miſſas pro ſe, ſuíſque omnibus, dici à me deſideraverunt & petierunt; ſive in carne adhuc vivant, ſive jam ſeculo defuncti ſint: ut omnes ſibi auxilium gratiæ tuæ; opem conſolationis, protectionem à periculis, liberationem à pœnis advenire ſentiant: & ut ab omnibus malis erepti gratias tibi magnificas læti perſolvant.

6. Offero etiam tibi preces & hoſtias placationis, pro illis ſpecialiter qui me in aliquo læſerunt; contriſtaverunt, aut vituperaverunt: vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt. Pro his quoque omnibus, quos aliquando contriſtavi, conturbavi; gravavi, & ſcandalizavi, verbis, factis, ſcienter vel ignoranter: ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata noſtra, & mutuas offenſiones. Aufer, Domine, à cordibus noſtris omnem ſuſpicionem, indignationem, iram, & diſceptatio-

nem ; & quidquid poteſt lædere animas noſtras : & fraternam dilectionem minuere. Miſerere, miſerere, Domine, miſericordiam tuam poſcentibus ; da gratiam indigentibus ; & fac nos tales exiſtere : ut ſimus digni gratiâ tuâ perfrui, & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

LECTIO VIGESIMA SEXTA.

De Sacra Communione : & variis ad eam frequentandam incitamentis. Quod ab ea non facilè ſit abſtinendum ; & quod Corpus Chriſti, ſacráque Scriptura animæ fideli maximè neceſſaria ſint.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Homo quidam fecit Cœnam magnam : & vocavit multos. Et miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent : quia jam parata ſunt omnia. Et cæperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei ; villam emi, & neceſſè habeo exire, & videre illam : rogo te habe me excuſatum. Et alter dixit ; juga boum emi quinque & eo probare illa : rogo te habe me excuſatum. Et alius dixit ; uxorem duxi : & ideò non poſſum venire. Et reverſus ſervus nunciavit hæc Domino ſuo. Tunc iratus pater familias, dixit ſervo ſuo ; exi citò in plateas, & vicos civitatis : & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait ſervus ; Domine, factum eſt ut imperaſti : & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſervo ; exi in vias, & ſepes : & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt : guſtabit cœnam meam. Luc. cap. 14. v. 16.

Non eſt opus valentibus medicus : ſed malè habentibus. Euntes autem diſcite quid eſt : miſericordiam volo, & non Sacrificium. Non enim veni vocare juſtos : ſed peccatores. Matt. cap. 9. v. 12.

Niſi manducaveritis carnem Filij hominis ; & biberitis ejus ſanguinem: non habebitis vitam in vobis. Joan cap. 6. v. 54.

Hæc parabola apertè demonſtrat ; 1. Qualis ſit & quantus Dei erga te affectus quantúmque cæleſtis hujuſce convivij te participem eſſe cupiat. 2. Vides ejus charitatem non ſolùm illud omnibus exponere ; ſed ad illud frequentandum compellere : ægróſque ad divinum illud remedium eâ planè fiduciâ accedere debere, quâ corporalem medicum adirent. 4. Porrò hæc verba te edocent ; quantùm indigeas ad convivium illud accedere: ut poſſis vivere. Horum praxim uterque Magiſter in ſubditis demonſtrabit.

Ex Introductione Lib. 2. cap. 20. ubi agitur de frequenti Communione.

FErtur Mithridates Ponti Rex, cùm Mithidraticum medicamentum inveniſſet ; ita ſuum per hoc ipſum corpus corroboraſſe & armaſſe: ut cùm poſteà, quò Romana vincula & captivitatem evitaret, veneno ſibi vitam vellet adimere, nequaquam potuerit. Redemptor noſter Chriſtus auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod carnem ejus & ſanguinem realiter continet, inſtituit: ut qui ipſum comedit, in æternum vivat. Unde qui ipſum crebrò cum devotione ſuſcipit ; ita animæ ſuæ vitam & ſanitatem confirmat, ut ipſum propemodum impoſſibile ſit, ab aliquo ſiniſtro affectu vitioſâque inclinatione vitiari. Nemo carnem hanc vitæ poteſt comedere, eâque nutriri: & mortis affectibus exinde vivere. Adeò ut quemadmodum homines in Paradyſo terreſtri agentes, ſecundùm corpus poterant non mori ; ídque vi & efficaciâ ligni illius vitæ, quod in ejus medio Dominus plantârat: ſic ſpiritualiter, & ſecundum ſpiritum iidem poſſint non mori, virtute Sacramenti hujus vitæ. Si enim fructus corruptioni præ aliis obnoxij, (puta ceraſa, poma armeniaca & fraga) facili negotio per totum annum integri conſervantur, ſi quando ſaccharo aut melle condiuntur ; mirum ſanè non eſt, corda noſtra, tametſi fragilia & imbecilla, à peccati corruptione integra conſervari: quando ab incorruptibili carne & ſanguine Filij Dei ſaccarata & mellita ſunt. Quicumque Chriſtiani, Philothea, damnationi addicentur, nihil habebunt certè quod in ſuam defenſionem & excuſationem adferant ; cùm Judex juſtiſſimus illis oſtendet, quàm immeritò ſpiritualiter mori voluerint: cum tam facilè, & vitam, & ſanitatem corporis ſui, quod hac de cauſa illis relictum & datum erat, manducatione conſervare potuerint. Ah miſeri, dicet ; cur, quæſo, mortui eſtis, cùm fructum & cibum vitæ in manibus veſtris habueritis & poteſtate?

Quotidie porrò ſacram Euchariſtiæ Communionem percipere, nec laudo nec vitupero ; at ſingulis Dominicis diebus communicare & ſuadeo, & quiſque ut communicet, exhortor: dummodò mens ab omni erga omne peccatum affectu libera ſit & immunis. Sunt hæc ipſa S. Auguſtini verba, cum quo nec probo, nec improbo abſolutè quotidianam communionem ; ſed Patris ſpiritualis hominis illius qui hùc propendet, & ſic communicare velet: diſcretioni eam relinquo. Nam cum diſpoſitio, quæ ad tam frequentem communionem requiritur, valdè exacta & eximia eſſe debeat: hinc eam generaliter cuilibet conſulere conſultum non eſt. Verùm quoniam hæc ipſa diſpoſitio, tametſi ſingularis, in multis ſanctis animabus haberi poteſt & inveniri ; hinc etiam

non

non conſultum eſt, generaliter unumquemque à tali communione divertere & abſtrahere : at juxta cujuſque conſcientiæ ſtatum in particulari, aut ſuadenda eſt, aut diſſuadenda. Etenim imprudentiæ ſpecimen foret, tam frequentem Euchariſtiæ uſum omnibus ſine ulla diſtinctione conſulere; uti & imprudentia foret, aliquem propter eum reprehendere : maximè ſi boni prudentiſque alicujus directoris conſilium in hoc ſequeretur. Scitè ſanè S. Catharina Senenſis, ſuam adeò frequentem communionem reprehendentibus, eò quòd S. Auguſtinus eam nec laudabat, nec vituperabat, reſpondit; Cum, inquit, S. Auguſtinus eam non vituperet, rogo ne & vos eam vituperetis: & hoc mihi ſufficiet.

Et vides, Philothea, Auguſtinum conſulere quam maximè, & neminem non exhortari, ut ſingulis diebus Dominicis communionem ſacram adeat; hoc ergò conſilium ſequere : & exequi pro viribus ſtude. Etenim cum nullum erga peccatum mortale affectum & propenſionem (uti præſuppono) habeas; nec etiam erga aliquod veniale inclinata ſis : veram illam diſpoſitionem habes, quam S. Auguſtinus requirit. Quin & adhuc multò excellentiorem. Nam non modo non habes affectum peccandi : ſed ne quidem erga peccatum. Adeò ut, ſi Pater tuus ſpiritualis conſuleret, & expedire cenſeret : etiam ſæpiùs quam unaquaque Dominica cum animæ tuæ fructu communicare poſſes.

Nihilominùs multa legitima occurrere poſſunt impedimenta non quidem à parte tua, ſed ab iis quibuſcum agis: quæ prudenti conductori occaſionem forſan darent, tam frequentem tibi communionem inhibendi. Si verbi gratia, alicujus in ſubjectione agas; & ſi ij, quibus aut obedientiam aut reverentiam debes, ita malè edocti & ſtupidi eſſent: ut, toties te Sacram Communionem adire videntes ſcandalizentur aut ſe turbent. Quare, rebus omnibus conſideratis, conſultum forſan erit, illorum infirmitati aliquo modo in hoc acquieſcere: & nonniſi decimo quinto quoque die Sacram Communionem adire. At hoc intelligitur ita: ſi difficultatem nimirum aliter exſuperare nequeas. Sed nihil certi hac in re generaliter definiri & conſuli poteſt ad faciendum: quod tibi Pater ſpiritualis faciendum conſulet. Quamquam hoc certò & audacter dicere queam; eos qui devotè ſervire Deo volunt : non poſſe minus quam ſingulis menſibus communicare, nec diutiùs differre communionem poſſe.

Si ſatis prudens ſis, tibi nec mater, nec uxor, nec maritus, nec pater impedimento erunt : quominùs ſæpè Sacram Communionem adeas. Cùm enim ipſa communionis die officij tui partes pro ſtatu tuo convenienter expleas; & erga illos tum benignior & affabilior ſis, nullúmque genus obſequij eis deneges : veriſimile certè eſt, illos hoc in exercitio nullatenus impedire te velle. Cùm nullum ex hoc ipſis ſecuturum ſit incommodum : niſi forſan admodum moroſi, & rationi diſſentanei forent. Hoc in caſu, (uti dixi) ſi director tuus ita facien-

dum ſuaſerit : illorum voluntati forſan condeſcendendum erit. Morbi verò corporales nullum penitùs ſanctæ huic participationi impedimentum adferunt; niſi talis forſan is eſſet : qui frequentes vomitus provocaret.

Ut ſingulis octonis diebus aliquis communicet; requiritur ut ſit ab omni peccato mortali, & erga peccatum veniale affectu deſiderióque liber : ardénſque communicandi deſiderium habeat. Verùm, ut quotidiè quis ad ſacras Epulas accedat; potiſſimam prætereà malarum ſuarum inclinationum partem ſuperârit neceſſe eſt : & nonniſi Patris ſui ſpiritualis cum conſenſu conſilióque id aggredi debet.

Audi nunc alterum Magiſtrum eadem de re ſanctiſſimos quoſque affectus tibi ſuggerentem ad Sacram Communionem devotè percipiendam; & modum edocentem quo perfectiùs ad illam accedas.

Quod utile ſit ſæpè communicare. Lib. 4. de Imitatione. Cap. 3.

DISCIPULUS.

1. ECce ego venio ad te, Domine; ut benè mihi ſit ex munere tuo, Pſal.67. 11. & lætificer in convivio ſancto tuo : *Quod paraſti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Ecce in te eſt totum quod deſiderare poſſum & debeo : tu ſalus mea & Redemptio, ſpes & fortitudo, decus & gloria. *Lætifica* Pſal. 85.4. ergò hodiè *animam ſervi tui : quoniam ad te, Domine* JESU, *animam meam levavi.* Deſidero te nunc devotè ac reverenter ſuſcipere; cupio te in domum meam introducere : quatenùs cum Zachæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiſcit : cor meum tecum uniri deſiderat.

2. Trade te mihi, & ſufficit. Nam præter te nulla conſolatio valet; Sine te eſſe nequeo : & ſine viſitatione tua vivere non valeo. Idcóque oportet me frequenter ad te accedere; & in remedium ſalutis meæ recipere : ne fortè deficiam in via, ſi fuero cæleſti fraudatus alimonia. Sic enim tu miſericordiſſime JESU, prædicans populis, & varios curans Mat.15. 32. languores aliquando dixiſti; *Nolo eos jejunos dimittere in domum ſuam :* Marc.8. 2. *ne deficiant in via.* Age igitur hoc modo mecum : qui te pro fidelium conſolatione in Sacramento reliquiſti. Tu es enim ſuavis refectio animæ; & qui te dignè manducaverit : particeps & hæres erit æternæ gloriæ. Neceſſarium mihi quidem eſt, qui tam ſæpe laboro & pecco : tam citò torpeſco & deficio; ut per frequentes orationes & confeſſiones, ac ſacram tui corporis perceptionem me renovem, mundem, & accendam : ne fortè diutiùs abſtinendo, à ſancto propoſito defluam.

Gen. 8. 21. 3. *Proni enim ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua;* & niſi ſuccurrat divina medicina : labitur mox homo ad pejora. Retrahit ergò ſancta Communio à malo : & confortat in bono. Si enim modò

tam ſæpe negligens ſum & tepidus quando communico, aut celebro; quid fieret ſi medelam non ſumerem, & tam grande juvamen non quærerem? Et licèt omni die non ſim aptus communicare, aut ad celebrandum benè diſpoſitus; dabo tamen operam congruis temporibus divina percipere myſteria: ac tantæ gratiæ participem me exhibere. Nam hæc eſt una principalis fidelis animæ conſolatio, quamdiù peregrinatur à te in mortali corpore: ut ſit ſæpius memor Dei ſui, & dilectum ſuum devotâ ſuſcipiat mente.

4. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio; quòd tu Domine Deus, Creator & vivificator omnium ſpirituum, ad pauperculam digneris venire animam: & cum tota divinitate tua ac humanitate ejus impinguare eſuriem. O felix mens, & beata anima; quæ te Dominum Deum ſuum meretur devotè ſuſcipere & in tua ſuſceptione ſpirituali gaudio repleri. O quàm magnum ſuſcipit Dominum; quàm dilectum inducit hoſpitem; quàm jucundum recipit ſocium; quàm fidelem acceptat amicum; quàm ſpecioſum & nobilem amplectitur ſponſum præ omnibus dilectis: & ſuper omnia deſiderabilia amandum. Sileant à facie tua, dulciſſime dilecte mi, cælum & terra, & omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ eſt largitatis: nec ad decorem tui pervenient nominis, *cujus ſapientiæ non eſt numerus.* Pſ. 146. 5.

Quod Sacra Communio de facili non eſt relinquenda. Ibidem, Capite 10.

Salvator.

1. Frequenter recurrendum eſt ad fontem gratiæ, ac divinæ miſericordiæ; ad fontem bonitatis, & totius puritatis; quatenùs à paſſionibus tuis, & vitiis curari valeas: & contra univerſas tentationes & fallacias diaboli fortior, atque vigilantior effici merearis. Inimicus ſciens fructum & remedium maximum in Sacra Communione poſitum; omni modo & occaſione nititur fideles & devotos: quantùm prævalet, retrahere atque impedire.

2. Cùm enim quidam Sacræ Communioni ſe aptare diſponunt: pejores Satanæ immiſſiones patiuntur. Ipſe namque ſpiritus nequam (ut in Job ſcribitur) *venit inter Filios Dei*: ut ſolitâ illos nequitiâ perturbet; aut timidos nimiùm reddat & perplexos; quatenùs affectum eorum minuat, vel fidem impugnando auferat: ſi fortè aut omninò Communionem relinquant, aut cum tepore accedant. Sed non eſt quidquam curandum de verſutiis & phantaſiis illius, quantumlibet turpibus & horridis: ſed cuncta phantaſmata in caput ejus ſunt retorquenda. Contemnendus eſt miſer & deridendus; nec propter inſultus ejus & Iob. 1. 6.

commotiones, quas ſuſcitat; ſacra eſt omittenda Communio.

3. Sæpe etiam impedit nimia ſolicitudo pro devotione habenda: & anxietas quædam de confeſſione facienda. [*Hæc ſedulò annotanda* ˥ *nec ideò debes nimium contendere ut fervorem ſenſibilem in te excites: ſed age ex fide & charitate quas in animæ intimo excitabis.*] Age ſecundùm conſilium ſapientum ˥ & depone anxietatem & ſcrupulum: quia impedit gratiam Dei, & devotionem mentis deſtruit. Propter aliquam parvam tribulationem vel gravitatem, ſacram ne dimittas Communionem ˥ ſed vade citiùs confiteri: & omnes offenſiones aliis libenter indulge. Si verò tu aliquem offendiſti ˥ veniam humiliter precare; & Deus libenter indulgebit tibi.

4. Quid prodeſt diù tardare Confeſſionem, aut ſacram differre communionem? Expurga te cumprimis ˥ exſpue velociter venenum, feſtina accipere remedium: & ſenties meliùs, quàm ſi diù diſtuleris. Si hodiè propter iſtud dimittis ˥ cras forſitan aliud majus eveniet: & ſic diù poſſes à Communione impediri, & magis ineptus fieri. Quantò citiùs vales à præſenti gravitate atque inertia teipſum excutias ˥ quia nihil prodeſt diù anxiari, diù cum turbatione tranſire: & ob quotidiana obſtacula ſe à divinis ſequeſtrare. Imò plurimùm nocet diù Communionem protelare: nam & communiter gravem torporem ſolet inducere talis protelatio. Proh dolor ˥ quidam tepidi & diſſoluti, moras confitendi libenter accipiunt, & Communionem ſacram idcircò differre cupiunt: ne ad majorem ſui cuſtodiam dare ſe teneantur.

5. Heu quàm modicam charitatem & debilem devotionem habent, qui ſacram Communionem tam faciliter poſtponunt? Quàm felix ille Deóque acceptus habetur, qui ſic vivit, & tali puritate conſcientiam ſuam cuſtodit ˥ ut etiam omni die communicare paratus, & benè affectus eſſet, ſi ei liceret, ac ſine nota id agere poſſet? Si quis interdum abſtinet humilitatis gratiâ, aut legitimâ impediente cauſâ: laudandus eſt de reverentia. Si autem torpor obrepſerit ˥ ſeipſum excitare debet, & facere quod in ſe eſt: & Dominus aderit deſiderio ſuo pro voluntate, quam ſpecialiter reſpicit. [*En tibi apertè demonſtratur neceſſitas cooperandi gratiæ Dei: & quid ex parte noſtra proferre debeamus.*]

6. Cùm verò legitimè præpeditus eſt: habebit ſemper bonam voluntatem & piam intentionem communicandi: & ſic non carebit fructu Sacramenti. Poteſt enim quilibet devotus omni die, & omni hora ad ſpiritalem Chriſti Communionem ſalubriter, & ſine prohibitione accedere ˥ & tamen certis diebus, & ſtatuto tempore, corpus ſui Redemptoris cum affectuoſa reverentia Sacramentaliter debet ſuſcipere: ac magis laudem Dei & honorem prætendere, quàm ſuam quærere conſolationem. Nam toties myſticè communicat, & inviſibiliter reficitur ˥ quoties Incarnationis Chriſti myſterium, paſſionémque devotè recolit: & in amorem ejus accenditur.

7. Qui aliter ſe non præparat niſi inſtante feſto, vel conſuetudine compellente: ſæpiùs imparatus erit. Beatus qui ſe Domino in holocauſtum offert, quoties celebrat aut communicat. Non ſis in celebrando nimis prolixus aut feſtinus: ſed ſerva bonum & communem modum eorum cum quibus vivis. Non debes aliis generare moleſtiam & tædium; ſed communem ſervare viam ſecundùm Majorum inſtitutionem: & potiùs aliorum ſervire utilitati, quàm propriæ devotioni vel affectui.

Obſerva qualiter diſcretio debeat in omnibus veram devotionem concomitari; & curare debeat ut nemini ſit moleſta.

Quod Corpus Chriſti & Sacra Scriptura maximè ſint animæ fideli neceſſaria. Ibidem, cap. 11.

DISCIPULUS.

1. O Dulciſſime Domine Jesu, quanta eſt dulcedo devotæ animæ tecum epulantis in convivio tuo; ubi ei non alius cibus manducandus proponitur: niſi tu unicus dilectus ejus, ſuper omnia deſideria cordis ejus deſiderabilis. Et mihi quidem dulce foret in præſentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere: & cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis rigare. Sed ubi eſt hæc devotio? ubi lacrymarum ſanctarum copioſa effuſio? Certè in conſpectu tuo & ſanctorum Angelorum tuorum totum cor meum ardere deberet: atque ex gaudio flere. [*Hæc grati animi affectû; ſed abſque impatientiæ motu deberet produci.*] Habeo enim te in Sacramento verè præſentem: quamvis alienâ ſpecie occultatum.

2. Nam in propria te ac divina claritate conſpicere oculi mei ferre non poſſent: ſed neque totus mundus ad fulgorem majeſtatis gloriæ tuæ ſubſiſteret. In hoc ergò imbecillitati meæ conſulis: quòd te ſub Sacramento abſcondis. Habeo verè & adoro, quem Angeli adorant in cælo; ſed ego adhuc interim in fide: illi autem in ſpecie ac ſine velamine. Me oportet contentum eſſe lumine veræ fidei; & in ea ambulare: donec aſpiret dies æternæ claritatis, & umbræ figurarum inclinentur. *Cùm autem venerit quod perfectum eſt*, ceſſabit uſus Sacramentorum: quia in cæleſti gloria Beati non egent medicamine ſacramentali. Gaudent enim ſine fine in præſentia Dei, facie ad faciem gloriam ejus ſpeculantes; & de claritate in claritatem abyſſalis Deitatis transformati: guſtant Verbum Dei carnem factum, ſicut fuit ab initio, & manet in æternum. 1. *Cor.* 13, 10.

3. Memor cùm ſim horum mirabilium, grave mihi fit tædium, etiam quodlibet ſpiritale ſolatium; quia quamdiù Dominum meum apertè in ſua gloria non video: pro nihilo duco omne quod in mundo conſpicio & audio. Teſtis es tu mihi Deus; quia nulla res me conſolari poteſt, nulla quietare: niſi tu Deus meus, quem deſidero æternaliter con-

templari. Sed non eſt hoc poſſibile durante me in hac mortalitate. Ideò oportet ut me ponam ad magnam patientiam: & meipſum in omni deſiderio tibi ſubmittam. Nam & ſancti tui, Domine, qui tecum jam in regno cælorum exultant: in fide, ac patientia magna dum viverent, adventum gloriæ tuæ expectabant. Quod illi crediderunt, ego credo; quod illi ſperaverunt, ego ſpero: quò illi pervenerunt, per gratiam tuam me venturum confido. Ambulabo interim in fide: exemplis confortatus Sanctorum. Habebo etiam libros ſanctos pro ſolatio & vitæ ſpeculo: atque ſuper hæc omnia ſanctiſſimum corpus tuum pro ſingulari remedio & refugio.

4. Duo namque mihi neceſſaria permaximè ſentio in hac vita: ſine quibus importabilis mihi foret iſta miſerabilis vita. In carcere corporis hujus detentus duobus egere me fateor: cibo ſcilicet ac lumine. Dediſti itaque mihi infirmo ſacrum corpus tuum ad refectionem men-
Pſ.118.105. tis & corporis: & poſuiſti *lucernam pedibus meis, verbum tuum.* Sine his duobus vivere non poſſem; Nam verbum Dei lux eſt animæ: Sacramentum autem tuum panis vitæ. Hæc poſſunt etiam dici menſæ duæ: hinc & inde in gazophylocio Eccleſiæ ſanctæ poſitæ. Una menſa eſt ſacri Altaris habens panem ſanctum, id eſt, Corpus Chriſti pretioſum; altera eſt divinæ legis continens doctrinam ſanctam, erudiens fidem rectam: & firmiter uſque ad interiora velaminis, ubi ſunt ſancta ſanctorum perducens. Gratias tibi, Domine JESU, lux lucis æternæ, pro Doctrinæ ſacræ menſa; quam nobis per ſervos tuos Prophetas & Apoſtolos: alióſque Doctores miniſtraſti.

5. Gratias tibi, Creator ac Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cœnam paraſti magnam: in qua non agnum typicum, ſed tuum ſanctiſſimum corpus & ſanguinem propoſuiſti manducandum; lætificans omnes fideles convivio ſacro, & calice inebrians ſalutari: in quo ſunt omnes deliciæ Paradiſi, & epulantur nobiſcum Angeli ſancti, ſed ſuavitate feliciori.

6. O quàm magnum & honorabile eſt officium Sacerdotum; quibus datum eſt Dominum majeſtatis verbis ſacris conſecrare; labiis benedicere; manibus tenere; ore proprio ſumere: & cæteris miniſtrare. O quàm mundæ debent eſſe manus illæ; quàm purum os, quàm ſanctum corpus: quàm immaculatum cor Sacerdotis, ad quem toties ingreditur Auctor puritatis. Ex ore Sacerdotis nullum niſi ſanctum; nullum niſi honeſtum & utile verbum procedere debet: qui tam ſæpe Chriſti accipit Sacramentum.

7. Oculi ſimplices & pudici eſſe debent, qui Chriſti corpus intueri; manus puræ atque in cælum elevatæ: quæ Creatorem cæli & terræ ſo-
Lev. 19. 2. lent contrectare. Sacerdotibus ſpecialiter in Lege dicitur; *Sancti eſto-*
& 20. 7. *te, quoniam ego ſanctus ſum: Dominus Deus veſter.*

8. Adjuvet nos gratia tua omnipotens Deus; ut qui officium Sacer-

dotale ſuſcepimus: dignè ac devotè in omni puritate tibi & conſcientia bona famulari valeamus. Etſi non poſſumus in tanta innocentia vitæ converſari ut debemus ˥ concede nobis tamen dignè flere mala quæ geſſimus: & in humilitatis ac bonæ voluntatis propoſito tibi ferventiùs de cætero deſervire.

LECTIO VIGESIMA SEPTIMA.

De ſuprema bonitate & Charitate Chriſti: in Corporis ſui conceſſione. Cum quanta reverentia recipi debeat: & de bonis quæ inde reportant devotè communicantes. De excellentia hujus Sacramenti & Sacerdotalis dignitatis.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

M*Iſereor ſuper turbam* ˥ *quia ecce jam triduò ſuſtinent me: nec habent quid manducent. Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam* ˥ *deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt.* Marc. cap. 8. verſ. 2.

Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam ˥ *& legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malac. cap. 2. v. 7.

Hæc duo S. Scripturæ loca referre ſufficit; quæ Chriſti erga te miſericordiam & Sacerdotalem dignitatem apprimè demonſtrant. Excellentiora quæque in hac lectione ad hanc rem pertinentia tibi profert Doctor Imitationis: affectúſque eximios qui ad Sacram Communionem deſiderari poſſunt, tibi ſuggerit. Sed notandum quod quæcumque hîc profert, de fide viva & animata & non ſemper de ſenſibili devotione ſunt intelligenda ˥ quam anima ad ſuum non poteſt habere arbitrium: ſed quoad vivam fidem, illius actus cum Dei adjutorio ſemper producere poteſt.

Devota exhortatio ad Sacram Communionem. Lib. 4. de Imitatione.

VERBA CHRISTI.

V*ENITE ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos*, dicit Dominus. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi* Mat. 11. 28. Joa. 6. 52.
vita. Accipite, & comedite ˥ *hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur:* Mat. 26. 26.

1.Co.11.24. *hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat Carnem meam, &*
Joan. 6.55. *bibit Sanguinem meum: in me manet, & ego in illo. Verba, quæ ego locutus*
Joan.6.64. *ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.*

Cum quanta reverentia Chriſtus ſit ſuſcipiendus. Ibidem, Cap. 1.

DISCIPULUS.

1. HÆc ſunt verba tua, Chriſte, veritas æterna; quamvis non uno tempore prolata: nec uno in loco conſcripta. Quia ergò tua ſunt verba: gratanter mihi & fideliter cuncta ſunt accipienda. Tua ſunt, & tu ea protuliſti; & mea quoque ſunt, quia pro ſalute mea ediditi. Libenter ſuſcipio ea ex ore tuo: ut aptiùs inſerantur cordi meo. Excitant me verba tantæ pietatis: plena dulcedinis & dilectionis. Sed terrent me delicta propria: & ad capienda tanta myſteria me reverberat impura conſcientia. Provocat me dulcedo verborum tuorum: ſed onerat me multitudo vitiorum meorum.

2. Jubes ut fiducialiter ad te accedam, ſi tecum velim habere partem; ut immortalitatis accipiam alimoniam: ſi æternam cupiam obti-
Mat.11.28. nere vitam & gloriam. *Venite,* inquis, *ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis: & ego reficiam vos.* O dulce & amicabile verbum in aure peccatoris; quo tu, Domine Deus meus, egenum & pauperem invitas: ad communionem tui ſanctiſſimi corporis. Sed quis ego ſum, Domine,
3.Reg.8.27. ut ad te præſumam accedere? *Ecce cæli cælorum te non capiunt*; tu dicis: *Venite ad me omnes.*

3. Quid ſibi vult iſta piiſſima dignatio, & tam amicabilis invitatio? Quomodò auſus ero venire, qui nullius boni mihi conſcius ſum, unde poſſim præſumere? Quomodò te introducam in domum meam; quæ ſæpiùs offendi benigniſſimam faciem tuam? reverentur Angeli & Archangeli, metuunt Sancti & Juſti, & tu dicis; *Venite ad me omnes?* Niſi tu Domine, hoc diceres, quis verum eſſe crederet? Et niſi tu juberes,
Gen. 6. 14. quis accedere attentaret? Ecce Noë vir juſtus, in arcæ fabrica, centum annis laboravit, ut cum paucis ſalvaretur; & ego quomodò me potero una hora præparare, ut mundi Fabricatorem cum re & eſſentia ſumam?

Exo.25.10. 4. Moyſes famulus tuus, magnus & ſpecialis amicus tuus, arcam ex lignis imputribilibus fecit; quam & mundiſſimo veſtivit auro, ut tabulas Legis in ea reponeret; & ego putrida creatura audebo te Condito-
3.Reg.6.38. rem Legis ac vitæ datorem tam facilè ſuſcipere? Salomon ſapientiſſimus Regum Iſraël magnificum templum ſeptem annis in laudem no-
Ibid. 8. minis tui ædificavit; & octo diebus feſtum dedicationis ejus celebravit; mille hoſtias pacificas obtulit: & arcam fœderis cum clangore buccinæ & jubilo in locum ſibi præparatum ſolemniter collocavit. Et

ego

ego infelix & pauperrimus hominum quomodò te in domum meam introducam, qui vix mediam expendere devotè novi horam? & utinam vel ſemel dignè ferè mediam.

5. O mi Deus, quantùm illi ad placendum tibi agere ſtuduerunt? Heu, quàm puſillum eſt quod ago: quàm breve expleo tempus cùm me ad communicandum diſpono? Raro totus collectus, rariſſimè ab omni diſtractione purgatus. Et certè in tuæ ſalutari Deitatis præſentia, nulla deberet occurrere indecens cogitatio: nulla etiam occupare creatura: quia non Angelum, ſed Angelorum Dominum ſuſcepturus ſum hoſpitio.

6. Eſt tamen magna diſtantia inter arcam fœderis cum ſuis reliquiis, & mundiſſimum corpus tuum cum ſuis ineffabilibus virtutibus: inter legalia illa ſacrificia, futurorum præfigurativa: & veram tui corporis Hoſtiam, omnium antiquorum ſacrificiorum completivam. Quare igitur non magis ad tuam venerabilem inardeſco præſentiam? Cur non majori me præparo ſolicitudine ad tua ſancta ſumenda? quando illi antiqui ſancti Patriarchæ & Prophetæ, Reges quoque & Principes cum univerſo populo: tantum devotionis demonſtrârunt affectum erga cultum divinum. [*Sic quidem licet coram Deo amorosè conqueri, eique infirmitatem noſtram exponere: ita tamen ut patientiæ ac reſignationis ad ejus beneplacitum limites non excedamus; cùm ejus voluntatis non ſit, ut nobis fervor ſenſibilis frequenter concedatur.*]

7. Saltavit Rex devotiſſimus David coram arca Dei totis viribus, recolens beneficia olim indulta Patribus: fecit diverſi generis organa: Pſalmos edidit, & cantari inſtituit cum lætitia: cecinit & ipſe frequenter in cithara, Spiritus Sancti afflatus gratia: docuit populum Iſraël toto corde Deum laudare: & ore conſono diebus ſingulis benedicere & prædicare. Si tanta agebatur tunc devotio, ac divinæ laudis extitit recordatio coram arca teſtamenti: quanta nunc mihi & omni populo Chriſtiano habenda eſt reverentia & devotio, in præſentia Sacramenti, in ſumptione excellentiſſimi Corporis Chriſti?

8. Currunt multi ad diverſa loca pro viſitandis reliquiis Sanctorum, & mirantur auditis geſtis eorum: alta ædificia Templorum inſpiciunt: & oſculantur ſericis & auro involuta ſacra oſſa ipſorum. Et ecce tu præſens es hìc apud me in Altari, Deus meus, Sanctus Sanctorum: Creator hominum: & Dominus Angelorum. Sæpe in talibus videndis eſt curioſitas hominum, & novitas inviſorum: & modicus reportatur emendationis fructus: maximè ubi eſt tam levis ſine vera contritione diſcurſus. Hìc autem in Sacramento Altaris totus præſens es, Deus meus, homo CHRISTUS JESUS: ubi & copioſus percipitur æternæ ſalutis fructus, quotieſcumque fueris dignè ac devotè ſuſceptus: Ad iſtud autem non trahit levitas aliqua, nec curioſitas, aut ſenſualitas: ſed firma fides, devota ſpes, & ſincera charitas.

9. O inviſibilis conditor mundi Deus; quàm mirabiliter agis nobiſcum? quàm ſuaviter & gratiosè cum electis tuis diſponis, quibus temeptipſum in Sacramento ſumendum proponis? Hoc namque omnem intellectnm ſuperat: hoc ſpecialier devotorum corda trahit, & accendit affectum. Ipſi enim veri fideles tui, qui totam vitam ſuam ad emendationem diſponunt: ex hoc digniſſimo Sacramento magnam devotionis gratiam & virtutis amorem frequenter recipiunt.

10. O admirabilis & âbſcondita gratia Sacramenti, quam nôrunt tantùm Chriſti fideles: infideles autem, & peccatis ſervientes experiri non poſſunt. In hoc Sacramento confertur ſpiritualis gratia; & reparatur in anima virtus amiſſa: & per peccatum deformata redit pulchritudo. Tanta eſt aliquando hæc gratia; ut ex plenitudine collatæ devotionis non tantùm mens: ſed & debile corpus vires ſibi præſtitas ſentiat ampliores.

11. Dolendum tamen valdè eſt & miſerandum ſuper tepiditate & negligentia noſtra; quòd non majori affectu trahimur ad Chriſtum ſumendum: in quo tota ſpes ſalvandorum conſiſtit & meritum. Ipſe enim eſt ſanctificatio noſtra & redemptio; ipſe conſolatio Viatorum: & Sanctorum æterna fruitio. Dolendum itaque valdè; quòd multi tam parùm hoc ſalutare myſterium advertunt: quod cælum lætificat; & mundum conſervat univerſum. Heu cæcitas & duritia cordis humani; tam ineffabile donum non magis attendere: & ex quotidiano uſu etiam ad inadvertentiam defluere.

12. Si enim hoc ſanctiſſimum Sacramentum in uno tantùm celebraretur loco; & ab uno tantùm conſecraretur Sacerdote in mundo; quanto putas deſiderio ad illum locum, & ad talem Dei Sacerdotem homines afficerentur, ut divina myſteria celebrari audirent? Nunc autem multi ſancti ſunt Sacerdotes, & in multis locis offertur Chriſtus; ut tantò major appareat gratia & dilectio Dei ad hominem: quantò latiùs eſt ſacra Communio diffuſa per Orbem. Gratias tibi JESU bone, Paſtor æterne; qui nos pauperes, & exules dignatus es pretioſo corpore & ſanguine tuo reficere: & ad hæc myſteria percipienda etiam

Mat. 11. 28. proprij oris tui alloquio invitare dicendo; *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos.*

Duo ſequentia capita poſſunt tibi miniſtrare egregium orandi modum ante ſacram Communionem.

Quod magna bonitas & Charitas Dei in Sacramento homini exhibetur. Ibidem, cap. 2.

1. SUper bonitate tua, & magna miſericordia tua, Domine, confiſus accedo ego miſer & æger ad ſalvatorem; eſuriens & ſitiens ad

fontem vitæ ; pauper & egenus ad Regem cæli ; ſervus ad Dominum, creatura ad Creatorem : deſolatus ad meum pium conſolatorem. Sed unde hoc mihi, ut venias ad me? Quis ego ſum, ut præſtes mihi teipſum? Quomodò audet peccator coram te apparere? & quomodò tu dignaris ad peccatorem venire? Tu noſti ſervum tuum : & ſcis quia nihil boni in ſe habet unde hoc ipſi præſtes. Confiteor igitur vilitatem meam ; agnoſco tuam bonitatem, laudo pietatem, & gratias ago propter nimiam charitatem. Propter temetipſum enim hoc facis, non propter mea merita ; ut bonitas tua mihi innoteſcat, charitas amplior ingeratur : & humilitas perfectiùs commendetur. Quia ergò tibi hoc placet, & tu ſic fieri juſſiſti ; placet & mihi dignatio tua : & utinam iniquitas mea non obſiſtat.

2. O dulciſſime & benigniſſime Jesu, quanta tibi reverentia, & gratiarum actio cum perpetua laude pro ſuſceptione ſacri corporis tui debetur ; cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur? Sed quid cogitabo in hac Communione, in acceſſu ad Dominum meum ; quem debitè venerari nequeo, & tamen devotè ſuſcipere deſidero? Quid cogitabo melius & ſalubrius ; niſi meipſum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem exaltando ſupra me? Laudo te, Deus meus, & exalto in æternum. Deſpicio me, & ſubjicio tibi in profundum vilitatis meæ.

3. Ecce tu Sanctus Sanctorum, & ego ſordes peccatorum. Ecce tu inclinas te ad me, qui non ſum dignus ad te reſpicere. Ecce tu venis ad me : tu vis eſſe mecum, tu me invitas ad convivium tuum. Tu mihi dare vis cæleſtem cibum, & panem Angelorum ad manducandum ; non alium ſanè, quàm teipſum : *Panem vivum, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo.* *Ioan. 6.*

4. Ecce, unde dilectio procedit : & qualis dignatio illuceſcit. O quam magnæ gratiarum actiones & laudes tibi pro his debentur? O quàm ſalutare ac utile conſilium tuum, cùm iſtud inſtituiſti? quàm ſuave, atque jucundum convivium cùm teipſum in cibum donaſti? O quàm admirabilis operatio tua, Domine ; quàm potens virtus, quàm ineffabilis veritas tua? *Dixiſti* enim, *& facta ſunt omnia :* & hoc factum eſt quod ipſe juſſiſti. *Gen. 1. & Pſal. 148.*

5. Mira res & fide digna, ac humanum vincens intellectum ; quòd tu, Domine Deus meus, verus Deus & homo, ſub modica ſpecie panis & vini integer continéris : & ſine conſumptione à ſumente manducaris. Tu Dominus univerſorum, qui nullius habes indigentiam, voluiſti per Sacramentum tuum habitare in nobis ; conſerva cor meum & corpus immaculatum : ut lætâ & purâ conſcientiâ ſæpiùs valeam tua celebrare myſteria ; & ad meam perpetuam accipere ſalutem : quæ ad tuum præcipuè honorem, & memoriale perenne ſanxiſti & inſtituiſti.

6. Lætare anima mea ; & gratias age Deo pro tam nobili munere,

& ſolatio ſingulari : in hac lacrymarum valle tibi relicto. Nam quoties hoc myſterium recolis, & Chriſti corpus accipis ˥ toties tuæ redemptionis opus agis : & particeps omnium meritorum Chriſti efficeris. Charitas etenim Chriſti nunquam minuitur : & magnitudo propitiationis ejus nunquam exhauritur. Ideò nova ſemper mentis renovatione ad hoc diſponere te debes : & magnæ ſalutis myſterium attentâ conconſideratione penſare. Ita magnum, novum, & jucundum tibi videri debet cùm celebras, aut Miſſam audis ˥ ac ſi eodem die Chriſtus primùm in uterum Virginis deſcendens homo factus eſſet : aut in cruce pendens pro ſalute hominum pateretur & moreretur.

Quod multa bona præſtantur, devotè communicantibus. Ibidem, Capite 4.

Pſal.20. 3. 1. DOMINE Deus meus, *preveni ſervum tuum in benedictionibus dulcedinis tua :* ut ad tuum magnificum Sacramentum dignè ac devotè merear accedere. Excita cor meum in te : & à gravi torpore exue me. Viſita me in ſalutari tuo, ad guſtandum in ſpiritu tuam ſuavitatem : quæ in hoc Sacramento tanquam in fonte plenariè ſcatet. Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum myſterium : & ad credendum illud indubitatâ fide me robora. Eſt enim operatio tua, non humana potentia : tua ſacra inſtitutio, non hominis adinventio. Non enim ad hæc capienda & intelligenda aliquis idoneus per ſe reperitur : quæ Angelicam etiam ſubtilitatem tranſcendunt. Quid ergò ego peccator indignus, terra & cinis ˥ de tam alto Sacramento inveſtigare potero & capere?

2. Domine in ſimplicitate cordis, in bona & firma fide ˥ atque in tua juſſione ad te cum ſpe ac reverentia accedo : & verè credo, quia tu præſens es hîc in Sacramento, Deus & homo. Vis ergò ut te ſuſcipiam, & meipſum tibi in charitate uniam. Unde tuam precor clementiam, & ſpecialem ad hoc imploro mihi donari gratiam ˥ ut totus in te liqueſiam, & amore pereffluam : atque de nulla conſolatione alia me ampliùs intromittam. Eſt enim hoc altiſſimum & digniſſimum Sacramentum ſalus animæ & corporis, medicina omnis ſpiritualis languoris ˥ in quo vitia mea curantur, paſſiones frænantur, tentationes vincuntur & minuuntur : gratia major infunditur, virtus incœpta augetur, firmatur fides, ſpes roboratur, & charitas igneſcit & dilatatur.

3. Multa namque bona largitus es, & adhuc ſæpius largiris in hoc Sacramento dilectis tuis devotè communicantibus, Deus meus, ſuſceptor animæ meæ ˥ reparator infirmitatis humanæ : & totius dator conſolationis æternæ. Nam multam ipſis conſolationem adverſus variam tribulationem infundis ˥ & de imo dejectionis propriæ ad ſpem tuæ

protectionis erigis : atque nova quadam gratia eos intùs recreas & illuſtras ⁊ ut qui anxij primùm & ſine affectione ſe ante Communionem ſenſerant : poſteà refecti cibo, potúque cæleſti in melius ſe mutatos inveniant. Quod idcircò cum electis tuis ita diſpenſanter agis ⁊ [*Non ſemper animam ſenſibiliter afficiendo; ſed ei novas vires & robur infundendo.*] Ut veraciter agnoſcant, & patenter experiantur: quàm nihil ex ſemetipſis habeant, & quid bonitatis ac gratiæ ex te conſequantur. Quia ex ſemetipſis frigidi, duri ac indevoti ⁊ ex te autem ferventes: alacres & devoti eſſe merentur. Quis enim ad fontem ſuavitatis humiliter accedens non modicum ſuavitatis inde non reportat? aut quis juxta ignem copioſum ſtans non parum caloris inde non percipit? Et tu fons es ſemper plenus, & ſuperabundans: ignis jugiter ardens, & nunquam deficiens.

4. Unde ſi mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec uſque ad ſatietatem potare ⁊ apponam tamen os meum ad foramen cæleſtis fiſtulæ : ut ſaltem inde guttulam modicam capiam ad refocillandam ſitim meam, ut non penitùs exardeſcam. Et ſi necdum totus cæleſtis, & tam ignitus ut Cherubim & Seraphim eſſe poſſum ⁊ conabor tamen devotioni inſiſtere, & cor meum præparare : ut vel modicam divini incendij flammam ex humili ſumptione vivifici Sacramenti conquiram. Quidquid autem mihi deeſt, bone Jesu, Salvator ſanctiſſime ⁊ tu pro me ſupple benignè ac gratioſè, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens : *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos* *Mat.11.28.*

5. Ego quidem laboro in ſudore vultus mei ⁊ dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor ⁊ multis malis paſſionibus implicor & premor: & non eſt qui adjuvet, non eſt qui liberet & ſalvum faciat, niſi tu Domine Deus, Salvator meus ⁊ cui committo me & omnia mea : ut me cuſtodias & perducas in vitam æternam. Suſcipe me in laudem & gloriam nominis tui : qui corpus tuum & ſanguinem in cibum & potum mihi paraſti. *Præſta Domine Deus, ſalutaris meus ⁊ ut cum frequentatione myſterij tui: creſcat mea devotionis affectus.* *Oratio Eccleſiæ.*

De dignitate Sacramenti & ſtatu Sacerdotij. Ibidem, Capite 5.

Salvator.

1. SI haberes Angelicam puritatem ⁊ & ſancti Joannis Baptiſtæ ſanctitatem : non eſſes dignus hoc Sacramentum accipere vel tractare. Non enim hoc debetur meritis hominum, quòd homo conſecret & tractet Chriſti Sacramentum : ut ſumat in cibum panem Angelorum. Grande myſterium, & magna dignitas Sacerdotum : quibus datum eſt

quod Angelis non eſt conceſſum. Soli namque Sacerdotes in Eccleſia ritè ordinati poteſtatem habent celebrandi : & Corpus Chriſti conſecrandi. Sacerdos quidem miniſter eſt Dei : utens verbo Dei per juſſionem & inſtitutionem Dei. Deus autem ibi principalis eſt auctor ˥ & inviſibilis operator : cui ſubeſt omne quod voluerit, & paret omne quod juſſerit.

2. Plus ergò credere debes Deo omnipotenti in hoc excellentiſſimo Sacramento : quàm proprio ſenſui, aut alicui ſigno viſibili. Ideóque cum timore & reverentia ad hoc opus eſt accedendum. Attende igitur, & vide cujus miniſterium tibi traditum eſt : per impoſitionem manus Epiſcopi. Ecce Sacerdos factus es, & ad celebrandum conſecratus ˥ vide nunc ut fideliter & devotè in ſuo tempore Deo ſacrificium offeras : & te ipſum irreprehenſibilem exhibeas. Non alleviaſti onus tuum ˥ ſed arctiori jam alligatus es vinculo diſciplinæ : & ad majorem teneris perfectionem ſanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet eſſe ornatus : & aliis bonæ vitæ exemplum præbere. Ejus converſatio non cum popularibus, & communibus hominum viis ˥ ſed cum Angelis in cælo : aut cum perfectis viris in terra.

3. Sacerdos ſacris veſtibus indutus Chriſti vices gerit, ut Deum pro ſe ac pro omni populo ſuppliciter & humiliter roget. Habet ante ſe & retrò Dominicæ Crucis ſignum : ad memorandam jugiter Chriſti paſſionem. Ante ſe crucem in caſula portat ˥ ut Chriſti veſtigia diligenter inſpiciat : & ſequi ferventer ſtudeat. Poſt ſe crucè ſignatus eſt : ut adverſa quælibet illata ab aliis clementer pro Deo toleret. Ante ſe crucem gerit, ut propria peccata lugeat ˥ poſt ſe, ut aliorum etiam commiſſa per compaſſionem defleat : & ſe medium inter Deum & peccatores conſtitutum eſſe ſciat. Nec ab oratione, nec ab oblatione ſancta torpeſcat : donec gratiam & miſericordiam impetrare mereatur. Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat ˥ Angelos lætificat ˥ Eccleſiam ædificat ˥ vivos adjuvat ˥ defunctis requiem præſtat : & ſeſe omnium bonorum participem efficit.

LECTIO VIGESIMA OCTAVA.

Qualiter communicandum eſt: & de exercitiis ante S. Communionem faciendis. Quod ſicut Chriſtus totum ſe nobis tribuit; ita & nos debemus plenè nos ei dare abſque ulla exceptione. Quomodo ante S. Communionem debemus nos præparare; & poſt receptam nobis attendere.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

P*Robet autem ſeipſum homo* ⸵ *& ſic de Pane illo edat: & de Calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè* ⸵ *judicium ſibi manducat & bibit: non dijudicans Corpus Domini.* Epiſt. 1. ad Cor. cap. 11. verſ. 28.

Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quod autem nunc vivo in carne ⸵ *in fide vivo Filij Dei: qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Epiſt. ad Gal. cap. 2. verſ. 20.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura; flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Joan. cap. 7. v. 37.

Habes in verbis iſtis 1. Quid agere debeas: ut ad hoc Charitatis myſterium convenienter accedas. 2. Quæ in eo dona requirenda & expectanda ſint ſecundum ſpiritum. 3. Nihil eſſe in hoc myſterio quod ſpiritus & vita non ſit. Sed uterque Doctor ea ſigillatim ac practicè ſtatim demonſtrabit.

Ex Introductione Libro 2. cap. 21. Quomodo communicandum ſit.

JAm inde à præcedente veſpera, ad ſanctam communionem te præparare incipe ⸵ idque per multas aſpirationes, & amantis animi ſuſpiria, paulò citiùs dormitum concedens: ut citiùs & tempeſtiviùs poſſis ſurgere. Si fortè ea nocte expergiſceris ⸵ ſtatim ſpiritum & os tuum verbis quibuſdam devotis ac piis adimple: quibus anima tua ceu odoramentis quibuſdam perfundatur, ad ſponſum ſuum admittendum. Qui te dormiente vigilans ⸵ ſexcentas tibi gratias & chariſmata dare paratus eſt: dummodò tu à parte tua ad eaſdem recipiendas diſpoſita ſis. Manè ſumma cum animi hilaritate & gaudio ſurgito, quòd maximum bonum & beneficium hodiè ſis acceptura ⸵ & ſacrâ confeſſione præ-

miſſâ, magnâ quadam fiduciâ, ſimul & magnâ cum animi humilitate ad cæleſtem hunc cibum, qui ad immortalitatem te nutrit: ſumendum accede. Et poſtquam, jam ſacra illa verba *Domine non ſum dignus*, dixeris: caput aut labia, vel ad orandum, vel ad ſuſpiria ducenda, ampliùs non movebis. Sed ore modeſtè ac modicè diducto & capite tantùm quantùm neceſſe eſt elevato, ut Sacerdos commodè videat quid agat: plenâ fide, ſpe & charitate, recipe illum, quem, in quem, per quem & propter quem credis, ſperas, & diligis. Conſidera, Philothea, ſicut apis, poſtquam rorem cæleſtem, & præſtantiſſimum terræ ſuccum jam è floribus collegit; & in mel redegit: ipſum in alveare ſuum invehit. Ita Sacerdotem poſtquam mundi Salvatorem, verum Dei filium, qui inſtar roris cælo deſcendit; & verum Virginis filium, qui floris in morem ex humanitatis noſtræ terra prodiit, ex Altari accepit: illum velut cibum ſuaviſſimum in os & intra corpus tuum inducere. Poſtquam illum jam recepiſti; cor tuum ad Regi huic ſalutari obſequium deferendum excita: & cum illo de rebus ad animam tuam ſpectantibus tracta; cúmque intra teipſam conſidera: quò ut tibi benefaceret, ſeſe recepit. Denique quam poteris intimè & amiciſſimè eum excipe & tracta; itáque te gere: ut ex omnibus actionibus tuis evidenter appareat & cognoſcatur, Deum cæli in te commorari.

Verùm cùm realiter in Miſſa non poteris communicare; ſaltem ſpiritualiter & affectu communica: ardenti quodam deſiderio vivificæ huic Salvatoris carni te uniens & conjungens.

Non alia autem tua in communicando intentio eſſe debet; quam ut te in amore Dei promoveas, corrobores, & conſoleris: ex amore quippe recipias oportet, quod ſolus amor fecit ut haberes. Neque enim conſiderari Salvator in amoroſiore & teneriore actu poteſt, quam eſt hîc: in quo ſe (ut ita dicam) annihilat & in cibum convertit, quo in animas noſtras penitùs ſe inſinuet & penetret, & cordibus corporibúſque fidelium ſuorum intimè uniat.

Si quis mundanorum te roget, cur toties ſacram communionem adeas; reſponde te idcircò facere, ut Deum amare diſcas: te ab imperfectionibus tuis expurges; à miſeriis liberes, in afflictionibus conſolationem invenias: in debilitatibus & fragilitatibus fulcimentum. Dicito: duo hominum genera ſæpiùs ſacras has epulas adire debere. Primò perfectos; cùm enim hi benè diſpoſiti ſint: certè malè agerent, ſi ad perfectionis fontem & originem minimè accederent. Deinde imperfectos: ut ſic cum ratione ad perfectionem aſpirent & pertingant. Fortes quidem, ne debiles reddantur; debiles verò, ut fortes evadant: ægros ut ſanentur, ſanos, ne in ægritudinem aliquam incidant. Te verò, ut imperfectam, debilem & ægram: ſæpiùs cum Reparatore, robore, & medico tuo communicare oportere. Reſponde quoque, illos, qui pauca à mundanis negotiis impedimenta habent; ſæpius certè

communionem

communionem ſacram debere frequentare : quòd magna ad hoc illis ſuppetat commoditas. Eos verò qui pluribus negotiis implicantur ; quòd eâ maximè opùs habeant: & quòd illum qui multùm laborat, & variis doloribus opprimitur, cibos ſolidos, & quidem frequenter, comedere oporteat. Dic : ideò te Sacroſanctum Sacramentum recipere, ut benè recipere diſcas & aſſueſcas. Neque enim benè & prout oportet opus aliquod fieri poteſt : niſi quis illud ſæpiùs exerceat.

Sæpè ergò, mea Philothea, communica ; & quàm potes ſæpiſſimè : idque ſuaſu & concilio Confeſſarij tui. Et mihi crede ; ſicuti lepores in montibus noſtris hyberno tempore albeſcunt, quòd præter nivem nihil videant aut comedant : ita tu, pulchritudinem, bonitatem & puritatem ipſam in divino hoc Sacramento ſæpius adorando & comedendo, tota pulchra, bona & pura evades.

Interrogatio de exercitio ante Communionem. Libro 4. de Imitatione, Capite 6.

Discipulus.

1. Cum tuam dignitatem, Domine, & meam vilitatem penſo ; valdè contremiſco : & in meipſo confundor. Si enim non accedo, vitam fugio ; & ſi indignè me ingeſſero : offenſam incurro. Quid ergò faciam, Deus meus, auxiliator meus, & conſiliator in neceſſitatibus?

2. Tu doce me viam rectam : propone breve aliquod exercitium ſacræ Communioni congruum. Utile eſt enim ſcire qualiter, ſcilicet devotè, ac reverenter tibi præparare debeam cor meum ad recipiendum ſalubriter tuum Sacramentum : ſeu etiam celebrandum tam magnum & divinum Sacrificium.

Primam Chriſti ad hanc interrogationem reſponſionem habes ſuprà Lectione 25. ; quâ præ cæteris, conſcientiam diſcutiendam, & emendationis propoſitum concipiendum eſſe edocéris ; ſed & alia eximia reſponſa hic ſubjiciuntur.

De Oblatione Chriſti in Cruce & propria reſignatione. Ibidem, Capite 8.

Salvator.

1. Sicut ego meipſum expanſis in cruce manibus, & nudo corpore pro peccatis tuis Deo Patri ſponte obtuli ; ita ut nihil in me remaneret, quin totum in ſacrificium divinæ placationis tranſierit : ita debes & tu temetipſum mihi voluntariè in oblationem puram & ſanctam quotidiè in Miſſa, cum omnibus viribus & affectibus tuis, quantò

intimiùs vales, offerre. Quid magis à te requiro, quàm ut te ſtudeas mihi ex integro reſignare? Quidquid præter temetipſum das, nihil curo: quia non quæro datum tuum, ſed te.

2. Sicut non ſufficeret tibi omnibus habitis præter me: ita nec mihi placere poterit quidquid dederis, te non oblato. Offer te mihi, & da te totum pro Deo: & erit accepta oblatio. Ecce ego me totum obtuli Patri pro te. Dedi etiam totum corpus meum in cibum, & ſanguinem in potum: ut totus tuus eſſem, & tu meus permaneres. Si autem in teipſo ſteteris ⸵ nec ſponte te ad voluntatem meam obtuleris: non eſt plena oblatio, nec integra erit inter nos unio. Ideò omnia opera tua præcedere debet ſpontanea tuiipſius in manus Dei oblatio: ſi libertatem conſequi vis & gratiam. Ideò enim tam pauci illuminati & liberi intùs efficiuntur: quia ſe ipſos ex toto abnegare neſciunt. Eſt firma ſententia mea ⸵ Niſi quis renunciaverit omnibus: non poteſt meus eſſe diſcipulus. Tu ergò ſi optas meus eſſe diſcipulus: offer teipſum mihi cum omnibus affectibus tuis.

Luc. 14. 33.

Quòd magna diligentia ſe debeat communicaturus Chriſto præparare. Ibidem, *capite* 12.

1. Ego ſum puritatis amator, & dator ſanctitatis. Ego cor purum quæro: & ibi eſt locus requietionis meæ. Para mihi cœnaculum grande ſtratum: & *faciam apud te paſcha cum Diſcipulis meis.* Si vis ut veniam ad te, atque apud te maneam ⸵ expurga vetus fermentum: & munda cordis tui habitaculum. Exclude totum ſæculum; & omnem vitiorum tumultum ⸵ ſede *tanquam paſſer ſolitarius in tecto*: & cogita exceſſus tuos *in amaritudine animæ* tuæ. Omnis namque amans ſuo dilecto amatori optimum & pulcherrimum præparat locum: quia in hoc cognoſcitur affectus ſuſcipientis dilectum.

Mar. 14. 15 *& Luc.* 22. 12. 1. *Cor.* 5. 7. *Pſ.* 101. 8. *Iſai.* 38. 15.

2. Scito tamen te non poſſe ſatisfacere huic præparationi ex merito tuæ actionis ⸵ etiamſi per annum integrum te præparares: & nihil aliud in mente haberes. Sed ex ſola pietate & gratia mea permitteris ad menſam meam accedere ⸵ ac ſi mendicus ad prandium vocetur divitis: & ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficiis ejus, niſi ſe humiliare, & regratiari. Fac quod in te eſt, & diligenter facito ⸵ non ex conſuetudine, non ex neceſſitate: ſed cum timore, cum reverentia & affectu accipe corpus dilecti Domini Dei tui dignantis ad te venire. Ego ſum qui te vocavi, ego ſum qui juſſi fieri ⸵ ego ſupplebo quod tibi deeſt: veni, & ſuſcipe me.

3. Cùm gratiam devotionis tribuo, gratias age Deo tuo: non quia dignus es, ſed quia tui miſertus ſum. [*Hæc attentiùs obſerva ⸵ & memento intentiones tuas purgandas eſſe; & Ieſum quærendum propter ſe, &*

non pro tua propria conſolatione. Et ideò perfectiùs ages; ſi in ariditate conſtitutus gratiam interiùs roborantem, & ad omnia propter Deum fortiter ſuſtinenda animamem ab ipſo poſtules; quàm ſenſibilem gratiæ motum & conſolationem.] Si non habes fervorem, ſed magis aridum te ſentis; inſiſte orationi, ingemiſce & pulſa: ne deſiſtas donec merearis micam aut guttam gratiæ ſalutaris accipere. Tu mei indiges, non tui ego indigeo. Nec tu me ſanctificare venis: ſed ego te ſanctificare ac meliorare venio. Tu venis ut ex me ſanctificeris, & mihi uniaris; ut novam gratiam recipias: & de novo ad emendationem accendaris. Noli negligere hanc gratiam; ſemper præpara cum omni diligentia cor tuum: & introduc ad te dilectum tuum.

4. Oportet autem ut non ſolùm præpares te ad devotionem ante Communionem: ſed ut etiam te ſollicitè conſerves in ea poſt Sacramenti perceptionem. Nec minor cuſtodia pòſt exigitur: quam antè devota præparatio. Nam bona poſtmodùm cuſtodia: optima iterum eſt præparatio ad majorem gratiam conſequendam. Ex eo quippè valdè indiſpoſitus quis redditur: ſi ſtatim fuerit nimis effuſus ad exteriora ſolatia. Cave à multiloquio; mane in ſecreto: & fruere Deo tuo. Ipſum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non poteſt. Ego ſum cui te totum dare debes; ita ut jam ultrà non in te: ſed in me abſque omni ſolicitudine vivas.

LECTIO VIGESIMA NONA.

Quòd animæ devotæ optandum ſit toto corde perfectè cum Chriſto uniri in ſacra Communione; & de quorumdam devotorum deſiderio ad Corpus Chriſti: & quòd gratia devotionis humilitate ac ſuiipſius abnegatione acquiritur.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

QUid enim mihi eſt in cælo; & à te quid volui ſuper terram? defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Pſalm. 72. v. 25.

Mihi enim vivere Chriſtus eſt: & mori lucrum. Epiſt. ad Philip. cap. 1. verſ. 21.

An putatis quia inaniter Scriptura dicat; ad invidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis? majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit; Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. Epiſt. Jacobi, cap. 4. verſ. 5.

Hæc verba edocent 1. Quales ſint affectus animæ: quæ cunctis penitùs renunciare ac ſoli Deo uniri deſiderat. 2. Quos effectus in anima vitæ Chriſti communicatio producat. 3. Denuum quòd addiſcendum ſit Deum unicè amare & humilem eſſe; ſi volumus ab eo amari & ejus lumine illuſtrari. De iſtis mira tibi dicturus eſt Magiſter Imitationis.

Quòd toto corde anima devota, Chriſti unionem in Sacramento affectare debet. Lib. 4. de Imitat. cap. 13.

Discipulus.

1. QUis mihi det, Domine, ut inveniam te ſolum, & aperiam tibi totum cor meum ˥ & fruar te ſicut deſiderat anima mea: & jam me nemo deſpiciat, nec ulla creatura me moveat, vel reſpiciat ˥ ſed tu ſolus mihi loquaris, & ego tibi, ſicut ſolet dilectus ad dilectum loqui, & amicus cum amico convivari? Hoc oro, hoc deſidero ˥ ut tibi totus uniar, & cor meum ab omnibus creatis rebus abſtraham: magiſque per Sacram Communionem, vel frequentem celebrationem cæleſtia & æterna ſapere diſcam. Ah Domine Deus, quando ero tecum totus unitus & abſorptus, meique totaliter oblitus? Tu in me, & ego in te: & ſic nos pariter in unum manere concede.

Cant. 5. 10. 2. Verè tu es dilectus meus; *electus ex millibus* ˥ in quo complacuit animæ meæ: habitare omnibus diebus vitæ ſuæ. Verè tu pacificus meus ˥ in quo pax ſumma & requies vera: extra quem labor & dolor,
Pro. 3. 15. & infinita miſeria. *Verè tu es Deus abſconditus ˥ & conſilium tuum non*
Iob. 21. 16. *eſt cum impiis:* ſed cum humilibus, *& ſimplicibus ſermo tuus.* O quàm ſuavis eſt ſpiritus tuus, Domine ˥ qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares: pane ſuaviſſimo, de cælo deſcendente, illos reficere digna-
Deut. 4. 7. ris. *Verè non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut tu Deus noſter ades* univerſis fidelibus tuis ˥ quibus ad quotidianum ſolatium, & cor erigendum in cælum: te tribuis ad edendum & fruendum.

3. Quæ eſt enim alia gens tam inclyta ſicut plebs Chriſtiana? Aut quæ creatura ſub cælo tam dilecta ut anima devota, ad quam ingreditur Deus ut paſcat eam carne ſua glorioſa? O ineffabilis gratia ˥ ô admirabilis dignatio ˥ ô amor immenſus homini ſingulariter impenſus? Sed quid retribuam Domino pro gratia iſta, pro charitate tam eximia? Non eſt aliud quod gratius donare queam, quàm ut cor meum Deo meo totaliter tribuam & intimè conjungam. Tunc exultabunt omnia interiora mea: cùm perfectè fuerit unita Deo anima mea. Tunc dicet mihi ˥ ſi tu vis eſſe mecum: ego volo eſſe tecum. Et ego reſpondebo illi ˥ dignare, Domine, manere mecum: ego volo libenter eſſe tecum.

Hoc eſt totum deſiderium meum: ut cor meum tibi ſit unitum.]

De quorumdam devotorum ardenti deſiderio ad Corpus Chriſti. Ibidem, Capite 14.

1. O Quam *magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* [*His & ſimilibus verbis indignitatem ac vilitatem tuam: coram Deo potes confiteri. Verum humiliter & tranquillè id agendum eſt; nulloque modo ſe concedendo vehementiori zelo qui tunc facilè concitatur; nec aliud eſt in ſe quàm iræ motus ſpirituali prætextu coloratus.*] Quando recordor devotorum aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum devotione maxima, & affectu accedentium ⁊ tunc ſæpius in meipſo confundor & erubeſco: quòd ad Altare tuum, & Sacræ Communionis menſam tàm tepidè & frigidè accedo. Quod ita aridus & ſine affectione cordis maneo ⁊ quòd non ſum totaliter accenſus coram te Deo meo: nec ita vehementer attractus & affectus, ſicut multi devoti fuerunt. Qui præ nimio deſiderio Communionis, & ſenſibili cordis amore à fletu ſe non potuerunt abſtinere. [*Hæc omnia operatur in anima ſenſibilis gratiæ motus ⁊ quam quidem cum reſignatione ad Dei beneplacitum deſiderare poſſumus; non verò per violentas excitationes in nobis velle producere aut à Deo ad libitum impetrare. Cùm ſæpiùs nos purgare ac probare velit in camino paupertatis & humiliationis.*] Sed ore cordis & corporis pariter ad te Deum fontem vivum medullitùs inhiabant ⁊ ſuam eſuriem non valentes aliter temperare, nec ſatiare: niſi corpus tuum cum omni jucunditate & ſpirituali aviditate accepiſſent. *Pſa. 30. 20.*

2. O verè ardens fides eorum: probabile exiſtens argumentum ſacræ præſentiæ tuæ. Iſti enim veraciter cognoſcunt Dominum ſuum in fractione panis: quorum cor tam validè ardet in eis, de Jesu ambulante cum eis. Longè eſt à me ſæpe talis affectus & devotio: tam vehemens amor & ardor. Eſto mihi propitius, Jesu bone, dulcis & benigne ⁊ & concede pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in ſacra Communione ſentire: & fides mea magis convaleſcat ⁊ ſpes in bonitate tua proficiat: & charitas ſemel perfectè accenſa, & cæleſte manna experta nunquam deficiat.

3. Potens eſt autem miſericordia tua etiam gratiam deſideratam mihi præſtare ⁊ & in ſpiritu ardoris cùm dies beneplaciti tui advenerit: me clementiſſimè viſitare. Etenim licèt tanto deſiderio tam ſpecialium devotorum tuorum non ardeo ⁊ tamen de gratia tua illius magis inflammati deſiderij deſiderium habeo: orans & deſiderans omnium talium fervidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum ſancto conſortio annumerari.

Quòd gratia devotionis, humilitate ac ſuiipſius abnegatione acquiritur. Ibidem, cap. 15.

1. OPortet te devotionis gratiam inſtanter quærere ˥ deſideranter petere, patienter & fiducialiter expectare ˥ gratanter recipere, humiliter conſervare ˥ ſtudioſè cum ea operari: ac Deo tempus & modum ſupernæ viſitationis donec veniat, committere. [*Hinc diſce neceſſitatem ſtudioſè cooperandi gratiæ Dei ˥ quantáque cum animi reſignatione debeas expectare ejus viſitationes; quæ ſenſibili modo animam afficiunt ſicut ſuprà dictum eſt.*] Humiliare præcipuè te debes cùm parùm aut nihil devotionis interiùs ſentis ˥ ſed non nimiùm dejici: nec inordinatè contriſtari. Dat ſæpè Deus in uno brevi momento quod longò negavit tempore. Dat quandoque in fine: quod in principio orationis diſtulit dare.

2. Si ſemper citò gratia daretur ˥ & pro voto adeſſet: non eſſet infirmo homini benè portabile. Propterea in bona ſpe ac humili patientia expectanda eſt devotionis gratia. Tibi tamen, & peccatis tuis imputa cùm non datur: vel etiam occultè tollitur. Modicum quandoque eſt quod gratiam impedit & abſcondit ˥ ſi tamen modicum & non potiùs grande dici debeat: quod tantum bonum prohibet. Et ſi hoc ipſum grande vel modicum amóveris ˥ & perfectè viceris: erit quod petiſti.

3. Statim namque ut te Deo ex toto corde tradideris ˥ neque hoc, vel illud pro tuo libitu, ſeu velle quæſieris ˥ ſed integrè te in ipſo poſueris ˥ unitum te invenies & pacatum: quia nihil ita bene ſapiet & placebit: ſicut beneplacitum divinæ voluntatis. [*Hæc ita intelligenda ſunt; ut nec pugnæ, nec interiores privationes excludantur ˥ quibus homines toto vitæ decurſu ex divinæ Providentiæ diſpoſitione ſubjacent ad humilitatem in eis conſervandam & augendam; & ad arctiorem ſui cuſtodiam obſervandam, ut alibi paſſim piiſſimus Magiſter edocet.*] Quiſquis ergò intentionem ſuam ſimplici corde ſursùm ad Deum levaverit ˥ ſéque ab omni inordinato amore, ſeu diſplicentia cujuſlibet rei creatæ evacuaverit: aptiſſimus gratiæ percipiendæ, ac dignus erit munere devotionis. [*Hæc quidem omnia te diſponent ad hujuſcemodi gratiam excipiendam cum Deus voluerit ˥ ſed non ad eam perpetuò poſſidendam; nec ad ejus conſolationes abſque intermiſſione deguſtandas. Has enim Deus prout vult largitur aut ſubtrahit.*] Dat enim Dominus ibi benedictionem ſuam: ubi vaſa vacua invenerit. Et quantò perfectiùs infimis quis renunciaverit, & magis ſibiipſi per contemptum ſui moritur ˥ tantò gratia celeriùs venit: copioſiùs intrat, & altiùs liberum cor elevat.

4. Tunc videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor ejus in

ipſo ; quia manus Domini cum eo : & ipſe ſe poſuit totaliter in manu ejus uſque in ſeculum. Ecce ſic benedicetur homo qui quærit Deum in toto corde ſuo : nec in vanum accipit animam ſuam. Hic in accipiendo Sacram Euchariſtiam, magnam promeretur divinæ unionis gratiam ; quia non reſpicit ad propriam devotionem & conſolationem : ſed ad Dei gloriam & honorem.

LECTIO TRIGESIMA.

Quòd neceſſitates noſtras Chriſto aperire, & ejus gratiam poſtulare debemus. De ardenti amore & vehementi affectu ſuſcipiendi Chriſtum ; & quòd homo non ſit curioſus ſcrutator Sacramenti ; ſed ſenſum ſuum ſacræ fidei ſubmittat.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

N*Ihil ſolliciti ſitis ; ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione : petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Epiſt. ad Philip. cap. 4. v. 6.

Quis ergò nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sicut Scriptum eſt : quia propter te mortificamur tota die ; æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis : ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita ; neque Angeli ; neque principatus ; neque virtutes ; neque inſtantia ; neque futura ; neque fortitudo ; neque altitudo ; neque profundum ; neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei : quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Epiſt. ad Rom. cap. 8. verſ. 35.

Qui ſcrutator eſt Majeſtatis : opprimetur à gloria. Proverb. cap. 25. verſ. 27.

Hæc verba docent 1. Quantâ fiduciâ debeas in omni caſu neceſſitates tuas Deo exponere : ejúſque auxilium implorare. 2. Ibi vides ſecuritatem interiorem, quam charitas & charitatis fiducia piis animabus tribuit : quando Deum unicè quærunt & illius Sacrâ unione honorari expetunt. 3. Ac demùm animi curioſitatem eſſe comprimendam : ne ſcrutator Majeſtatis opprimatur à gloria. Sed ut ea in praxim, ut par eſt, reducas : ſectare documenta quæ tibi traditurus eſt Doctor Imitationis.

Quòd neceſſitates noſtras Chriſto aperire & ejus gratiam poſtulare debemus. Lib. 4. de Imitatione, cap. 16.

DISCIPULUS.

1. O Dulciſſime atque amantiſſime Domine, quem nunc devotè deſidero ſuſcipere: tu ſcis infirmitatem meam & neceſſitatem meam, quam patior: in quantis malis & vitiis jaceo: quàm ſæpe ſum gravatus: tentatus, turbatus & inquinatus. Pro remedio ad te venio: pro conſolatione, & levamine te deprecor. Ad omnia ſcientem loquor: cui manifeſta ſunt omnia interiora mea: & qui ſolus potes me perfectè conſolari & adjuvare. Tu ſcis quibus bonis indigeo præ omnibus: & quàm pauper ſum in virtutibus.

2. Ecce ſto ante te pauper & nudus gratiam poſtulans: & miſericordiam implorans. Refice eſurientem mendicum tuum: accende frigiditatem meam igne amoris tui: illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem: omnia gravia & contraria in patientiam: omnia infima & creata in contemptum & oblivionem. Erige cor meum ad te in cælum: & ne dimittas me vagari ſuper terram. Tu ſolus mihi ex hoc jam dulceſcas uſque in ſeculum: quia tu ſolus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum: dulcedo mea & totum bonum meum.

3. Utinam me totaliter ex tua præſentia accendas: comburas, & in te tranſmutes: & unus tecum efficiar ſpiritus per gratiam internæ unionis, & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me jejunum & aridum à te recedere: ſed operare mecum miſericorditer: ſicut ſæpiùs operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum ſi totus ex te igneſcerem, & in meipſo deficerem: cùm tu ſis ignis ſemper ardens & nunquam deficiens, amor corda purificans, & intellectum illuminans?

De ardenti amore & vehementi affectu ſuſcipiendi Chriſtum. Ibidem, cap. 17.

1. CUm ſumma devotione, & ardenti amore: cum toto cordis affectu & fervore deſidero te, Domine, ſuſcipere: quemadmodum multi Sancti & devotæ perſonæ in communicando te deſideraverunt, qui tibi maximè in ſanctitate vitæ placuerunt, & in ardentiſſima devotione fuerunt. O Deus meus, amor æternus: totum bonum meum, felicitas interminabilis: cupio te ſuſcipere cum vehementiſſimo deſiderio, & digniſſima reverentia: quàm aliquis Sanctorum unquam habuit & ſentire potuit.

2. Et

2. Et licet indignus ſim omnia illa ſentimenta devotionis habere ˥ tamen offero tibi totum cordis mei affectum: ac ſi omnia illa gratiſſimè inflammata deſideria ſolus haberem. Sed & quæcumque poteſt pia mens concipere & deſiderare ˥ hæc omnia tibi cum ſumma veneratione: & intimo fervore præbeo & offero. Nihil opto mihi reſervare: ſed me & omnia mea tibi ſponte ac libentiſſimè immolare. Domine Deus meus, creator meus & Redemptor meus ˥ cum tali affectu, reverentia, laude & honore ˥ cum tali gratitudine, dignitate & puritate ˥ cum tali fide, ſpe, & charitate affecto te hodie ſuſcipere: ſicut te ſuſcepit & deſideravit ſanctiſſima mater tua glorioſa Virgo MARIA ˥ quando Angelo Evangelizanti ſibi Incarnationis Myſterium humiliter ac devotè reſpondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

3. Et ſicut beatus Præcurſor tuus ˥ excellentiſſimus Sanctorum Joannes Baptiſta in præſentia tua lætabundus exultavit in gaudio Spiritûs Sancti: dum adhuc maternis clauderetur viſceribus. Et poſtmodùm cernens juxta mare JESUM ambulantem ˥ valdè ſe humilians devoto cum affectu dicebat: *Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum,* *Ioan. 3. 29* *gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Sic & ego magnis & ſacris deſideriis opto inflammari: & tibi ex toto corde meipſum præſentare. Unde & omnium devotorum cordium jubilationes ˥ ardentes affectus, mentales exceſſus ˥ ſupernaturales illuminationes, & cælicas viſiones tibi offero, & exhibeo: cum omnibus virtutibus & laudibus ab omni creatura in cælo & in terra celebratis & celebrandis ˥ pro me & omnibus mihi in oratione commendatis: quatenùs ab omnibus dignè lauderis, & in perpetuum glorificeris.

4. Accipe vota mea, Domine Deus meus ˥ & deſideria infinitæ laudationis, & immenſæ benedictionis: quæ tibi ſecundùm multitudinem ineffabilis magnitudinis tuæ jure debentur. Hæc tibi reddo, & reddere deſidero per ſingulos dies & momenta temporum ˥ atque ad reddendum mecum tibi gratias & laudes: omnes cæleſtes Spiritus, & cunctos fideles tuos, precibus & affectibus invito & exoro.

5. Laudent te univerſi populi, tribus & linguæ ˥ & ſanctum ac mellifluum nomen tuum cum ſumma jubilatione: & ardenti devotione magnificent. Et quicumque reverenter ac devotè altiſſimum Sacramentum tuum celebrant, & plena fide recipiunt ˥ gratiam & miſericordiam apud te invenire mereantur: & pro me peccatore ſuppliciter exorent. Cumque optata devotione, ac fruitiva unione potiti fuerint ˥ benè conſolati ac mirificè refecti de ſacra menſa cæleſti abſceſſerint: mei pauperis recordari dignentur.

Quòd homo non ſit curioſus ſcrutator Sacramenti, ſed humilis Imitator Chriſti ſubdendo ſenſum ſuum ſacræ fidei.
Ibidem, capite 18.

1. CAvendum eſt à curioſa, & inutili perſcrutatione hujus profundiſſimi Sacramenti : ſi non vis in dubitationis profundum ſub-
Prov. 25. mergi. *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria.* Plùs valet Deus operari : quam homo poſſit intelligere. Tolerabilis eſt, pia & humilis inquiſitio veritatis ˀ parata ſemper doceri : & per ſanas Patrum ſententias ſtudens ambulare.

2. Beata ſimplicitas, quæ difficiles quæſtionum relinquit vias : & planâ ac firmâ pergit ſemitâ mandatorum Dei. Multi devotionem perdiderunt : dùm altiora ſcrutari voluerunt. Fides à te exigitur & ſincera vita : non altitudo intellectûs, neque profunditas myſteriorum Dei. Si non intelligis, nec capis quæ infra te ſunt, quomodò comprehendes quæ ſupra te ſunt? ſubdere Deo ˀ & humilia ſenſum tuum [hdei] : & dabitur tibi ſcientiæ lumen prout tibi fuerit utile ac neceſſarium.

3. Quidam graviter tentantur de fide & Sacramento : ſed non eſt hoc ipſis imputandum, ſed inimico. Noli curare, noli diſputare cum cogitationibus tuis ˀ nec ad immiſſas à diabolo dubitationes reſponde : ſed crede verbis Dei, crede Sanctis ejus & Prophetis, & fugiet à te nequam inimicus. Sæpe multùm prodeſt quòd talia ſuſtineat Dei ſervus. [*Hinc igitur perſpicuum eſt ; Dei ſervum quantumlibet profecerit, ſemper tentationibus impugnandum fore.*] Nam infideles & peccatores non tentat, quos ſecurè jam poſſidet : fideles autem devotos variis modis tentat & vexat.

4. Ergò cum ſimplici & indubitata fide : & cum ſimplici reverentia ad Sacramentum accede. Et quidquid intelligere non vales : Deo omnipotenti ſecurè committe. Non fallit te Deus : fallitur qui ſibi nimiùm credit. Graditur Deus cum ſimplicibus ˀ revelat ſe humilibus ˀ dat intellectum parvulis ˀ aperit ſenſum puris mentibus : & abſcondit gratiam curioſis & ſuperbis. Ratio humana debilis eſt, & falli poteſt : fides autem vera falli non poteſt.

5. Omnis ratio & naturalis inveſtigatio fidem ſequi debet : non præcedere, nec infringere. Nam fides & amor ibi maximè præcellunt : & occultis modis in hoc ſanctiſſimo & ſuperexcellentiſſimo Sacramento operantur. Deus æternus & immenſus, infinitæque potentiæ ˀ facit magna & inſcrutabilia in cælo & in terra : nec eſt inveſtigatio mirabilium operum ejus. Si talia eſſent opera Dei, ut facilè ab humana ratione caperentur ˀ nec mirabilia eſſent : nec ineffabilia dicenda.

LECTIO TRIGESIMA PRIMA.

De electione in exercitio virtutum neceſſaria.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

INduite vos ergò ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ; benignitatem, humilitatem, mode,tiam, patientiam: ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam. Sicut Dominus donavit vobis: ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete; quod eſt vinculum perfectionis; & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore: & grati eſtote. Epiſt. ad Coloſ. cap 3. verſ. 12.

Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis; & operam detis ut quieti ſitis: & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis; & ut honeſtè ambuletis ad eos qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis. Epiſt. 1. ad Theſſ. cap. 4. v. 11.

Spiritum nolite extinguere; Prophetias nolite ſpernere; omnia autem probate: quod bonum eſt tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervetur. Fidelis eſt qui vocavit vos: qui etiam faciet. Epiſt. 1. ad Theſſ. cap. 5. veſ. 19.

Iuvenilia deſideria fuge; ſectare juſtitiam: Fidem, Charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. . . . ſervum Domini non oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes: docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati. Epiſt. 2. ad Timot. cap. 2. veſ. 22.

Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios: ut non ſint infructuoſi. Epiſt. ad Titum. cap. 3. v. 14.

Hæc ſacri Textûs verba Chriſtianarum virtutum ſummam continent; ſed ſanctus Doctor Introductionis eas exercendi modum & rationem dilucidè tibi explicaturus eſt: ſervatâ, ut aſſolet, in omnibus diſcretione & prudentiâ ſpiritûs & prout ſtatui ſingulorum convenit.

De electione in exercitio virtutum neceſſaria. Libro 3. Introductionis, Capite 1.

APum Rex nunquam foras provolat: niſi omni populo & ſubditis ſuis ſtipatus. Sic nunquam charitas animam alicujus ingreditur:

quin ſimul reliquarum virtutum ſatellitium & chorum ſecum trahat ; eas exercens & occupatas habens, perinde ac dux milites ſuos : quanquam eas non ſimul, nec æqualiter, nec omni tempore & loco exerceat & operi applicet. Juſtus quippè inſtar arboris eſt, ſecus decurſus aquarum plantatæ ; quæ fructum ſuum dat in tempore ſuo : quod charitas, animam quandam irrigans, varia virtutum opera, ſuo ſingula tempore, in ea producat. Muſica, ut dicitur in proverbiis quæ per ſe adeò recreat & grata eſt : in luctu tamen importuna eſt. Inſignis certè nonnullorum error eſt : qui, dum virtutem aliquam particularem exercere ſtudent ; ubique & quibuſvis in occaſionibus actus producere pervicaciter volunt : & uti priſci illi duo Philoſophi, aut ſemper flere, aut ſemper ridere cupiunt ; & quod pejus eſt : ſugillant & carpunt eos, qui, ſicut ipſi, eaſdem non ſemper virtutes exercent. Gaudendum eſt cum gaudentibus, & flendum cum flentibus, ut ſuadet Apoſtolus ; charitas item patiens eſt, benigna, liberalis, diſcreta : & omnibus ſe accommodat. [*Primum hic tibi diſpoſitionem deſignat quæ ad praxim & exercitia virtutum requiritur ; animi nempè flexibilitatem, quâ prout ratio & tempus exigunt, actiones varias exerceamur : ad inſtar ſymphoniſtæ qui cum ordine & menſura vocem inflectens ſuaviſſimam edit melodiam. Sed ſi in cantu eundem vocis tonum ſemper proferre vellet : omnibus ſe proculdubio onerosum redderet. Idem de virtutum exercitio ſentiendum eſt.*]

Aliquæ tamen ſunt virtutes, quarum uſus & exercitium propè univerſale eſt : & quæ actus ſuos non ſolùm ſeparatim & privatim exercere : ſed & per aliarum omnium virtutum actus qualitates ſuas diffundere debent. Neque enim fortitudinis, magnanimitatis, & magnificentiæ exercendæ ſæpe occaſio offertur ; at benignitas, temperantia, honeſtas & humilitas virtutes hujuſmodi ſunt : ut ab iis omnes & quælibet vitæ noſtræ actiones tingi & decorari debeant. Sunt quidem, fateor, virtutes quædam his multò excellentiores : uſus tamen illarum priorum magis neceſſarius eſt. Saccharum ſale quidem excellentius & præſtantius eſt : uſum tamen ſal frequentiorem & generaliorem habet. Quamobrem ſemper à virtutibus his generalibus optimè quis inſtructus ſit oportet : quòd nullo propè non loco & tempore earum uſus neceſſarius ſit.

Porrò illarum virtutum exercitium præferendum eſt, quæ officio noſtro & debito ſunt conformiores : non verò quæ ſenſualitati & affectui privato magis arrident. S. Paulæ cumprimis ſapiebat corporalium mortificationum aſperitati ſeſe dare ; quo dulcedine & conſolationibus ſpiritualibus perfunderetur : ſed ſuperioribus eam ſuis obedire neceſſe magis erat. Unde fatetur S. Hieronymus, eam in hoc reprehenſibilem fuiſſe : quòd contra voluntatem & conſilium Epiſcopi ſui immoderatis ſeſe abſtinentiis attereret. Apoſtoli vice verſâ ad Evangelium prædicandum & cæleſtem animabus panem impertiendum conſtituti ;

meritò & conſultò minimè impedite judicarunt : ſanctum hoc exercitium ſe relinquere, quò virtutem, quæ circa pauperes curandos verſatur (etſi excellentiſſimam) exercerent. Unaquæque vocatio & munus ſpecialis alicujus virtutis exercitio opus habet; aliæ quippe virtutes ſunt Prælati, aliæ Principis, aliæ militis, aliæ mulieris conjugatæ, aliæ viduæ: ut, licet omnes univerſas habere virtutes debeant, non tamen omnes æqualiter eas factitare. Sed quemque particulariter iis ſe virtutibus date neceſſe ſit : quæ ad vitæ genus, ad quod vocatus eſt, cumprimis ſunt neceſſariæ. [*Inde diſce renunciandum tibi eſſe proprio guſtui & affectui in rebus ſpiritualibus; & quidquid tibi occaſionem miniſtrat abnegandi temetipſum: præferendum eſſe magnis rebus, quas proprio ſenſu ſuſcipere & proſequi velles.*]

Inter virtutes autem quæ ad officium & munus noſtrum particulariter non ſpectant; illæ ſunt præferendæ quæ aliis ſunt majores & excellentiores : non autem quæ præ aliis velut digniores eminent. Cometæ, ut plurimum aliis ſtellis majores apparent, & plus loci oculis noſtris continere videntur; cum aliis tamen ſtellis, nec quoad magnitudinem, nec quoad qualitatem & naturam ſunt comparandi : & non alia de cauſa videntur magni, quam quod præ aliis ſtellis nobis ſunt viciniores, & in materia & ſubjecto craſſiori conſtituti. Sic etiam quædam virtutes ſunt, quæ quia nobis vicinæ, ſenſibiles, & (ſi dicere fas ſit) materiales ſunt : hinc ſemper à populo magni fiunt, & aliis digniores cenſentur. Hinc eſt quod vulgus communiter eleemoſynam temporalem ſpirituali præfert; cilicium jejunium, nuditatem, flagellationem, & mortificationes corporis benignitati, manſuetudini, modeſtiæ, & aliis animi mortificationibus : quæ tamen longè ſunt excellentiores & præſtantiores. Meliores itaque virtutes tibi ſelige, Philóthea; non verò eas quæ pluris ab aliis fiunt : excellentiores, non eminentiores, meliores, & non celebriores. [*Hæc planè concordant cum his quæ in primis lectionibus de vera devotione docuit. Hæc Pſalmiſtæ verba ſemper animo tenenda; omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.*]

Expediens eſt ut quiſque particularem aliquam virtutem ſibi exercendam proponat; non quidem ut propterea reliquarum exercitium omittat : ſed ut ſpiritum ſuum meliùs directum & occupatum habeat. Formoſa quædam juvencula, ſole fulgentior, reginæ in morem adornata, & oleagino ſerto redimita, Joanni Archiepiſcopo Alexandrino ſpectandam ſeſe obtulit, & ait; Ego ſum filia primogenita Regis : ſi me tibi amicam eligere & habere velis, illius in conſpectum te introducam. Intellexit ipſe, hanc eſſe piam in pauperes miſericordiam, quam Deus illum commendatam & amicam habere volebat; cujus is proinde exercitio ita ſe pòſt applicuit : ut propter eam paſſim S. Joannes Eleemoſynarius cognominetur. Eulogius Alexandrinus ſpeciale aliquod Deo obſequium præſtare cupiens; nec ſatis vitium habens, vel

ad vitam ſolitariam ſectandam, vel ad alterius ſe imperio nutuíque ſubjiciendum: pauperem quemdam leprâ turpiſſimâ & tædiſſimâ coopertum in domum ſuam recepit, erga quem charitatem & mortificationem exerceret. Quod ut digniùs & meliùs etiam præſtaret; votum concepit, ita ſe eum honoraturum, habiturum, & ei miniſtraturum: ut famulus Domino famulatur & ipſum colit. Cùm verò & leproſus ad Eulogium, & Eulogius viciſſim ad leproſum deſerendum tentaretur; ambo magnum Antonium notæ ſanctitatis Anachoretam adiêre: qui ad utrumque, Cavete, inquit, cariſſimi, ne alter ab altero recedatis. Cùm enim ambo non procul a fine & exitu veſtro diſſiti ſitis; ſi vos Angelus Domini ſimul & conjunctos non inveniat: in præſentiſſimo coronarum veſtrarum amittendarum diſcrimine ambo verſamini.

S. Ludovicus Rex tam ſtudioſe valetudinaria obibat; ſuíſque ipſe manibus ægrotis inſerviebat: ac ſi mercede ad hoc eſſet conductus. S. Franciſcus paupertatem præ aliis virtutibus unicè complectebatur; eámque dominam ſuam appellabat: uti S. Dominicus Verbi divini prædicationem, atque ab hoc officio Ordo ipſius nomen accepit. S. Gregorius Papa peregrinis excipiendis, adinſtar magni Patriarchæ Abrahæ, mirè capiebatur; & ad exemplum etiam illius: ipſum Regem gloriæ peregrini in habitu excepit. Tobias mortuis ſepeliendis totus inſiſtebat. S. Eliſabetha, quantumvis illuſtris foret Princeps: ſuiipſius abjectionem in omnibus & ubique conſectabatur. S. Catharina Genuenſis jam vidua xenodochij famulatui totam ſeſe adjecit. Sancta quædam mulier, aliquam patientiæ virtutis exercendæ occaſionem habere cupiens, teſte Caſſiano, ad Sanctum Athanaſium venit; qui votis ejus ſatisfacturus: ipſam pauperculæ cujuſdam viduæ, ſed moroſæ, querulæ, moleſtæ, iracundæ & intolerabilis curam habere juſſit. Quæ cum piam illam virginem aſſiduò objurgaret: inſignem illi benignitatis & manſuetudinis dignè exercendæ materiam præbuit. Sic inter ſervos Dei, aliqui quidem ægris ſervire; alij egenis ſuccurrere; alij pupillis & viduis opitulari; alij doctrinæ Chriſtianæ inter parvulos incrementum procurare; alij animabus perditis, peſſum euntibus, & errantibus in viam rectam reducendis toti incumbere; alij templa & altaria ornare: alij pacem & concordiam inter diſſidentes conciliare ſatagunt. In quo acupictores & phrygiones imitantur. Nam ſicut hi vario fundo inſigni cum varietate, byſſum, aurum & argentum ſuperinſtruunt; quo omnia florum genera exprimant & æmulentur: ſic piæ animæ, particulare aliquod devotionis exercitium uſurpantes; ipſum in acupictura ſua ſpirituali velut fundum habent: ſuper quod deinde omnium aliarum virtutum varietatem inducunt & factitant. Unde fit, ut actiones ſuas melius ordinatas & compoſitas habeant, dum eas ad exercitium ſuum principale referunt; itáque ſpiritum ſuum patefaciunt: & quamdam virtutum varietatem phrygionicam, byſſo auróque velut intertexto, repræſentant.

Si quando à vitio aliquo tentamur ; contrariam illi virtutem, quantum quidem poſſibile nobis erit, exerceamus oportet : reliquas omnes ad unam referendo. Hàc quippe ratione inimicum noſtrum ſuperabimus : & in omni virtute profectum inſignem faciemus. [*Excipiendum eſt illud quod caſtitati oppoſitum eſt. Per contemptum quippè ac fugam potius quàm per mentis reflexionem vincitur ; & adverſus illius impetus, Oratio, humilitas, & in Deum ſumma fiducia : tutiſſimum præſtant præſidium.*] Si ſuperbia & ira me oppugnet ; in omnibus ad humilitatis & benignitatis partes propendeam & inclinem : & ad hanc reliqua omnia orationis, Sacramentorum, prudentiæ, conſtantiæ, ſobrietatis exercitia referam oportet. Nam quemadmodum apri, quò dentes ſuos proſtantes, acutos reddant ; aliis dentibus eos confricant & poliunt : qui viciſſim inde quoque exacuuntur & ſecationi apti redduntur. Pari modo vir pius, cùm ſe in ea virtute, qua ad ſui defenſionem maximè opus habet, perficere conſtituit ; ipſam aliarum virtutum exercitio limare quodammodò & exacuere debet : quæ dum expolitur, omnes pariter excellentiores & politiores evadunt : ſic factum eſt ſancto Job, qui cum ſe in patientia, adverſus tot tentationes, quibus exagitatus fuit, ante omnia, maximéque exerceret : planè ſanctus, & perfectum omnium virtutum exemplar factus eſt. Imò verò, teſte S. Gregorio Nazianzeno ; contigit aliquando, ut uno ſolo virtutis alicujus benè & perfectè exercitæ actu : quis ad virtutum omnium culmen perveneri. Quod probat exemplo Rahab, quæ cùm officium hoſpitalitatis debitè & exactè impleſſet : ad ſummam quamdam gloriam evecta eſt. At hoc intelligendum eſt, & tum demum locum occupat : quando actus hic excellenter, & in gratiarum fervore & charitate perficitur.

Hæc intelligenda ſunt de bona quadam diſpoſitione ſive habitu qui ex aliquo ſublimiori virtutis actu exoritur ; unde ad perſeverandum & creſcendum in virtutis exercitio provocati : ad perfectionem gloriámque promovemur.

Eadem materia tractatur. Lib. 3. Introductionis, cap. 2.

PRæclarè ſanè quodam in loco D. Auguſtinus ſcripſit ; eos videlicet qui devotioni ſeſe dare incipiunt : quoſdam in principio errores committere. Qui quidem ſi ad rigorem legum de perfectione exigantur : reprehendi certè merentur. Laudandi tamen ſunt, ob inſigne, quod edunt eximiæ cujuſdam pietatis futuræ præſagium ; ad quam hi ipſi velut viam ſternunt : & hominem diſponunt. Sic ſervilis & craſſus ille timor, qui ſuperfluos quoſdam in animabus eorum qui recenter è peccati ſtatu egrediuntur, generat ſcrupulos ; hócce in principio egregia quidem & laudabilis quædam eſt virtus : & certum futuræ puritatis conſcientiæ præſagium. At hic ipſe repræhenſibilis & culpandus foret in

jam longius provectis; quorum in cordibus dominari & habitare debet amor filialis: qui ſervilem hunc timorem paulatim expellit. [*Vides ergò iſta eſſe corrigenda; quæ quidem bona indicia ſunt: ſed in non modicos defectus verterentur, ſi nutrirentur.*]

S. Bernardus in ſuis principiis rigidè & aſperè tractabat eos qui illius in diſciplinam ſeſe tradebant; quos in principio docebat, corpus ipſum relinquendum eſſe & exuendum: & ſolo ſpiritu ad ipſum accedendum. Illorum confeſſiones excipiens, extraordinariâ quadam ſeveritate omnia in iis defectuum, quantumlibet exiguorum, genera ſugillabat; hos tirones tam enixè & impensè ad perfectionem exſtimulabat: ut, dum illos æquo vehementiùs incitat, ab eadem illos deterreret & abſtraheret. Etenim & animo & viribus concidebant: dum tam inſtanter ſe in tam acclivem, præcipitem & altum aſcenſum viderent propelli. Ardentiſſimus ſcilicet perfectæ puritatis zelus, Philothea, illuſtrem hunc Sanctum movebat; ut hanc ad perfectionem pertingendi viam iniret: & hic in eo zelus, præſtans quædam erat virtus. At virtus, quæ nihilominus reprehendi merebatur. Unde & Dominus ipſe ei apparens; hanc in eo vehementiam correxit: & ejus loco ſpiritum lenem, ſuavem, & dulcem in animam ejus infudit. Cujus adminiculo totus alius factus; ipſe deinde ſe prioris illius nimiæ ſeveritatis & rigoris maximè accuſabat: & ita placidus ac cujuſque ſeſe accommodans naturæ & genio evaſit, ut omnibus omnia factus ſit, quò omnes lucrifaceret. S. Hieronymus poſtquam narrâſſet, chariſſimam diſcipulam ſuam Paulam in corporalium mortificationum exercitio non ſolùm modum exceſſiſſe, & nimiam fuiſſe; verùm & obſtinatam fuiſſe: adeò ut ne quidem S. Epiphanij Epiſcopi ſui, rigores hoſce planè diſſuadentis, conſilio vellet acquieſcere; & præterea, ita ſe ob ſuorum mortem dolore ſolitam conficere & contriſtari, ut propè ſemper in moriendi periculo verſaretur: tandem hiſce verbis narrationem ſuam concludit. *Dicent me, non tam laudes ſanctæ hujus & encomium, quàm imperfectiones & vituperia ſcribere; teſtor autem Ieſum, cui & ipſa ſervivit, & ipſe ſervire deſidero: me nec in his, nec in illis mentiri. Sed ſimpliciter & candidè, quidquid de ipſa occurrit dicendum, adſerre; ut Chriſtianum de Chriſtiana, id eſt, hiſtoriam tenere me, non panegyricum: illiuſque vitia in aliis eſſe poſſe virtutes.* Dicere vult, quod, quæ in Paula imperfectiones & defectus fuêre: in anima minùs perfecta virtutum nomen habere potuiſſent. Sicuti de facto quædam ſunt opera; quæ in perfectis habentur ut imperfectiones: quæ in imperfectis tamen pro inſignibus haberentur perfectionibus. Bonum recuperatæ valetudinis ſignum eſt, quando jam ſub morbi finem ægro tibiæ intumeſcunt; hic quippe tumor indicat: naturam jam nonnihil corroboratam humores ſuperfluos foras emittere. At in non ægrotante hoc ſignum malum eſſet. Indicaret enim naturam ad humores diſſipandos & reſolvendos ſatis potentem non eſſe. Bonam,

Philothea

Philothea mea, opinionem habeamus oportet de iis, à quibus virtutes factitari & exerceri cernimus; tametſi eæ imperfectionibus quibuſdam permixtæ ſint : cum & ſancti ipſi tali cum inquinatione eas non rarò factitârint. At noſtrum eſt, in illarum exercitio non fideliter ſolùm, ſed & prudenter nos gerere; & illud Sapientis conſilium ſequi: propriæ, inquam, prudentiæ non nimium inniti, ſed eorum quos Deus nobis directores & duces dedit.

Quædam ſunt, quæ vulgus imperitum virtutes eſſe exiſtimat; nullatenus tamen virtutes ſunt : de quibus aliquid hîc me loqui oportet. Tales ſunt exſtaſes aut raptus; inſenſibilitates, impaſſibilitates: uniones Deificæ; corporis ſurſum elevationes, transformationes & aliæ id genus perfectiones : de quibus libri nonnulli docentes quomodo anima ad contemplationem purè intellectualem, ad eſſentialem ſpiritûs applicationem, & vitam ſupereminentem aſcendere poſſit, ex profeſſo tractant.

Vides, Philothea, perfectiones has virtutes non eſſe, cùm potiùs præmia & compenſationes quædam ſint quæ pro virtutum exercitio Deus hoc in mundo rependit: vel potiùs quædam felicitatis vitæ futuræ indicia & ſpecimina; quæ ſæpè non alia de cauſa homini dantur: quàm ut ad totum, quod in cælo datur & reſervatum eſt, aſpiret & affectu rapiatur. Hinc hujuſmodi gratiæ nulli omninò deſiderandæ ſunt aut optandæ; cùm ad benè Deo ſerviendum & eum diligendum (quod unum ſpectare & quærere debemus :) nullatenus neceſſariæ ſint. Imò ſæpè tales gratiæ non ſunt, ut ullo hominum labore & induſtria valeant comparari; cùm paſſiones potius ſint, quàm actiones : quas ipſi quidem in nobis recipere poſſumus & admittere, at non cauſari & producere. Addo alium nobis ſcopum hîc non eſſe, quàm ut homines boni & devoti, viri pij, & fœminæ piæ evadamus; quocirca totos in hoc unum intendere & collineare nos oportet. Si prætereà nos ad perfectiones illas Angelicas Deus ſuſtollere & elevare dignetur: boni etiam Angeli erimus. Sed interim dum hanc gratiam expectamus; in parvis nos virtutibus (quarum acquiſitionem à cura & labore noſtro Dominus dependere voluit :) uti ſunt patientia; manſuetudo; corporis mortificatio; humilitas, obedientia, paupertas, caſtitas; commiſeratio erga proximum; imperfectionum ejus tolerantia, diligentia, & ſanctus quidam fervor : ſimpliciter, humiliter & devotè exerceamus. Supereminentias illas animabus ſupereminentibus libenter cedamus. Tam ſublimem enim ipſi in Dei ſervitio gradum non promeremur: imò plus quàm felices etiam erimus, ſi vel in culina ac piſtrino illi operam præſtare; & illius pediſſequi, bajuli, famuli cubiculares eſſe mereamur: illius eſt, ſi ita ei placuerit, nos poſteà intra conclave ſuum & concilium privatum recipere. [*Hæc attentiùs obſerva, & viam tritam ac communem inſequere; nec quicquam inquiras aut prætendas præter*

virtutum exercitium : neque aliud velis, quam vult Deus.] Etiam Philothea ⁏ etenim Rex ille gloriæ famulis ſuis non ſecundum dignitatem officiorum quibus funguntur : ſed pro amore & humilitate ex qua illis funguntur, mercedem perſolvit & compenſat. Saül aſinas patris ſui quærens, regnum invenit Iſraël. Rebecca potans camelos Abrahami : filij illius uxor facta eſt. Ruth poſt meſſores Booz ſpicas legens ⁏ & ad pedes ejus dormiens : ad latus ejus protracta eſt, ejuſque uxor facta. Certè quicumque ad extraordinaria hæc & tam ſublimia aſpirant ⁏ diabolicis illuſionibus, fraudibus, & impoſturis quàm maximè ſubjecti ſunt ; & ſæpè fit, ut qui Angelos ſe eſſe putant, ne quidem boni homines ſint : ac plus magnitudinis & ſplendoris in verbis & modo ſuo loquendi, quàm in ſenſu & opere ſuo præferant. Nihil tamen temerè carpendum, aut ſugillandum eſt. Sed Deum pro aliorum prærogativa & ſupereminentiâ laudando ⁏ ipſi nos in via noſtra humiliore, ſed tutiore, minùs excellente quidem, ſed inſufficientiæ & parvitati noſtræ convenientiore, humiliter contineamus : in qua ſi humiliter & fideliter converſemur, ad eminentes quaſdam magnitudines Deus dein nos ſuſtollet.

Nihil tibi expreſſè dicit de ſupereminentibus illis ſtatibus de quibus, his temporibus tot moventur quæſtiones & documentorum myriades componuntur ⁏ ſed tacitè te diſponit ad illos intelligendos & conſequendos : viâ tutâ & ſecurâ. Nihil tibi profert unde animus ſublimioribus ſpeculationibus poſſit offuſcari ⁏ ſed iter tibi demonſtrat per quod ambulare debeas : & unde Deus aſſumit fideles animas quas ad iſtos ſublimiores ſtatus vult elevare.

LECTIO TRIGESIMA SECUNDA.

De patientia, & de informatione patientiæ ⁏ & luctamine adverſus concupiſcentias : & quod temporales miſeriæ exemplo Chriſti, ſunt æquanimiter ferendæ.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

O*Mne gaudium exiſtimate, Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis : ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur ⁏ patientia autem opus perfectum habet : ut ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Epiſt. Jacob. cap. 1. v. 2.

Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias : patiens injuſtè. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? ſed ſi benè facientes patienter ſuſtinetis : hæc eſt gratia apud Deum. In hoc

enim vocati eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum: ut ſequamini veſtigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus; qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſtè. Epiſt. 1. Petri, cap. 2. v. 19.

Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu: perſecutionem patientur. Epiſt. 2. ad Timot. cap. 3. v. 12.

Ideóque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium; deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum: per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen; aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum: qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta: atque in dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem: ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis: adverſus peccatum repugnantes. Epiſt. ad Hebræ. cap. 12. v. 1.

Hi ſacræ Scripturæ Textus, patientiæ excellentiam, neceſſitatem, utilitatémque apertè indicant, ſed illius praxim uterque Doctor in ſubditis demonſtrabit.

De patientia. Lib. 3. Introductione, cap. 3.

P*Atientia vobis neceſſaria eſt: ut facientes voluntatem Dei, reportetis repromiſſionem,* ait Apoſtolus. Et verè; nam quemadmodum Redemptor Jeſus dixerat: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, ingens certè, Philothea hominis felicitas eſt, ſuam poſſidere animam; & quò patientia noſtra perfectior erit: eò animas noſtras poſſidebimus perfectiùs. Sæpiùs ad mentem revoca, Dominum patiendo & tolerando nos ſalvaſſe; nos quoque laborum tolerantiâ & afflictionibus, injurias, contradictiones & adverſa quàm poſſumus patientiſſimè & æquanimiſſimè ferendo: ſalutem noſtram procurare & aſſerere debere.

Noli patientiam tuam ad hoc, illúdve injuriarum atque afflictionum genus ferendum reſtringere; ſed eam univerſaliter ad omnes quas tibi Deus immittet, aut ut eveniant permittet: extende. Sunt enim qui non alias ferre tribulationes volunt, quàm quæ ſunt cum honore conjunctæ; qualis verbi gratia eſt, in bello vulnerari, in bello capi, religionis cauſa malè haberi, per litem, in qua tamen ſuperiores evaſerint, ad paupertatem redactum eſſe: & hi non tam tribulationem, quàm honorem ex illa pullulantem amant. Verus patiens, & Dei ſervus tribulationes, tam cum ignominia, quàm cum honore conjunctas, eâdem æquanimitate perfert: & vultu eodem. Ab improbis & ſic leſtis hominibus contemni, reprehendi, accuſari, & indignis modis haberi; magnanimo & generoſo quidem jucundum & volupe eſt: at à bonis, amicis, & con-

ſanguineis reprehendi, accuſari, & malè haberi; & patienter nihilo minus ferre: viri boni eſt. Pluris illam facio manſuetudinem & lenitatem, quâ B. Carolus Borromæus longo tempore publicas, quas celebris quidam ex Ordine ſummè reformato concionator pro concione & in ſuggeſtu in eum depromebat, ſugillationes æquanimiter tulit: quàm omnes quas ab aliis unquàm excepit contradictiones. Nam quemadmodum apum punctura plus doloris inferunt, quàm muſcarum; ſic malum quod à viris bonis infertur, & contradictiones quibus hi nos exagitant: longè ſunt intolerabiliores quàm aliæ. Sæpè enim contingit, ut duo boni viri, bonâ uterque intentione in diverſa ſua opinione & ſententia nitentes; alter alterum maximè perſequatur: & ſibi invicem contradicant. [*Hinc diſce zelum moderandum eſſe; nec facilè te cenſorem effici actionum quæ ab aliis bono animo fieri poſſunt; ne zelus in errorem, & exinde in perſecutionem vertatur.*] Patiens eſto, non ſolùm quoad principalem & primariam earum quæ tibi evenient, adverſitatum partem; verum etiam quoad acceſſoria earumdem & aliunde incidentia. Multi quidem pati, & mala ſubire vellent: dummodò nullum commoda ſua paterentur diſpendium. Unde eſt qui dicat; Non eſt mihi grave ad paupertatem redactum eſſe; ſed hoc me malè habet, quòd hæc impedimento ſit: quo minus amicis gratificer, liberos meos promoveam, & honorificè magnificéque, prout vellem, vivam. Alius dicet; minimè curarem: ſed putabor ipſe in culpa fuiſſe, quod ad paupertatem devenerim. Alius gaudebit, quod alij de ſe malè loquantur; ipſóſque maledicos æquanimiter feret: dummodò nemo hæc maledicta credat. Alij ſunt, qui aliquam quidem à malo incommoditatem ferre volunt: ſed non omnem. Quod ægrotent, impatienter, inquiunt, non ferunt; ſed quòd pecuniam non habeant, ad medicos advocandos, & medicamenta comparanda: aut quod iis qui ipſos circumſtant, importuni ſint. Dico porrò, Philothea, patienter nos ferre debere, non ſolum quòd ægrotemus; verùm etiam quòd eo ægrotemus morbo, quo Deus nos viſitare cupit; nec non eo in loco quo ipſe vult, & inter & apud eos, quos ipſe vult: & iis denique cum incommoditatibus, quibus ipſe nos inveniri vult: & ſic de aliis omnibus tribulationibus. Si quod tibi malum accidet; quæcumque potes, & ſecundum Deum ſunt: ei pellendo remedia adhibe. (Aliter enim qui vellet facere: divinam Majeſtatem tentaret.) Et hæc ubi adhibueris; plena cum animi reſignatione effectum, quem Deus facere voluerit: expecta. Si illi placeat, ut remedia malo prævaleant; magna cum humilitate illi gratias ages; ſi ſinat ut malum remediis, cum patientia ei benedicito. [*In hoc ſolida & ſupernaturalis virtus conſiſtit.*]

Quare S. Gregorium ſecutus tibi ſuadeo; ut cùm meritò ob delictum aliquod reverà admiſſum accuſaris & reprehenderis: maximoperè te humilies, & inſimulationem illam te promereri ingenuè confitearis.

Si verò falsò & immeritò accuſeris ; placidè te excuſes; minimè id te commiſiſſe aſſerens. Hanc quippe reverentiam veritati: & proximi ædificationi debes. At, ſi poſt veram & legitimam tuam excuſationem, nihilominus alij te accuſare pergant ; nullatenus turberis, nec multùm ut excuſationem tuam admittant inſtes: poſtquam enim veritati dediſti quod ſuum eſt, ſuum & humilitati dare debes. Sic namque nec curæ, quam famæ & nomini tuo debes ; nec affectui, quo erga tranquillitatem, benignitatem & humilitatem ferri debes: damnum inferes. [*Hæc eſt ſancta diſcretionis forma ; quâ medium tenere, & ad extrema non ferri ſapienter edocéris.*]

Quàm potes minimè, de injuriis tibi irrogatis conquerere ; certum namque eſt, ut plurimum peccare eum qui de illis conqueritur; quod amor proprius ſemper nobis injurias depingat majores, quàm revera ſint, & ut tales eas ſentire nos faciat. Ante omnia autem cave ; ne apud eos de illis conquerare: qui ad indignandum & mala cogitandum proni & faciles ſunt. Si verò apud aliquem conqueri de injuria expediat ; tum ut is malo medeatur, & remedium aliquod ſuggerat ; tum ut ſpiritum tuum ſerenet & componat ; id nonniſi apud homines quietos, pacificos: Deíque comprimis amantes fiat. Aliter enim, adeò non animum tuum alleviabunt ; ut etiam magis eum ſint turbaturi & majorem ei inquietudinem allaturi: & adeò non ſpinam, quæ te pungit, auferent, ut etiam profundiùs pedi eam tuo ſint infixuri. [*Facile enim tunc verba exaggerantur ; & expreſſiones minùs æquæ proferuntur: quibus animus ampliùs exaſperatur.*]

Multi dum vel ægrotant, vel affliguntur, vel injuriam quampiam paſſi ſunt: cavent quidem ne de ea conquerantur: & animi ſui mollitiem teſtentur. Hoc quippe evidens (uti revera eſt) puſillanimitatis, & defectus generoſitatis ſignum eſſe putant ; ſummoperè tamen gaudent, & nullo non artificio alios omnes inducere allaborant: ut eorum ſortem miſerentur & deplorent ; ipſóſque non modò afflictos: ſed & patientes & generoſos exiſtiment. Eſt quidem hæc verè patientia ; ſed patientia falſa: quæ à parte rei aliud non eſt, quàm ſubtiliſſima quædam ambitio & vanitas. *Gloriam habent*, inquit Apoſtolus: *ſed non ſecundum Deum.* Verus autem patiens de malo ſuo non conqueritur, nec ut aliquis ipſum deploret, deſiderat ; ſimpliciter, verè & candidè de eo loquitur: non conquerendo, nec expoſtulando, neque ipſum exaggerando. Si quis ſortem ac vices ejus doleat, audit patienter & tacitè ; niſi dum malum aliquod habere & pati dicitur, quod revera non habet: tunc quippè modeſtè ſignificat, id ſe malum non habere. Itaque inter veritatem & patientiam medius, quieſcit: & malum ſuum confitendo, & tamen de eo non conquerendo.

In contradictionibus autem, quas in devotionis exercitio patieris ; (hæ enim minimè deerunt:) memineris verborum Domini dicentis ;

Mulier dum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Concepiſti enim in anima, omnium quos mundus habet, puerum digniſſimum; Jeſum Chriſtum inquam: qui antequam producatur, & penitùs pariatur, fieri non poteſt, quin anguſtias & dolorem ſummum ſentias. Sed age, bono eſto animo; nam poſt dolores illos æternum te manebit gaudium: eò quòd talem in mundo hominem peperiſti. Tum verò cum totum & penitùs tibi pepereris: cum eum totum & in corde & in operibus tuis, per vitæ imitationem efformâris & expreſſeris.

Cùm ægrotabis, omnes dolores, pœnas & languores tuos pro Dei amore & obſequio ſufferto; eúmque roga: ut eos tormentis, quæ tui cauſa ipſe ſubiit, unire & conjungere dignetur. Obedi quoque medico; ipſaque medicamenta, cibos, & alia remedia, ex amore Dei, ſumito: memor fellis, quod noſtri cauſa ipſe bibit. Sanitatem non aliter recuperare velis: quàm ut illi obſequium præſtes. Ne recuſes etiam ægrotare & pati, ut ei obedias; téque, ſi ita ei videatur, ad mortem diſpone: quò in cælis eum laudes, eóque fruaris. Memento, apes quo tempore mellificant: comedere cibum quemdam amarum. Sic non poſſe nos unquam majoris ſuavitatis & patientiæ actus facere, aut melius excellentium virtutum mel componere: quàm quamdiu panem amaritudinis comedimus, & inter anguſtias & paſſiones vivimus. Et ſicuti mel, quod è thymi herbæ parvæ quidem, ſed amarulentæ floribus confectum eſt, omnium eſt præſtantiſſimum; ita virtus, quæ in viliſſimarum, abjectiſſimarum & contemptibiliſſimarum tribulationum amaritudine exercetur: omnium eſt excellentiſſima.

Oculis tuis interioribus ſæpè contemplare Jeſum Chriſtum crucifixum; nudatum; blaſphemiis ſaturatum; calumniis oneratum, ab omnibus derelictum: denique omni moleſtiarum, dolorum, triſtitiarum, laborúmque genere oppreſſum. Et conſidera, omnia tua tormenta, nec in qualitate, nec in quantitate cum ipſius tormentis poſſe comparari: nec unquam aliquid pro ipſo te toleraturam, quin longè is plura pro te paſſus ſit.

Conſidera quoque tormenta, quæ Martyres olim pertulêre; nec non ea, quæ tam multi homines devoti hodiè patiuntur, quæ multò ſine ulla proportione graviora ſunt quam illa quæ tu pateris: & dicito; labores mei, meræ conſolationes ſunt: & pœnæ meæ, flores, ſi illas conferam cum pœnis eorum, qui ſine ullo prorsùs ſolamine & ſubſidio, in continua quadam morte vivunt & afflictionibus infinitè majoribus oppreſſi ſunt.

De informatione patientiæ & luctamine adverſus concupiſcentias. Libro 3. de Imitatione. Cap. 12.

Discipulus.

1. Domine Deus ut video patientia eſt mihi valdè neceſſaria: multa enim in hac vita accidunt contraria. Nam qualitercumque ordinavero de pace mea: non poteſt eſſe ſine bello & dolore vita mea.

Salvator.

Ita eſt fili; ſed nolo te talem quærere pacem, quæ tentationibus careat, aut contraria non ſentiat: ſed tunc etiam te pacem æſtima inveniſſe cùm fueris variis tentationibus exercitatus, & in multis contrarietatibus probatus. [*Obſerva ergò ſtatus illos majoris devotionis ſenſibilis & fervoris eſſe tantùm tranſitorios; cùm tentatio omni tempore & hora ſupervenïat; nec ei poſſimus regulam aut ordinem conſtituere.*]

2. Si dixeris non poſſe multa pati; quomodò tunc ſuſtinebis ignem Purgatorij? De duobus malis minus ſemper eſt eligendum. Ut ergò æterna ſupplicia futura poſſis evadere: mala præſentia ſtudeas pro Deo æquanimiter tolerare. An putas quòd homines ſæculi hujus nihil aut parum patiantur? Neque hoc invenies: etiamſi delicatiſſimos quæſieris. Sed habent, inquis, multas delectationes & proprias ſequuntur voluntates: ideóque parùm ponderant ſuas tribulationes. Eſto, ita ut habeant quidquid voluerint; ſed quamdiù, putas, durabit?

3. Ecce quemadmodum fumus deficient omnes abundantes in ſæculo: & nulla erit recordatio præteritorum gaudiorum. Sed & cùm adhuc vivunt: non ſine amaritudine, tædio, ac timore in eis quieſcunt. Ex eadem namque re unde delectationem concipiunt ſibi, pœnam frequenter recipiunt; & juſtè illis fit, ut quia inordinatè delectationes quærunt & ſequuntur: non ſine amaritudine ac confuſione eas expleant.

O quàm breves, quàm falſæ, quàm inordinatæ atque turpes omnes iſtæ ſunt? Verumtamen illi præ ebrietate ac mentis cæcitate non intelligunt: ſed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum, mortem animæ incurrunt. Tu ergo fili; *Poſt concupiſcentias tuas non eas: & à voluntate tua avertere. Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.* Eccli. 18. 30. Pſal. 36. 4.

6. Etenim ſi veraciter vis delectari & abundantiùs à me conſolari; ecce in contemptu omnium mundanorum, & in abſciſſione omnium infimarum delectationum erit benedictio tua: & copioſa tibi reddetur conſolatio. Et quantò plus te ab omni ſolatio creaturarum ſubtraxeris: tantò in me ſuaviores & potentiores conſolationes invenies. Sed primò non ſine quadam triſtitia & labore certaminis ad has pertinges.

Obſiſtet enim inolita conſuetudo: ſed meliori conſuetudine devincetur. Remurmurabit caro: ſed fervore ſpiritûs frænabitur. Inſtigabit & exacerbabit te ſerpens antiquus; ſed oratione fugabitur: inſuper & labore utili aditus ei magnus obſtruetur.

Quod temporales miſeriæ exemplo Chriſti æquanimiter ſunt ferendæ. Ibidem, cap. 18.

SALVATOR.

1. FIlli ego deſcendi de cælo pro tua ſalute; ſuſcepi tuas miſerias, non neceſſitate, ſed charitate trahente: ut patientiam diſceres, & temporales miſerias non indignanter ferres. Nam ab hora ortûs mei uſque ad exitum in cruce: non defuit mihi tolerantia doloris. Defectum rerum temporalium magnum habui; multas querimonias de me frequenter audivi; confuſiones, & opprobria benignè ſuſtinui; pro beneficiis ingratitudinem recepi; pro miraculis blaſphemias: pro doctrina reprehenſiones.

DISCIPULUS.

2. Domine quia fuiſti patiens in vita tua, in hoc maximè implendo præceptum Patris tui; dignum eſt ut ego miſerrimus peccator ſecundum voluntatem tuam patienter me ſuſtineam: & donec ipſe volueris onus corruptibilis vitæ pro ſalute mea portem. Nam etſi oneroſa ſentitur præſens vita; facta eſt tamen jam per gratiam tuam valdè meritoria: exemplóque tuo, & tuorum veſtigiis Sanctorum tolerabilior infirmis & clarior. Sed & multò magis conſolatoria quàm olim in Lege veteri fuerat; cùm porta cæli clauſa perſiſteret: & obſcurior etiam via ad cælum videbatur, quando tam pauci regnum cælorum quærere curabant. Sed neque qui tunc ſalvandi & juſti erant ante paſſionem tuam & ſacræ mortis debitum: cæleſte regnum poterant introire.

3. O quantas tibi gratias teneor referre; quòd rectam & bonam viam dignatus es mihi & cunctis fidelibus ad æternum regnum tuum oſtendere? Nam vita tua, via noſtra: & per ſanctam patientiam ambulamus ad te, qui es corona noſtra. Niſi tu præceſſiſſes & docuiſſes; quis ſequi curaret? Heu quanti longè retróque remanerent; niſi tua præclara exempla inſpicerent? Ecce adhuc tepeſcimus auditis tot ſignis tuis & doctrinis; quid fieret ſi tantum lumen ad ſequendum te non haberemus?

LECTIO

LECTIO TRIGESIMA TERTIA.

De humilitate interiori & exteriori. Quòd in veritate & humilitate coram Deo converſandum eſt, & de humili ſubmiſſione.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

T*Ollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuave eſt: & onus meum leve.* Matt. cap. 11. v. 29.

In illa hora acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes: quis putas, major eſt in Regno Cælorum? Et advocans Ieſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli: non intrabitis in Regnum Cælorum. Quicumque ergò humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte: hic eſt major in Regno Cælorum. Matt. cap. 18. verſ. 1.

Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit: ipſe ſe ſeducit. Epiſt. ad Gala. cap. 4. v. 3.

Id ipſum invicem ſentientes: non alta ſapientes: ſed humilibus conſentientes. Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos. Epiſt. ad Rom. cap. 12. verſ. 16.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes: non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens: in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur: quia Dominus Ieſus Chriſtus eſt in gloria Dei Patris. Epiſt. ad Philip. cap. 2. v. 3.

Hæc Sacri Textûs verba ſatis innuunt quæ ſint humilitatis neceſſitas, utilitates & affectus; at illius praxim Doctor uterque hic tibi explicaturus eſt.

De humilitate quoad exteriora. Libro 3. Introductionis, capite 4.

VAde, inquit Eliſeus ad pauperculam quamdam viduam. *Pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca : & mitte ex oleo in omnia vaſa hæc.* Ad gratiam Dei in animis noſtris recipiendam : à vana illos gloria vacuos habeamus oportet. Tinnunculus avis, dum rapaces aves conſpicit, vocem edit ; itaque occultâ quadam vi & proprietate naturali : eas perterrefacit. Hinc eam columbæ præ omnibus aliis avibus diligunt ; tutáſque ſe arbitrantur : dum apud eum agunt. Sic humilitas Satanam repellit : gratiámque & dona Spiritus Sancti in nobis conſervat. Hac de cauſa omnes Sancti, atque imprimis ipſe ſanctorum Rex & caput Chriſtus ; quin & Mater ipſius : illuſtrem hanc virtutem, inter omnes alias virtutes morales quàm maximè ſemper honorârunt & coluerunt. [*Sanctus Doctor gratiſſimè hìc inſtruit de rationalibus tantùm cogitatibus & affectibus admittendis ; & de nugis contemnendis quibus mundus fabricat ſibi larvas : riſu digniores quàm puerorum pupa.*

Vanam gloriam voco eam, quam ipſi nobis attribuimus tum ob id quod in nobis non eſt : tum verò & ob id quod quidem nobis ineſt, & tamen noſtrum non eſt ; tum etiam ob id quod & in nobis & noſtrum eſt, at dignum non eſt, ut ſe quis propterea extollat aut magnificet. Proſapiæ namque & generis nobilitas, Magnatum favor, honor popularis, in nobis non ſunt : ſed aut in prædeceſſoribus, aut in aliena æſtimatione. Sunt qui ſuperbiunt, ſéque magnifaciunt, quod generoſo equo inſideant ; quod criſtam in pileo geſtent : quod ſplendidè veſtiantur. At quis non videt, quanta hæc ſit fatuitas ? Si qua enim in hac re ſit gloria ; ea aut equo, aut avi pennatæ : aut ſartori eſt attribuenda. Et, quam vile & abjectum eſt, famam ac gloriam ſuam equo, criſtæ, aut veſti eleganti acceptam referre ? Alij gloriantur, & ſe circumſpiciunt ob proſtantes alas & myſtaces barbæ ; ob barbam accuratè depexam, capillos criſpos, manus mollicellas : quòd ſcitè tripudient, ludant, cantent. Sed nonne hi inepti & abjecti, quod celebrari & aliquod reputationis ſuæ ac famæ incrementum à rebus adeò inanibus & ſtolidis emendicare conentur ? Alij ob unciam unam ſcientiæ honorari & coli ab omnibus volunt ; tanquam ſi omnes eos ceu oraculum conſulere, ſemper ab iis diſcere, & ipſos ceu Magiſtros habere deberent : hinc non immeritò Palæmones vocitantur. Alij ſe jactant ac venditant, dum ſuam conſiderant pulchritudinem ; putántque ſe ab omnibus propter eam coli & amari. Omnia hæc valdè ſunt vana, ſtolida, impertinentia ; & quæ à rebus adeò inanibus mutuatur gloria : vana, ſtulta & frivola appellatur.

Verum bonum eodem agnoſcitur modo, quò verum balſamum; balſami namque ſinceritas cognoſcitur & probatur : cùm id aquæ inſtillatur. Si enim fundum petat, & ad imum tendat: ipſum putiſſimum & pretioſiſſimum reputatur. Sic, ut ſciatur, num verè quis ſapiens, doctus, generoſus, nobilis ſit : diſpiciendum num ejus opera humilitatem, modeſtiam, & ſubmiſſionem ſpirent. Tunc namque vera futura ſunt bona. At, ſi ſupernatent, & eminere velint; bona ſunt eò minus vera : quò magis apparere volunt. Margaritæ, quæ ad ventum & tonitrui ſtrepitum conceptæ & nutritæ ſunt : nudum tantùm margaritarum corticem habent : nullam verò intus ſubſtantiam. Sic virtutes & præſtantes hominum qualitates naturæque dona, quæ in ſuperbia, ventoſitate & vanitate concepta & enutrita ſunt : nonniſi nudam boni apparentiam habent, introrſum ſucco, medullâ & ſoliditate deſtitutæ.

Honores, tituli, nomina, gradus & dignitates adinſtar croci ſunt: tunc melius creſcentis & lætiùs provenientis, cùm pedibus conculcatur. Pulchrum eſſe, honorificum & glorioſum non eſt : tunc cùm ſe quis ob formam circumſpicit & oſtentat. Pulchritudo enim, ut gratioſa ſit, & gratiam inveniat, negligi nec curari debet; ſic quoque ſcientia tunc nos dedécorat & deturpat : cùm nos inflat, & in vanam ſciolorum oſtentationem degenerat. Cùm de gradu, ſeſſione, titulo, & nomine nobis debito anxiè laboramus & tricamur; præterquam qualitates & merita noſtra aliorum examini, inquiſitioni & contradictioni exponimus : viles & abjectos nos reddimus. Honor quippe, dum ultrò offertur & donatur, pulchreſcit; ſordeſcit verò & turpis eſt: dum ſtudio exigitur, ambitur, & quæritur. Pavo dum oculatum pennarum ſuarum orbem explicat, ut ſe circumſpiciat; illas quidem ſpectandas exhibet : ſed reliqua corporis parte exhorreſcit; & quidquid turpe & deforme viſu in eo habet : aliis ſpectandum oſtendit. Flores pulchri ſunt dum in terra manent; at dum manibus contrectantur : marceſcunt. Qui mandragoram eminus in tranſitu olfaciunt; permultùm ex ea fragrantiæ percipere dicuntur ; qui cominùs & diù; præ ſtupore conſopiuntur : & morbum contrahunt. ita & honores ſuaves & conſolationi ſunt eos eminùs & leviter olfacientibus, nec efflictim & impensè illos conſectantibus : at iis ſeſe maximoperè oblectantibus in maximam infamiam & dedecus cedunt. Virtutis ſtudium & amor nos reddere incipit bonos; at honorum conſectatio & ambitus : contemptibiles & probroſos. Hinc animi generoſi & bene nati, illas debitorum graduum, honoris, ac ſalutationum ineptias & nugas : parvi faciunt & negligunt. Hoc quippe nugacium & abjectorum hominum proprium eſt. Margaritas habere qui poteſt, non ſe onerat conchyliis; ſic qui ſolam virtutem ſpectant : de honoribus nequaquam laborant, aut ſolliciti ſunt. Quiſque certè debito ſibi in gradu ac loco procedere, ſedere, & manere poteſt; nec tamen propterea humilitatem violare : dummodò

hoc non ſtudio & affectatè, ſed negligenter, & ſine ulla contentione fiat. Nam ſicut qui è Peruvia in Europam redeunt ⁊ præter aurum & argentum, quod inde exportant: etiam ſimios & pſittacos, (quòd parvo hi comparentur, nec magno navi ſint oneri) ſecum ferunt. Sic qui ad virtutem aſpirant ⁊ non propterea vetantur aut deſinunt gradus & honores ſibi debitos capere, dummodo hi ipſis magnâ curâ, impenſâ, & contentione non conſtent: & ſine aliqua turbatione, inquietudine, concertatione, & contentione res commodè fieri poſſit, ut ipſi inde non graventur. Non tamen de illis hîc loquor, quorum dignitas ad publicum refertur & ſpectat ⁊ uti nec de particularibus quibuſdam occaſionibus: è quibus alia majoris momenti mala aut bona conſequerentur. In his enim quiſque quod ſuum eſt, & ſibi debetur, tueatur oportet ⁊ cum prudentia tamen & diſcretione: quæ ſimul cum charitate & urbanitate ſit conjuncta.

Hæc eos maximè ſpectant qui in officiis & dignitate publica conſtituti ſunt. Sed Religioſi qui Chriſtum noviſſimum virorum effectum imitari profeſſi ſunt; longè ab hac honoris ratione diſcedere debent.

De humilitate quoad interiora. Lib. 3. Introduct. cap. 5.

DEſideras ſcio, Philothea, ut ulteriùs te in humilitatis via deducam: Facere enim ea quæ dixi: ſapientia potiùs quàm humilitas eſt appellanda. Quare jam ulteriùs progredior. [*In hoc capite edoceris qualiter ad virtutem generosè ferri debeas ⁊ nec eorum mentem ſequi qui ſibi timoris, diffidentiæ, & imbecillitatis laqueos componunt, ſuum ferendo intuitum ad extrema quædam quæ ſibi poſſibilia reputant: & ex eo poſſibili concepto ⁊ myſteria, propoſita, & exercitia arbitraria ſibi fingunt & imponunt: quibus eorum animus miſerè occupatur & diſtenditur. Quæ omnia in imaginario timore aut conceptu fundantur.*] Multi acceptas privatim à Deo gratias recogitare & conſiderare nec volunt, nec audent ⁊ metuentes ne vanam ex iis ſentiant gloriam: aut vanè ſibi ob eas complaceant. In quo certè graviter errant. Nam quoniam, ut docet magnus ille Doctor D. Thomas, vera ad amorem divinum pertingendi ratio: eſt penitior beneficiorum divinorum conſideratio. Hinc quò eadem magis cognoſcemus & conſiderabimus: eò illum magis amabimus. Et quia particularia beneficia longè potentius movent, quàm publica & communia: hinc illa etiam attentiùs conſideranda & perpendenda ſunt. Nihil certè ſic nos coram divina miſericordia humiliare poteſt, atque beneficiorum ab ea acceptorum multitudo ⁊ nihil quoque vice verſâ magis ante illius juſtitiam nos confundere: quàm flagitiorum & malefactorum noſtrorum multitudo. Conſideremus ergò quidnam ipſe noſtri cauſa fecerit, & quid nos in ipſum deliquerimus ⁊ & dum noſtra ſingillatim conſideramus peccata: conſideremus pariter omnes & ſingulas ab ipſo acceptas

gratias. Metuendum porrò non eſt, ne eorum quæ nobis contulit, cognitio ullatenus nos inflet, & ſuperbire faciat ∵ dummodo hanc ſemper veritatem præ oculis habeamus: nimirum, quidquid in nobis eſt boni, id nos à nobis ipſis non habere. An ideò muli ſtupidæ & fœtidæ deſinunt eſſe beſtiæ, quod pretioſam & odoratam Principis ſupellectilem tergo geſtent? *Quid autem* boni *habemus*, inquid Apoſtolus, *quod non acceperimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quaſi non acceperimus?* Et contrà viva & ſincera gratiarum acceptarum conſideratio nos reddit humiles: cognitio namque procreat recognitionem. Si verò, dum acceptas à Deo gratias conſideramus, aliqua nos forte vanitas titillet ∵ præſentiſſimum adversùs hanc inanitatem & gloriolam remedium erit: ingratitudines, imperfectiones & miſerias noſtras ante oculos ponere. Si nimirum conſideremus, quidnam Deo à nobis abſente fecerimus ∵ facilè agnoſcemus, ea quæ illo nobis præſente facimus: à nobis non provenire, nec noſtra eſſe. Verè quidem illis fruemur, & gaudebimus quod ea habeamus: Deum tamen ſolum, quia ipſe illorum eſt autor, glorificabimus, & laudabimus. Sic B. Virgo Deipara ingenuè quidem confitetur, Deum illi magna feciſſe: ſed id nonniſi ad ſeſe humiliandam, Deúmque magnificandum. *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum: quia fecit mihi magna qui potens eſt.*

Sæpè quidem dicimus, nos eſſe nihil & ipſam miſeriam ac mundi putredinem & vomicam ∵ doleremus verò, ſi quis in verbo nos caperet: & tales nos eſſe paſſim diceret, quales nos eſſe jactamus. Imò, velut fugam ſimulamus, & fictè nos abſcondimus: ut alij deinde nos inſequantur, & quæritent. Ita nos gerimus, quaſi ultimi eſſe, & in noviſſimo menſæ loco conſidére velímus; ſed non alio ſcopo, quàm ut majore cum laude & compendio ad honoratiſſimum locum tranſire cogamur. [*Hic tibi aperit univerſas amoris privati aſtutias.*] Vera humilitas non fingit ſe humilem eſſe, aut oſtendit; quin & pauca humilitatem ſpirantia verba proloquitur. Etenim non alias ſolùm virtutes tegere & abſcondere geſtit: ſed etiam & præcipuè ſeipſam. Imò ſi mentiri, fingere, vel proximò ſcandalum aliquod dare ſibi liceret ∵ quoſdam arrogantiæ & præſumptionis actus ederet: ut ſub iis ſe celaret, & ſic planè incognita & occulta eſſet. Hoc ergò tibi hac in re conſulo, Philóthea ∵ aut nulla humilitatis verba proferamus: aut vero internóque cum ſenſu, qui cum verbis eatenùs prolatis conveniat & reſpondeat, illa proferantur. Neque oculos in terram dejiciamus, niſi ſimul corda noſtra humiliemus ∵ non denique ſimulemus, oſtendamuſque, ultimos nos eſſe velle: quin ex animo ultimi eſſe velímus. Hanc porrò regulam adeò generalem duco: ut nullam eam pati exceptionem exiſtimem. Hoc duntaxat addo, ipſam urbanitatem exigere, ut potiores partes ſubinde deferamus eis, qui apertè eas accepturi non ſunt: neque eſt id idcircò aut duplicitas, aut falſa humilitas. Nam tunc vel ſola potioris loci oblatio,

aliquod eſt honoris initium; cùmque totum honorem iis cedere non poſsimus : non malè certè facit is, qui illius principium dabit. Idem de verbis quibuſdam honorificis alteri dictis ſentio; quæ etſi non videantur eſſe vera, ſatis tamen vera ſunt : ſi ea proferentis animus veram eum in cujus gratiam illa dicit, honorandi & colendi intentionem habeat. Licet enim ipſa verba quodam cum exceſſu & exaggeratione, id quod dicimus ſignificet; malè tamen non facimus, dum ea uſurpamus, quæ communis uſus à nobis exigit. Tametſi, ut verum fatear, vellem, verba cum affectibus noſtris & ſenſu, quàm fieri poteſt proximè, coinciderent : quò ubique & in omnibus, cordialem quamdam ſimplicitatem & candorem præferremus. Qui verè humilis eſt, mallet, ut alius illum miſerabilem, nihili ac nullius pretij hominem eſſe diceret : quàm ut ipſe talia de ſe dicat. Saltem ſi ab aliis talia de ſe dici nôrit; minimè iis contradicit aut negat : ſed libenter iis acquieſcit. Cùm enim firmiter de ſe ea ipſe credat : ſuæ opinionis & alios eſſe, & idem de ſe ſentire gaudet. [*Hæc attentiùs obſerva : enim verò argentum à ſcoria ſapienter diſcernere te edocent.*] Multi dicunt, mentalem orationem ſe perfectis relinquere : ſe enim minimè dignos eſſe qui illam faciant. Alij idcircò ſe ſæpius communicare non audere, quod ſe ad hoc ſatis puros non eſſe deprehendant; alij verò, ideò ſe à frequenti communione abſtinere : quòd vereantur ne quam devotioni infamiam & probrum, ob magnam ſuam miſeriam & fragilitatem creent. Alij, ideò talentum ſuum Dei & proximi ſervitio impendere recuſant; quòd, non (ut dicunt) fragilitatem perſpectam habeant, ſed quod metuant, ne, ſi boni alicujus cauſa ſint & inſtrumentum, ſuperbiâ ideò inflentur : & alios illuminando, ipſimet interim peccent, & conſumantur. Omnia hæc ficta ſunt & ſimulata, & humilitas non affectata tantùm, ſed & maligna; quâ quis tacitè & ſubtiliter ſugillare præſumit quæ Dei ſunt : aut ſaltem proprium ſuæ opinionis, humoris & acediæ ſuæ amorem ſpecioſo quodam humilitatis velamine tegere conatur.

Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà, ait Propheta ſceleſto Regi Achab : cui hic reſpondet, *Non petam, & non tentabo Dominum.* Sceleſtus & impius, ecce, præfert quidem eatenùs magnâ ſe ergà Deum reverentiâ ferri; & ſub ſpecioſo quodam humilitatis prætextu : excuſat ſe quominus ad gratiam ad quam divina ejus bonitas illum invitat, aſpiret. At non videt, quòd dum Deus nobis gratificari vult, ſuperbiæ ſit : ejus dona & oblata recuſare. Et vice verſa ſignum humilitatis, obedire : ac voluntatem, ac deſiderium ejus quàm poſſumus, proximè ſequi. Porrò, Dei voluntas ac deſiderium eſt ; ut ſimus perfecti, ei quàm poſſumus proximè nos uniendo, & eum imitando. Superbus qui in ſeipſo tantùm ſpem ac fiduciam collocat : magnam ſanè nihil aggrediendi occaſionem habet. At humilis eò eſt generoſior, quò ſe impotentiorem agnoſcit; & qui ſe miſeriorem exiſtimat, eò fit

audacior & fortior, quòd omnem ſuam fiduciam in Deo habeat: qui ſuam in noſtra infirmitate omnipotentiam magnificare, & ſuper noſtram miſeriam ſuam miſericordiam extollere gaudet. Humiliter ergò & ſanctè aggrediendum eſt, quidquid ad profectum noſtrum ſpectare & expedire: animarum noſtrarum directores judicabunt.

Cogitare te ſcire id quod neſcis, aperta fatuïtas eſt; fingere quoque te ſcire, quòd apertè noſti te neſcire; intolerabilis quædam vanitas eſt. Equidem vellem, nec ſimulare me ſcire id quod revera ſcio: uti nec contrà me ignorare quod de facto ignoro. [*Hinc diſce ſapientem modum utendi acceptis donis.*] Cùm ergò charitas exigit; primò candidè & amicè communicandum eſt, non id ſolum quod àd ejus inſtructionem abſolutè neceſſarium eſt: ſed & quidquid ad ejus conſolationem utile eſt & expediens. Humilitas namque quæ virtutes abſcondit & occultat, quò eaſdem conſervet; ſimul etiam eas exerit & oſtendit, (cum id charitas requirit:) quò eaſdem adaugeat, amplificet & perficiat. Qua in re arbori illi ſimilis eſſe videtur quæ in inſulis Tyli enaſcitur, per noctem rubicundos flores ſuos occludenti, & nonniſi ſole exoriente eos recludenti: (quos propterea inſulani noctu dormitare dicunt.) Sic namque humilitas omnes noſtras virtutes & perfectiones humanas tegit & operit: & nonniſi charitate exigente eas exerit & prodit. Quæ cùm cæleſtis ſit virtus, non humana; non mortalis, ſed divina: verus virtutum Sol eſt, in quas ipſa ſemper debet dominari. Adeò ut humilitas, quæ charitati præjudicat: haud dubiè falſa eſt.

Vellem me nec ſtolidum nec ſapientem oſtentare; ſi enim humilitas me impedit, quominùs ſapientem fingam: ſimplicitas certè & candor me impedient ſtoliditatem fingere. Et cum vanitas humilitati contraria ſit: artificium certè, affectatio & ſimulatio, candori & ſimplicitati adverſantur. Nam tametſi illuſtres quidam ſancti ſtultitiam aliquando ſimulârint; quò in mundi oculis abjectiores & viliores apparerent: hi tamen admirandi potius ſunt, quàm imitandi. Quaſdam namque ipſi rationes ad hunc exceſſum faciendum habuêre quæ ipſis adeò peculiares & extraordinariæ fuêre: ut nullus ex illis pro ſe argumentari queat. [*Extraordinarias quorundam Sanctorum actiones rectè intelligere hic edoceris.*] Sic David Rex liberiùs & effuſiùs paulò coram arca fœderis ſaltabat & tripudiabat, quàm ordinarium & commune decorum permitteret; non quod hìc agere morionem vellet; ſed ſimpliciter, nativè, & ſine ulla affectatione pro inſolita & exceſſiva, quàm in corde ſuo ſentiebat, alacritate motus hos exteriores edebat. Unde cùm uxor ejus Michol irrideret, ille in nativa, ſincera & vera gaudij ſui expreſſione pergens & perſeverans: non parùm ſe gaudere oſtendit, quod pro nomine Dei ſui aliquo modo vilipenderetur & exſibilaretur. Quàmobrem, ſi propter aliquos veræ & ſinceræ devotionis actus ab aliis vilis, abjecta aut fatua æſtimaris; humilitas certè te ob beatum hoc opprobrium,

cujus cauſa non tu, ſed ipſimet exprobrantes & irridentes ſunt: gaudere & exultare faciet.

Quòd in veritate & humilitate coram Deo converſandum eſt. Lib. 3. de Imitatione, cap. 4.

Salvator.

1. Fili ambula coram me in veritate: & in ſimplicitate cordis tui quære me ſemper. Qui ambulat coram me in veritate; tutabitur ab incurſibus malis: & veritas liberabit eum à ſeductoribus, & detractionibus iniquorum. Si veritas te liberaverit, verè liber eris: & non curabis de vanis hominum verbis.

Discipulus.

Domine verum eſt ſicut dicis: ita, quæſo, mecum fiat. Veritas tua me doceat; ipſa me cuſtodiat: & uſque ad ſalutarem finem conſervet. Ipſa me liberet ab omni affectione mala, & inordinata dilectione: & ambulabo tecum in magna cordis libertate.

Salvator.

2. Ego te docebo, ait Veritas, quæ recta ſunt, & placita coram me. Cogita peccata tua cum diſplicentiâ magna & mœrore: & nunquam te reputes aliquid eſſe propter opera tua bona. Revera peccator es: & multis obnoxius paſſionibus & implicatus. Ex te ſemper ad nihil tendis; citò laberis, citò vinceris, citò turbaris: citò diſſolveris. Non habes quidquam unde poſſis gloriari; ſed multa unde te debeas vilificare: quia multò infirmior es, quàm valeas comprehendere.

3. Nihil ergò magnum tibi videatur ex omnibus quæ agis. Nihil grande, nihil pretioſum & admirabile; nihil reputatione appareat dignum: nihil altum, nihil verè laudabile, ac deſiderabile, niſi quod æternum eſt. Placeat tibi ſuper omnia æterna veritas: diſpliceat tibi ſuper omnia ſemper maxima tua vilitas. Nihil ſic vituperes, ſic timeas, ſic fugias, ſicut vitia & peccata tua; quæ magis diſplicere tibi debent: quàm quælibet rerum damna. Quidam non ſincerè coram me ambulant; ſed quadam curioſitate atque arrogantiâ ducti volunt ſecreta mea ſcire, & alta Dei intelligere: ſe ac ſuam ſalutem negligentes. [*Hunc locum attentè obſerva; qui tibi denotat ſtatum in quo quàm plurimi homines ſcientiâ & doctrinâ præditi verſantur; qui omnia ſuo judicio definire præſumunt & ſuo ſenſui ſubdere. Quid autem ſcientia abſque humilitate pariat; hinc collige.*] Hi ſæpe in magnas tentationes & peccata propter ſuam ſuperbiam, & curioſitatem; me eis adverſante, labuntur.

4. Time judicia Dei, expaveſce iram Omnipotentis. Noli autem diſcutere opera Altiſſimi; ſed tuas iniquitates perſcrutare in quantis deliquiſti: & quàm multa bona neglexiſti. Quidam portant ſuam de-

votionem

votionem ſolum in libris ⁊ quidam in imaginibus: quidam autem in ſignis exterioribus & figuris. Quidam habent me frequenter in ore: ſed modicùm in corde. Sunt alij qui intellectu illuminati, & affectu purgati ⁊ ad æterna ſemper anhelant: de terrenis graviter audiunt ⁊ neceſſitatibus naturæ dolenter inſerviunt: & hi ſentiunt quid Spiritus veritatis loquitur in eis. Quia docet eos terrena deſpicere: & amare cæleſtia ⁊ mundum negligere: cælum tota die ac nocte deſiderare.

De humili ſubmiſſione. Lib. 2. de Imitatione. Cap. 2.

1. NOn magni pendas quis pro te, vel contra te ſit: ſed hoc age & cura, ut Deus tecum ſit in omni re quam facis. Habeas conſcientiam bonam: & Deus benè te defenſabit. Quem enim Deus adjuvare voluerit: nullius perverſitas nocere poterit. Si tu ſcis tacere & pati: videbis procul dubio Domini auxilium. Ipſe novit tempus & modum liberandi te: & ideò debes te illi reſignare. Dei eſt adjuvare, & ab omni confuſione liberare. Sæpè valde prodeſt ad majorem humilitatem conſervandam: quòd defectus noſtros alij ſciant & redarguant.

2. Quando homo pro defectibus ſuis ſe humiliat ⁊ tunc facilè alios placat & leviter ſatisfacit ſibi iraſcentibus. Humilem Deus protegit & liberat ⁊ humilem diligit & conſolatur: humili largitur gratiam magnam: & poſt ſuam depreſſionem levat ad gloriam: humili ſua ſecreta revelat: & ad ſe dulciter trahit & invitat. Humilis accepta contumelia & confuſione, ſatis benè eſt in pace: quia ſtat in Deo, & non in mundo. Non reputes te aliquid profeciſſe: niſi omnibus inferiorem te eſſe ſentias.

Nihil deſiderari poteſt in lucida explicatione hîc tibi tradita principiorum veritatis, ſed ex praxi probatiora tibi fient & notiora.

LECTIO TRIGESIMA QUARTA.

De amanda propria abjectione per humilitatem: & qua ratione humilitatem ſervando, propriæ famæ conſuli poſſit. De tolerantia injuriarum: & contra linguas obtrectatorum.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

JESUS, ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum ⁊ extra portam paſſus eſt: exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes. Epiſt. ad Hebræ. cap. 13. v. 12.

Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum; ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros: in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis. Epiſt. 2. ad Cor. cap. 6. verſ. 3.

Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive regi, quaſi præcellenti, ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Epiſt. 1. Petri cap. 2. verſ. 13.

Alij diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem: ut meliorem invenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti; inſuper & vincula & carceres; lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt: in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis; in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. Epiſt. ad Hebræ. cap. 11. v. 35.

Beati eritis cum vos oderint homines; & cum ſeparaverint vos, & exprobraverint: & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate; Ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælo: ſecundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. Luc. cap. 6. verſ. 22.

Hæc ſacri Textûs verba propriam abjectionem amare edocent: cùm propter te illam Chriſtus amplexus ſit. Ibi habes optimum modum famam tuam ſervandi; ac demum quo animo injuriæ & maledicta ſint excipienda. Sed eorum praxim Doctor uterque fuſiùs edocebit.

Quòd humilitas ad amorem propriæ abjectionis nos ducit. Lib. 3. Introductionis, cap. 6.

Ulterius progredior, Philóthea; & dico tibi, propriam te tuiipſius abjectionem: in omnibus, & per omnia debere diligere. At quid ſibi vult, inquies, tuiipſius diligere abjectionem? Abjectio idem apud Latinos ſonat, quod humilitas: adeò ut, cùm Beata Virgo in ſacro ſuo Cantico dicit, ideò ſe ab omnibus generationibus beatam dicendam, quòd *ancillæ ſuæ humilitatem* Dominus *reſpexiſſet*; dicere & ſignificare velit: Dominum ideò abjectionem, vilitatem & parvitatem ſuam benignè & gratanter conſideraſſe, quò eam gratiis & favoribus cumularet.

Aliqua tamen eſt inter virtutem humilitatis, & abjectionem differentia; abjectio namque eſt ipſamet parvitas & vilitas, quæ etiam non cogitantibus nobis in nobis eſt: at virtus humilitatis vera abjectionis noſtræ cognitio & voluntaria agnitio eſt. Porrò humilitatis hujus apex & pars digniſſima in eo ſita eſt: ut non ſolùm ultrò, libenter, & voluntariè abjectionem noſtram agnoſcamus; ſed eam quoque diligamus, in

eáque nobis complaceamus: idque non ex aliquo animi excelſi aut generoſitatis defectu, aut inertia; ſed ut divinam Majeſtatem eo magis exaltemus: & proximum noſtri ipſorum reſpectu pluris faciamus. Atque hoc eſt, ad quod te exhortor; quod ut meliùs intelligas: nôris oportet, inter ea quæ patimur mala, alia eſſe abjecta; alia aliquo cum honore conjuncta: multi quidem malis honorabilibus ſe accommodant, ſed vix ullus abjectis. Occurrat pius aliquis anachoreta, pannoſa & detrita in veſte, & præ frigore rigeſcens; omnes veſtem ejus detritam honorant: & tolerantiæ ejus compatiuntur. At ſi pauper aliquis operarius, vir nobilis pauper, aut domicella pauper tali in ſchemate appareant; vilipenduntur, irridentur; itáque paupertas eorum abjecta eſt. Religioſus aliquis à ſuo ſuperiore; aut filius quiſpiam à patre, durioribus verbis corripietur: omnes hoc mortificationem, obedientiam, & ſapientiam eſſe dicent. Vir nobilis, & domicella quæpiam, idem contumeliæ & amariorum verborum genus ab alio datum patientur; &, quamvis ex amore Dei id æquanimiter tolerent: omnes tamen id inertiam & ignaviam eſſe dicent. Ecce & aliud abjectum malum. Laborabit fœdo quiſpiam cancro in brachio, alius verò in vultu; ille nonniſi malum & morbum ſuum habet: hic verò præter malum, etiam contemptum, averſionem & abjectionem aliorum patietur. Dico ergò jam non ſolùm malum ipſum eſſe diligendum (quòd per virtutem fit patientiæ;) ſed & abjectionem amandam quòd per humilitatis virtutem fiet. [*Hoc eſt voluntario & virtuoſo eum diligere rationis affectu: qui naturales contradictiones ſuperet & compellat.*]

Adde quòd virtutum aliæ abjectæ, aliæ honorificæ & cum aliquo honore conjunctæ ſunt. Sic patientiam, manſuetudinem, ſimplicitatem, & hanc ipſam humilitatem, mundani ut viles & abjectas reputant: è contra prudentiam, generoſitatem, fortitudinem & liberalitatem permagni faciunt. Prætereà unius & ejuſdem virtutis actiones, aliæ ſunt contemptibiles, aliæ honorabiles; ſic eleemoſynam dare, & injurias remittere: duo ſunt charitatis actus. Primus ab omnibus honoratur & magnificatur: alius in oculis hominum contemptibilis apparet. Adoleſcens quoque aut puella ingenua, qui in ſodalitio aliquo diſſoluto, reliquorum diſſolutionem; & effrænem in loquendo, ludendo, tripudiando, potando, veſtiendo effuſionem non ſequentur: ab aliis exſibilabuntur & notabuntur. Eorúmque modeſtia aut ſimulata pietas, aut affectatio vocabitur. Hoc porrò diligere & ſequi: ſuam eſt diligere abjectionem. En tibi & aliud exemplum. Si, dum plures ad ægros & morbidos inviſendos mittimur; ego viliſſimum & paupertimum viſitare jubear: abjectio quædam id mihi ſecundum ſeculi judicium erit. Quamobrem illam amabo. Si verò ad nobiliores ægros mittar; quædam illud eſt ſecundum ſpiritum abjectio: quoniam tantum virtutis ac meriti in eo non latet. Quare aliam illam abjectionem quæram. Si in plateis quis

Ff ij

prolabatur ; præter dolorem, etiam aliquam ſubit infamiam: quarè illam abjectionem diligere oportet. [*Obſerva qualiter S. Doctor te edoceat omnia in virtutem convertere ; ad id enim omninò contendit ut omnia fiant in ſpiritu: & quicquid materiale eſt, in ſpirituale convertatur.*

Imò verò, etiam imperfectiones quædam ſunt: in quibus præter ipſam abjectionem nullum omninò continetur malum. Cæterùm non exigit humilitas, ut expreſsè & dato ſtudio committantur ; requirit tamen ne quis, dum eas fortè commiſit: propterea multum turbetur, aut ſeſe inquietet. Hujuſmodi ſunt leviculæ quædam ineptiæ, inurbanitates, & inadvertentiæ ; quæ vitandæ & cavendæ ſunt, antequam committantur: quò urbanitati & prudentiæ mos geratur. Sed dum admiſſæ ſunt, ferenda abjectio eſt, quæ inde nobis pròvenit: eáque ultrò, quò ſanctam humilitatem ſequamur, acceptanda. Addo ulteriùs, ſi fortè ex iracundia, aut diſſolutione quadam, in indecentia verba proruperim, quibus & Deus & proximus offendatur ; illorum ſummoperè me mox pœnitebit: & ob offenſam illam maximè dolebo, dabóque operam, ut quàm poſſum optimè, eam reſarciam. Abjectionem nihilominus & contemptum, qui inde me conſequitur, æquo animo ſubibo & ſuſtinebo ; & , ſi unum ab altero disjungi poſſet: peccatum ferventer à me abdicarem, & abjectionem humiliter retinerem. [*Hîc genuinum dolorem ſive pœnitere, ab eo ſecernere edoceris qui privato amore mixtus eſt; quique potiùs ex propriæ abjectionis ſenſu, quam ob perpetratum peccatum oboritur.*]

Verùm etſi, abjectionem, quæ nobis è malo ipſo ſequitur, diligamus ; nihilominus malo, quod eam cauſavit: per convenientia, & legitima media medendum eſt. Si abjectum aliquod in vultu ulcus aut malum habeam ; operam quidem dabo ut ipſum à medico curetur: ita tamen, ut abjectionem quam inde recepi, oblivioni non tradam. Si quid facto admiſi, quod neminem læſit aut offendit: meipſum propterea non excuſabo. Nam licet defectus quidam & imperfectio ſit: non eſt tamen diuturna. Poteram ergò me ſolummodò excuſare propter abjectionem indè mihi provenientem: verùm humilitas id non permittit. At ſi inadvertenter, aut è levitate quadam aliquem offendi aut ſcandalizavi ; verâ aliquâ excuſatione offenſam reparabo: eò quod malum permanens ſit, & charitas ad illud delendum & eluendum me obliget. Cæterùm requirit interdum charitas, ut ad proximi utilitatem, cui bonum noſtrum nomen neceſſarium eſt: ut abjectionem noſtram excuſemus. Sed hoc in caſu abjectio noſtra ab oculis proximi eſt ſubmovenda & tollenda, ad eius ſcandalum impediendum: at in corde includenda & abſcondenda eſt, ut ſic illi bono ſimus exemplo.

At noſſe forſan cupis, Philothea quænam optimæ ſint abjectiones ; dico ergò tibi apertè, eas inter omnes & animæ utiliſſimas, & Deo gratiſſimas eſſe: quæ nobis fortuito caſu, aut ex vitæ noſtræ ſtatu &

conditione accidunt ; quòd ipſi eas non elegerimus aut quæſierimus:ſed eas tales admiſerimus, quales eas Deus nobis immiſit, cujus electio melior eſt, quàm noſtra. [*Nota ſui abnegationem ad omnia extendi ; & ex hoc loco collige: quæ de propriæ voluntatis electione ſcienda ſunt.*] Si enim facienda ſit electio: majores haud dubiè meliores ſunt. Eæ autem majores reputantur ; quæ inclinationibus & propenſionibus noſtris magis adverſantur ac repugnant: dummodò ſtatui ac profeſſioni noſtræ conformes ſint. Nam, ut ſemel omninò loquar, noſtra electio & optio omnes propè virtutes deſtruit, & imminuit. [*Præſtantiores internæ mortificationis Regulæ hic habentur ; & his omninò intendendum: ſi homo interior effici cupias.*] Quis porrò nobis det, ut cum magno illo Rege dicere poſſimus ; *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum?* Nullus alius id nobis dare poteſt, cariſſima Philothea ; quàm is qui, ut nos exaltaret, ita vixit & mortuus eſt: ut fuerit *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Multa tibi dixi, quæ dum animo tantùm pervolues & conſiderabis, dura tibi & gravia videbuntur ; at, ubi ad praxim ea rediges,& opere exequêris: ſaccharo & melle, mihi credas velim, dulciora tibi videbuntur.

Quâ ratione humilitatem ſervando propriæ famæ poſſit conſuli. Lib. 3. Introductione. Cap. 7.

NOn ob ſimplicem aliquam virtutem homines vulgò laudantur, extolluntur, honorantur, ac gloriâ afficiuntur: ſed ob excellentem & egregiam. Etenim per laudem, aliis perſuadere & inducere volumus, ut aliquorum excellentiam magni faciant ; per honorem oſtendimus & ſignificamus: nos etiam illam maguo in pretio hahere. Gloria porrò aliud meo quidem judicio non eſt, quàm quidam reputationis fulgor & ſplendor: è pluribus laudibus & honoribus conjunctis reſultans. Adeò, ut honores & laudes velut gemmæ ſint: è quarum copia & abundantia gloria velut encauſtum quoddam procedit. Porrò ſicut humilitas ferre nequit, ut aliquo modo nobis ipſi perſuadeamus, nos aliis hominibus excellere aut præferri debere ; ita quoque permittere nequit, ut aliquam laudem, honorem & gloriam, quæ ſoli excellentiæ debentur, ambiamus: licet conſilium Sapientis ſuadentis ut famæ noſtræ curam & rationem habeamus, non improbet, ſed ſequatur. Bona namque fama non indicium alicujus excellentiæ ; ſed tantùm ſimplicis & vulgaris cujuſdam probitatis & vitæ integritatis: quam ut in nobis ipſis agnoſcamus humilitas non impedit: nec conſequenter quominus ejus laudem quæramus. Humilitas quidem, fateor, famam non curaret, ſed contemneret: ſi charitas eâ opus non haberet. Sed quia hæc è ſocietatis humanæ fundamentis unum eſt: & ſine ea

proximo non inutiles ſolùm, ſed & noxij ſumus, propter ſcandalum quod inde patitur: hinc charitas requirit, & humilitas ſinit, ut eam & quæramus, & quàm diligentiſſimè conſervemus. [*Sancti Doctoris prudentiam hic adverte, qui veritatis inſinuandæ modum, rectum, rationabilem, ac eorum, quos inſtruit, ſtatui conformem ſequitur*; *ſed pro certo habeas, illos etiam qui ad perfectionem ex profeſſione tendere debent: ad ſublimiora quæque & perfectiora perventuros, ſi hiſce diſcretionis Regulis firmiter inſtiterint.*

Præterea, quemadmodum frondes arborum, quæ ex ſeipſis ſatis viles & parvi pretij ſunt, ad multa tamen utiles ſunt: non ſolùm ad eas decorandas; ſed etiam ad earum fructus, quamdiu teneriores ſunt: adverſus exteriores injurias conſervandos; ſic bonum nomen licet ex ſe non magni pretij & valoris ſit: nihilominus maximam adferre utilitatem ſolet. Quia non ſolùm ad vitæ noſtræ ornatum: verùm etiam ad virtutum noſtrarum, præſertim dum eæ adhuc teneræ & fragiles ſunt, conſervationem, defenſionémque mirè faciat. Famæ noſtræ conſervandæ jus animum generoſum ſuavi violentiâ cogit, ut talis hominibus appareat, qualis vulgò eſſe creditur. Conſervemus, cariſſima Philothea, virtutes noſtras: eò quòd Deo, qui ſummum & ſupremum omnium operum noſtrorum objectum eſt, ſint acceptæ. Sed quemadmodum fructus æſtivales in hiemem conſervare ſtudentibus ſatis non eſt, eos ſaccharo condire; ſed præterea thecis & vaſculis quibuſdam, iiſdem conſervandis accommodis, eos includunt: pari modo, etſi primarius virtutum noſtrarum conſervator & cuſtos ſit amor divinus: nihilominus bonum nomen & famam, tanquàm ad hoc cumprimis utile & conveniens: huc etiam impendere & adhibere poſſumus. [*Hæc ſeculares maximè ſpectant*; *& omnia Sanctus Doctor prudenter adhibet: quibus ſenſim & blandè ad virtutis ſtudium & pietatis affectum adducamur. Sed Religioſi qui vitam humilem, abſconditam abjectámque profeſſi ſunt: debent procul à ſe rejicere pruritum & deſiderium famæ & magnæ opinionis hominum*; *illaſque potius timere quam optare aut quærere: quippe quæ periculi plenæ ſint. Quæ igitur in præcedenti capite dicta ſunt debet ſibi applicare, & ſtudium propriæ abjectionis ſibi aſſumere.*]

Videndum tamen, ne in hujus conſervatione nimis ferventes, exacti & ſcrupuloſi ſimus; qui enim in fama & nomine ſuo conſervando adeò ſtudioſi & attenti ſunt: ſimiles haud dubiè ſunt iis, qui etiam in minima indiſpoſitione & incommodo corporis medicamenta ſumunt. Hi namque dum valetudinem ſuam conſervare & tueri ſe putant: eam potius de facto deſtruunt. Sic illi dum famam ſuam ta maccuratè & delicatè tueri geſtiunt: eam prorſus amittunt. Etenim per nimiam hanc famæ curam litigioſi, tetrici, & aliis intolerabiles fiunt: & detrahentium malignitatem provocant.

Ipſa injuriæ, calumniæque diſſimulatio & contemptus, utplurimum

magis ad eas obtegendas & curandas juvat: quàm earumdem ſenſus, pervicax in contrarium contentio,& earum vindicta. Contemptus quippe facit, ut mox evaneſcant ; & ſi quis propter illas indignetur: ſe illas approbare & veras eſſe oſtendit.

Crocodili non nocent, niſi metuentibus ; ſic nec detractio & maledicentia aliis: quàm ob eam indignantibus, ac ſeſe torquentibus..

Immoderatus famæ perdendæ timor ; magnam de fundamento ejuſdem (quod eſt, bonæ vitæ veritas:) diffidentiam oſtendit. Civitates, quæ ſuper latiſſima flumina nonniſi ligneos pontes habent ; timent: ne ad eorumdem inundationem vorticibus aquarum abripiantur. At quæ lapideos: nonniſi extraordinarias inundationes timent. Sic qui animam ſolidè Chriſtianam, & benè fundatam habent ; ut plurimùm nullos linguarum virulentarum exceſſus & inundationes metuunt: at qui ſe fragiles ſentiunt, ad quodlibet verbum tribulantur & inquietantur. Sanè quiſquis bonum apud omnes nomen habere & reputationem ſatagit, ipſam apud omnes è contra amittit ; & ille honorem perdere dignus eſt: qui ipſum mutuari vult ab iis, quos vitia verè infames & probroſos reddunt.

Fama velut interſignum eſt: quo agnoſcitur ubi virtus habitet: unde virtus in omnibus, & per omnia illi præferenda eſt. Quapropter, ſi eò quòd te devotioni applices, homines te, ut hypocritam reputent ; ſi, quod offenſam offendenti remiſeris, ignavum & puſillanimem; omnia hæc flocci pende. Nam præter quam quod, hæc judicia ab hominibus nullius ferè nominis fiunt ; etiamſi famæ jactura facienda eſſet, non idcircò deſerenda eſſet virtus, nec ab illius ſemita declinandum: quòd fructum frondibus, id eſt, interius & ſpirituale bonum bonis omnibus exterioribus præferri par ſit. Famæ noſtræ nos oportet zelatores eſſe non idololatras ; & ſicut bonos non debemus offendere: ita nec placere improbis. Barba decus formæ virilis eſt: capillitium & coma faciei mulierum. Si quis ergo à mento pilos, & comam à capite eis revellat: ægerrimè repullulabunt. At ſi duntaxat detondeantur: facilimè poſteà, & ſpiſſiores quidem ſuccreſcent. Pari modo licèt fama præſcindatur, imò etiam de facto radatur à lingua maledici (quæ ut Propheta loquitur, adinſtar acutæ novaculæ eſt): non eſt quod inde ullo modo turbemur. Etenim ipſa non multò poſt repullulabit non ſolum æquè illuſtris ac erat priùs: Verum etiam ſolidior ac celebrior. At ſi vitia inertiâ noſtrâ & improbâ vitâ bonum nobis nomen auferant: vix unquam renaſci & reparari poterit, radice nimirum ejus evulſâ. Famæ autem radix eſt bonitas & probitas, quæ quamdiù in nobis vivent, ſemper poſſunt honorem nobis debitum reproducere. [*Quamvis hæc omnia ſeculares ſpectent ; utiliter tamen poſſunt inſervire Religioſis ad plurima rectè diſcernenda; de quibus juxta rectæ rationis ac juſtitiæ principia judicandum eſt ex reſpectu ad varios & diverſos ſtatus ſingulorum.*]

Vana illa converſatio, inutile illud contubernium ; frivola illa amicitia, & procax illa familiaritas ſunt omninò relinquenda: eò quòd famæ detrimentum afferant. Pluris quippe valet fama: quàm quælibet inanis voluptas. At ſi ob pietatis ſtudium, progreſſum in devotione, & boni æterni curam & conſectationem nobis homines detrahant, murmurent & calumnientur: ſinamus moloſſos illos ringentes adverſus Lunam latrare. Etenim licet ſiniſtram aliquam contra nomen noſtrum opinionem excitent, itáque famæ noſtræ barbam & capillos velut proſcindant, imò & nudent: non eſt tamen quod turbemur: brevi quippe eadem renaſcetur ; & maledicentiæ, detractionisque novacula honori noſtro præſtabit id, quod falcula vineæ: quam feraciorem & botris onuſtiorem reddit. [*Hæc omnia etiam Religioſis planè convenient ; ſi verſa phraſi mutatiſque terminis; ad leviores tranſgreſſiones, vanas occupationes, affectuſque ad inutilia transferantur.*]

In Jeſum Chriſtum crucifixum oculos noſtros identidem conijciamus ; cum fiducia & ſimplicitate, ſapienter & diſcretè tamen, in ejus obſequio ambulemus: ipſe famæ noſtræ protector & cuſtos erit. Quòd ſi eam nobis eripi permittat ; non id aliter permittet, quàm ut nobis eam meliorem reddat: vel in ſancta nos humilitate, cujus vel una uncia pluris valet, quam mille honorum libræ: proficere & progredi faciat. Si injuſtè & immeritò ſugillamur ; calumniæ veritatem placidè velut clypeum obijciamus: ſi nihilominus illa perſeveret, nec diſſipetur ; nos quoque in nobis humiliandis perſeveremus: famam noſtram ſimul & animam in Dei manus reſignantes. Neque enim tutiori eam aſylo & templo concredere poſſemus. Serviamus Deo, *per infamiam & bonam famam*, ad imitationem Apoſtoli ; ut cum Pſalmiſta dicere poſſimus: *Propter te*, Deus meus, *ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam.* [*Hic obſerva Sanctum Doctorem omnia proponere & explicare modo tam juſto & rationabili ; ut omnes convictos efficiat de juſtitia & neceſſitate adimplendi ea quæ exponit: ſed nihilominus omnia ad centrum altioris perfectionis tandem adducere.*]

Quædam tamen hic excipio flagitia & crimina, adeò certè atrocia & infamia, ut, dum quis ea juſtè à ſe amoliri poteſt, calumniam eorum ſuſtinere ac ferre æquanimiter non debeat ; nec non certas quaſdam perſonas: à quarum bona fama & nomine plurimorum pendet ædificatio. Hoc quippe in caſu fama eſt pacificè ac tranquillè ab injuria, juxta Theologorum ſententiam, vindicanda.

Iam alterius Doctoris monita perfectionis ſtatui convenientia diligentiùs auſculta.

De tolerantia injuriarum : & quis verus patiens probetur Lib. 3. de Imitatione cap. 19.

Salvator.

1. Quid eſt quod loqueris, fili ? Ceſſa conqueri : conſiderata mea & aliorum Sanctorum paſſione. *Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſti.* Parum eſt quod tu pateris in comparatione eorum qui tam multa paſſi ſunt; tam fortiter tentati ˥ tam graviter tribulati ; tam multipliciter probati & exercitati. Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere; ut leviùs feras tua minima. Et ſi tibi minima non videntur ; vide ne & hoc tibi faciat tua impatientia. Sive tamen parva ſive magna ſint, ſtude cuncta patienter ſufferre.

2. Quantò meliùs ad patiendum te diſponis ˥ tanto ſapientiùs agis, & ampliùs promereris ; & feres leviùs animo & uſu ad hoc non ſegniter paratus. Nec dicas ˥ Non valeo hoc à tali homine pati, nec hujuſcemodi mihi patienda ſunt : grave enim intulit damnum, & improperat mihi quæ nunquam cogitaveram ; ſed ab alio libenter patiar, & ſicut patienda videro. Inſipiens eſt talis cogitatio ˥ quæ virtutem patientiæ non conſiderat, nec à quo coronanda erit ; ſed magis perſonas, & illatas ſibi offenſas perpendit.

3. Non eſt verus patiens qui pati non vult ; niſi quantùm ſibi viſum fuerit, & à quo ſibi placuerit. Verus autem patiens non attendit à quo homine ˥ utrum à Prælato ſuo, an ab aliquo æquali, aut inferiori : utrum à bono & ſancto viro, vel à perverſo & indigno exerceatur. Sed indifferenter ab omni creatura quantumcumque, & quotieſcumque ei aliquid adverſi acciderit ˥ totum hoc gratanter de manu Dei accipit, & ingens lucrum reputat : quia nihil apud Deum quantumcumque parvum pro Deo tamen paſſum, poterit ſine merito tranſire.

4. Eſto igitur expeditus ad pugnam, ſi vis habere victoriam. Sine certamine non potes pervenire ad patientiæ coronam. Si pati non vis ; recuſas coronari. Si autem coronari deſideras ˥ certa viriliter ; ſuſtine patienter. Sine labore non tenditur ad requiem ; nec ſine pugna pervenitur ad victoriam.

Discipulus.

Fac mihi, Domine, poſſibile per gratiam : quod mihi impoſſibile videtur per naturam. Tu ſcis quòd modicum poſſum pati ; & quòd citò dejicior levi exurgente adverſitate. Efficiatur mihi quælibet exercitatio tribulationis & adverſitas pro nomine tuo amabilis & acceptabilis : nam pati & vexari pro te valdè ſalubre eſt animæ meæ.

Contra linguas obtrectatorum. Ibidem, Capite 18.

SALVATOR.

1. Filli non ægrè feras ſi quidam de te malè ſenſerint; & dixerint quod non libenter audias. Tu deteriora de te ipſo ſentire debes; & neminem infirmiorem te credere. Si ambulas ab intra non multùm ponderabis volantia verba. Eſt non parva prudentia ſilere in tempore malo, & introrſus ad me converti; nec humano judicio diſturbari.

2. Non ſit pax tua in ore hominum. Sive enim benè, ſive malè interpretati fuerint: non es ideò alter homo. [*Hanc perfectionis Regulam attende: quâ edoceris nihil omninò agere aut omittere ex reſpectu humano. Hìc reperitur magnus & periculoſus ſcopulus; quo virtus eliditur. Detractionis enim vitandæ cauſa plurima omittuntur; & hæc omiſſio prætextu prudentiæ & diſcretionis facilè obtegitur. In hoc ſanè magna hominum imbecillitas ; & ideò huic morbo mederi voluit Chriſtus dicendo Apoſtolis: Cùm vos oderint homines, & dixerint omne malum adverſum vos; gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*] Ubi eſt vera pax & vera gloria? Nonne in me? Et qui non appetit hominibus placere ; nec diſplicere timet: multa perfruetur pace. Ex inordinato amore ac vano timore oritur omnis inquietudo cordis, & diſtractio ſenſuum.

LECTIO TRIGESIMA QUINTA.

De manſuetudine & benignitate erga proximum ; & optimò adverſus iracundiam remedio: & de manſuetudine erga noſipſos. De ſufferentia defectuum aliorum ; de Pace interiori: & quòd homo non ſit nimis dejectus quando in aliquos labitur defectus.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

D*Iſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris.* Matt. cap. 11. v. 29.

Fratres & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto ; vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Epiſt. ad Gal. cap. 6. v. 1.

Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti. Ibidem v. 2.

Fili in manſuetudine ſerva animam tuam: & da illi honorem ſecun-

dum meritum ſuum. Eccleſiaſtici cap. 10. v. 31.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis; cum omni malitia. Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem: ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis. Epiſt. ad Epheſ. cap. 4. v. 31.

Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum: cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. Epiſt. ad Philip. cap. 4. v. 7.

Hæc ſacri textûs verba benignitatis & manſuetudinis excellentiam edocent: atque neceſſitatem eius regulas in praxim redigendi: ſed uterque Doctor hujuce virtutis quam charitatis florem nuncupare liceat, regulas ſigillatim tibi explicaturus eſt; rationéſque ad eam amplectendam inducentes, ac monita ad id neceſſaria traditurus.

De manſuetudine & benignitate erga proximum & optimo adverſus iracundiam remedio. Lib. 3. introductionis cap. 8.

SAnctum Chriſma, cujus ex Apoſtolica traditione, in Eccleſia Dei, in ſacra Confirmatione & in benedictionibus uſus eſt: ex oleo olivarum balſamo intermixto compoſitum eſt. Quod inter alia multa duas illas dilectiſſimas & cariſſimas, quæ in ſacra Jeſu Chriſti humanitate reſplendebant, quaſque ipſe peculiari quodam modo nobis commendavit, perinde ac ſi per eaſdem ſpecialiter cor noſtrum ſervitio ejus addici deberet: virtutes repreſentat, humilitatem dico, & manſuetudinem. Unde, *Diſcite*, inquit ipſe, *à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Humilitas quippe nos quoad Deum: mititas & manſuetudo quoad proximum perfectos reddit. Balſamum, quod (ſicuti jam ſuprà oſtendi) inter omnes liquores ſemper imum petit, typus eſt humilitatis, & oleum olivarum, quod ſemper ſupernatat, benignitatis & manſuetudinis: ut potè quæ omnia ſuperat, & inter virtutes omnes principatum tenet. Cùm flos ſit Charitatis, quæ juxta D. Bernardi ſententiam, tum demum perfecta & abſoluta eſt; quando non ſolummodo patiens eſt, ſed & benigna & manſueta.

Sed vide, mea Philotea, ut myſticum hoc chriſma, ex manſuetudine ſimul & humilitate compoſitum in corde tuo habitet. Etenim in hoc verſutus cacodæmon quàm maximè intendit, ut multi duas has virtutes nonniſi ore & verbis tenus, & exteriori quadam ſpecie, & ſuperficie conſectentur: qui cùm affectus ſuos interiores non benè examinent, ſeſe & humiles, & manſuetos eſſe credunt: cùm revera & de facto nec ſint humiles, nec manſueti. Quod & ad oculum cernere eſt. Nam non obſtante exteriore & umbraticâ ac fucatâ illâ manſuetudine, ſi vel minimum verbum diſplicens audiant, & vel minimam injuriam recipiant: illicò eos arrogantiâ & faſtu incredibili efferveſcere

& intumeſcere videbis. Ferunt, eos qui antidotum illud, quod vulgò *unguentum S. Pauli* vocatur, ſumpſêre; à vipera morſos & punctos, non intumeſcere & inflari: dummodo unguen illud bonum & ſincerum ſit: pari modo, cùm humilitas & manſuetudo ſinceræ ſunt, nec fucatæ; à tumore & ardore, quem injuriæ in animis noſtris provocare plerumque ſolent: nos tuentur. At, ſi à maledicis & inimicis læſi ac morſi excandeſcimus, turgeſcimus, & indignamur; ſignum eſt, humilitatem & manſuetudinem noſtram non veram & ſinceram; ſed fucatam duntaxat & ſimulatam eſſe.

Sanctus & illuſtris ille Patriacha Joſeph, fratres ſuos ex Ægypto ad patrios lares remittens; hoc ſolum præceptum iis dedit: *Ne iraſcamini in via.* Idem tibi dico & moneo, Philóthea; ærumnoſa hæc & miſera vita non niſi via eſt: ad beatam & ſempiternam. In via ergò alter alteri non iraſcamur; & in turba fratrum & ſociorum noſtrorum: manſuetè, pacificè & amicè ſemper incedamus. Imò planè, & ſine ulla exceptione tibi dico; Ne iraſcaris omninò, ſi fieri poteſt; nec ſub quocumque demum prætextu cordis tui januam iræ aperias. Disertè namque S. Jacobus & ſine ulla reſtrictione ait*: iram viri juſtitiam Dei non operari.* Non nego tamen, quin conſtanter & fortiter malo reſiſtendum ſit: vitia quoque eorum qui noſtræ curæ concrediti ſunt, acriter coarguenda: ſuaviter & blandè tamen id fiat oportet. Nihil elephantum iratum ira mitigat, quam agni conſpectus; & nihil ita facilè tormentorum bellicorum vim & impetum elidit: quam lana. Correctio quæ è paſſione provenit, licet eam ratio comitetur, non adeò ſolet probari: atque illa quæ ex ſola ratione naſcitur. Anima namque rationalis cùm naturaliter rationi ſubjecta ſit: paſſioni nonniſi tyrannicè ſubjicitur. Hinc ratio quam comitatur paſſio, exoſa eſt: quod juſtum ejus imperium ipſa paſſionis tyrannis contemnendum reddat. [*Hoc paſſionis nomine non ſunt intelligendi motus ſenſibiles qui rationem juſto zeli fervore accenſam comitantur: ſed tantum quilibet motus rationis limites excedentes.*] Tunc Principes ſubditos ſuos maximoperè honorant & conſolantur: quando cum pacifico comitatu eos viſitant & adeunt. At, cum exercitus armatos ſecum ducunt; licèt ad bonum publicum ii referantur: illorum adventus diſplicet. Nam, tametſi diſciplinam militarem exactè inter milites ſervari jubeant; tamen non ita cavere ſuorum indemnitati queunt: quin ſemper aliqua licentiùs committantur, quæ in innocentis alicujus damnum tendant. Pari modo quamdiu leniter ſola regnat ratio & pœnam, animadverſionemque tranquillè ſtatuit; licèt acerbiùs, ſeveriúſque ſe habeat: nemo tamen eam non amat, & approbat. At, cùm iram, choleram & bilem, quæ (ut ait S. Auguſtinus) ejus ſunt milites, ſecum trahit; terribilem ſe reddit potiùs ac metuendam, quàm amabilem: quin & propriùm cor ejus ſemper inde opprimitur, & malè habetur. Expedit, ait idem Auguſtinus, omnem iræ etiam juſtæ & ra-

tioni conſentaneæ aditum occludere: quàm eamquantumvis parvam intromittere. Semel enim admiſſa, quàm difficillimè poteſt expelli. Ingreditur ſurculus; ſed in momento in trabem excreſcet, ſi vel unâ apud nos ſtabulari nocte queat, & *Sol ſuper iracundiam* noſtram *occidat*: ita ut in odium convertatur, ac nulla propè ejus expellendæ ſuppetat ratio. Alitur quippè mox ſexcentis falſis perſuaſionibus & opinionibus: nunquam enim ullus iratus iram ſuam putavit injuſtam eſſe.

Oportet ergò, conari prorſus ſine ira vivere, quàm ſapienter & moderatè eamdem regere. Cúmque aliqua ex imperfectione aut fragilitate nos ab eadem occupatos videbimus; meliùs eſt eam quantocyùs à nobis reiicere: quàm cum illa negotiari & paſciſci velle. Nam quantumvis parum otij ei concedamus & moræ; plenum mox illa dominium obtinet: & ſerpentem colubrum imitatur, illuc facilè totum corpus inſinuantem, quo caput potuit immittere. At petes, quomodo eam expellam? Quam primum eam ſenties & percipies, Philothea, vires tuas omnes promptè recolligas oportet; non quidem violenter & impetuosè: ſed ſuaviter, & ſeriò. [*His habes egregium modum & rationem refrænandi motus tuos & paſſiones.*] Nam ſicut in cauſarum auditoriis fieri videmus, ut apparitores clamantes, *Silentium*, plus clamoris & vocis cieant, quàm quos tacere jubent; ſic & ſæpè contingit, ut, dum impetuosè & violenter iram noſtram cohibere volumus; majorem in animo turbationem & motum excitemus, quàm is forſan in ira habuiſſet. Unde ipſe ita turbatus & concitatus, exinde ſui dominium recuperare nequit.

Poſt ſuavem hanc violentiam adhibitam conſilium illud ſequere quod S. Auguſtinus jam ſenex Auxilio Epiſcopo, ſed juniori, olim ſuggeſſit; *Fac*, inquit, *omne quod homini faciendum eſt. Si deinde fortè tibi accidat, quod vir ſecundum cor Dei de ſe ipſo in Pſalmis fatetur; Turbatus eſt à furore oculus meus*; *ad Deum confuge, & dic: Miſerere mei Deus: quò ſuam ille ad iram tuam reprimendam dexteram extendat.* Dico opem Dei nobis implorandam eſſe tùm, cùm ab ira nos occupatos videmus; ut Apoſtoli, tempeſtate & ventis in mari medio jactati: auxilium Domini invocarunt. Ipſe namque paſſionibus noſtris imperabit, ut ſe remittant: moxque in animo noſtro fiet tranquillitas magna. Sed hoc nihilominus te moneo; orationem quæ adverſus iram præſentem & jam nos opprimentem adhibetur, ſuaviter & tranquillè, non autem violentè adhibendam eſſe: quòd & in omnibus aliis quæ adverſus hoc malum uſurpantur, remediis obſervandum eſt. [*Obſerva diligenter qualiter in omnibus agendum potiùs ſit cum ſuavitate, quàm cum impetu.* [

Ad hæc, ſtatim ac aliquem actum adverteris te commiſiſſe; aliquo manſuetudinis ac mititatis erga illum contra quem indignaris, quàm promptiſſimè exercito actu: errorem illum reparare ſtude. Nam ſicuti præſentiſſimum contra mendacium remedium eſt, ſtatim, & adhuc ipſo in loco quamprimum atque advertimus nos eſſe mentitos, dictum re-

vocare ; ita etiam optimum contra choleram remedium eſt : eam contrario manſuetudinis ac benignitatis actu quantocyùs reſarcire. Nam, ut dici vulgò ſolet; faciliùs curantur vulnera recentia, quàm inveterata.

Præterea, cum jam tranquilla es, nullámque iraſcendi occaſionem habes : egregiè tibi tunc de manſuetudine & benignitate proſpice: Fiet id, ſi omnia verba tua quàm poteris manſuetiſſimè & ſuaviſſimè proferas : & opera tua omnia, parva juxta ac magna, placidiſſimè exequaris.

Memento, ſponſam in Canticis non ſolùm habere mel in labiis & in linguæ extremitate ; verùm etiam ſub lingua ſua, id eſt in pectore. nec mel tantùm, ſed etiam lac habere. Nam non ſolùm verba & os erga proximum dulce, ſed & univerſum pectus, & animum interiorem manſuetum habere nos oportet ; nec mellis tantùm, quod & aromaticum eſt & odoriferum, dulcedinem, id eſt civilis converſationis cum externis ſuavitatem : ſed & lactis. Ut videlicet inter domeſticos, & proximiores vicinos: benignos nos oſtendamus. In quo graviter ſanè peccant illi, qui foris & in platea Angelis ſimiles videntur : & domi atque intra privatos parietes cacodæmones ſunt.

De manſuetudine erga nos ipſos. Ibidem cap. 9.

INter bonam manſuetudinis, quam exercere poſſimus, praxim non poſtrema eſt illa, cujus materia in nobis ipſis conſiſtit: ne ſcilicet unquam contra nos ipſos, aut imperfectiones proprias indignemur. Tametſi enim æquum ſit, & ratio requirat, ut, dùm delictum aliquod committimus ; illud nobis diſpliceat, & illius cauſâ contriſtemur; videre tamen debemus, ne nimiam, indignabundam, & amarulentam diſplicentiam habeamus. In quo permulti graviter errant ; qui cùm ab ira occupati fuêre, iraſcuntur ſibi quod irati fuerint, adverſum ſe ſtomachantur, quod ſtomachati ſint: & ſuccenſent quod ſuccenſuerint. Hac quippe ratione, animus illorum in ira quodammodo coquitur, & velut ab ea imbibitur ; & licet ſecunda ira primam tollere & exſtinguere videatur: hæc tamen januam & aditum patefacit, per quam nova, primâ datâ occaſione, ira in animum ingrediatur & penetret. Ut taceam choleras, indignationes, & amarulentias has quibus nobis ipſi indignamur, ſuperbiam quamdam ſpirare ; & nonniſi à philautia, & noſtri ipſorum amore, turbante & inquietante ſe quod imperfectos nos videat, ortum habere. Talem ergò errorum & imperfectionum propriarum diſplicentiam habere nos oportet: quæ pacifica ſit, ſerena & ſolida. Nam ſicuti judex tunc meliùs maleficos caſtigat, cùm ſententiam ex ratione & in ſpiritu tranquillitatis profert, quàm dum eam impetuosè & è paſſione depromit ; quia dum è paſſione ſententiam pronunciat: ſcelera & delicta non pro ipſorum quidem qualitate; ſed prout

ipſemet in animo conſtitutus eſt, caſtigat. Ita meliùs nos ipſi per tranquillas & conſtantes, quàm per amarulentas & indignabundas, contritiones & dolores caſtigamus; quòd impetuoſæ illæ non pro peccatorum noſtrorum gravitate: ſed prout inclinati ſumus, plerumque fiant. V. g. qui benè erga caſtitatem afficitur; incredibili quâdam animi amaritudine adverſus minimum contra illam admiſſum delictum ac defectum indignabitur: & ob gravem quamdam quâ alteri detraxerit, detractionem in riſum diſſolvetur. Et vice verſâ, qui detractionem omnem deteſtatur, mirè ſe torquebit & affliget; quòd vel parum alterius honori detraxerit; & grave quoddam contra caſtitatem flagitium admiſſum pro levi & nihilo reputabit. Atque ita de reliquis, quod non alia de cauſa fit: quàm quod de conſcientia ſua, non è rationis præſcripto & dictamine: ſed è paſſione ſententiam ferant. [*Hæc diligentiùs attende; ad interiores enim motus diſcernendos maximam lucem afferunt.*]

Mihi crede, Philothea, ſicuti correptiones patris alicujus leniter & affectuosè factæ, longè ſunt ad filium corrigendum potentiores, quàm amaræ illæ & iracundæ; ita ſi poſtquam cor noſtrum aliquod peccatum admiſit, id correptionibus ſuavibus & tranquillis, ac plus compaſſionis in illud quàm paſſionis & indignationis includentibus, reprehendamus, ipſum ad ejus emendationem exſtimulando: dolor ſanè quem inde concipiet longè profundiùs ingreditur, ac meliùs penetrabit, quàm indignabundus, iracundus & impetuoſus.

Ego certè, ſi (verbi gratia) ſummoperè afficerer, ne in aliquod vanitatis vitium inciderem; & nihilominus turpi quodam lapſu in ipſum incidiſſem: hoc certè modo cor meum reprehendere & objurgare nollem. Næ tu miſer & abominabilis es: quòd nimirum poſt tot propoſita facta à vanitate abripi ſiveris. Morere præ confuſione, morere; noli poſthac oculos in cœlum ſuſtollere; ah cœcum, impudens, perfidum, & alia id genus. Sed vellem id rationabiliter velut ei compatiendo corrigere. Itane, ah infelix cor meum, in foſſam, quam toties evitare propoſueramus, jam præcipitavimus? Eia ergò ſurgamus, ipſamque in æternum deſeramus, & miſericordiam Domini imploremus; inque illo ſperemus, fore videlicet, ut ille nos adjuvet: quò in poſtetum in propoſito conſtantiores ſimus, & in humilitatis viam jam redeamus. Agedum igitur, jam ex hoc die nobis caveamus & advigilemus. Deus nobis aderit. Meliùs ergò ſic faciamus; & ſuper hanc reprehenſionem ſolidum & firmum quoddam propoſitum non amplius in id delictum incidendi ædificare vellem: convenientia ad hoc media, nec non directoris mei conſilium admittere parata. [*Hæc omnia benè concordant cum agendi modo circa mulierem adulteram obſervato; nemo te condemnavit mulier? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo; vade, & jam ampliùs noli peccare.*

Quod ſi fortè quis per lenem hanc & placidam correptionem non ſatis emoveri cor ſuum videat; addere poterit & exprobationem ac

reprehenſionem quamdam acrem & vehementem, quò ipſum ad profundiorem confuſionem excitet: dummodo, poſtquam id objurgavit ac ſugillavit acerbius ⁏ lenius finiat: omnem ſuum dolorem & iram ſuam in ſancta quadam in Deum fiducia terminando. In imitationem videlicet illuſtris illius pœnitentis, qui animam ſuam afflictam & dolore proſtratam videns: hoc eam alloquio ſublevabat. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo ⁏ quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultûs mei & Deus meus.* [*Hæc de culpis notabilibus ſunt intelligenda: & ad incipientes tantùm ſpectant. Nam proficientes, & qui ſemetipſos in ſpiritu, coram Deo humiliandi habitum contraxerunt: hujuſcemodi aculeis non indigent.*]

Suaviter ergò & leniter cor tuum, jam lapſum, ſubleva ⁏ inſigniter te coram Deo, eò quod miſeriam tuam ad oculùm videas, humiliando: nec oblapſum tuum adeò te conſternando. Quid enim adeò mirum & mirandum, infirmitatem infirmam eſſe ⁏ fragilitatem fragilem, & miſeriam miſeram? Ex toto tamen corde & viribus tuis offenſam & injuriam, quam Deus opt. max. à te recepit, deteſtare ⁏ & magna quadam cum generoſitate, déque miſericordiæ ejuſdem fiducia: in virtutis, quam dereliqueras viam redi.

De ſufferentia defectuum aliorum. Lib. 1. de Imitat. cap. 16.

1. QUÆ homo in ſe, vel in aliis emendare non valet; debet patienter ſuſtinere donec Deus aliter ordinet. Cogita quia ſic meliùs eſt fortè pro tua probatione & patientia; ſine qua non ſunt multùm ponderanda merita noſtra. Debes tamen pro talibus impedimentis ſupplicare; ut Deus dignetur tibi ſubvenire, & poſſis benignè portare.

2. Si quis ſemel, aut bis admonitus non acquieſcit ⁏ noli cum eo contendere; ſed totum Deo committe ⁏ ut fiat voluntas ejus & honor in omnibus ſervis ſuis; qui benè ſcit malum in bonum convertere. Stude patiens eſſe in tolerando aliorum defectus, & qualeſcumque infirmitates; quia & tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari. Si non potes te talem facere qualem vis, quomodò poteris alium ad tuum habere beneplacitum? Libenter volumus alios eſſe perfectos; ſed tamen proprios non emendamus defectus.

3. Volumus quòd alij diſtrictè corrigantur; & ipſi corrigi nolumus. Diſplicet larga aliorum licentia; & tamen nobis nolumus negari quod petimus. Alios reſtringi per ſtatura volumus; & ipſi nullatenus patimur ampliùs cohiberi. Sic ergò patet quàm rarò proximum ſicut nos ipſos penſamus. Si eſſent omnes perfecti ⁏ quid tunc haberemus ab aliis pro Deo pati?

4. Nunc autem Deus ſic ordinavit ⁏ ut diſcamus alter alterius onera portare; quia nemo ſine defectu, nemo ſine onere, nemo ſibi ſufficiens,

nemo ſib

nemo ſibi ſatis ſapiens; ſed oportet nos invicem portare, invicem conſolari, pariter adjuvare; inſtruere & admonere. Quantæ autem virtutis quiſque ſit; meliùs patet occaſione adverſitatis. Occaſiones namque hominem fragilem non faciunt; ſed qualis ſit, oſtendunt.

De bono pacifico homine. Lib. 2. de Imitat. cap. 3.

1. POne te primò in pace; & tunc poteris alios pacificare. Homo pacificus plus prodeſt, quàm benè doctus. Homo paſſionatus etiam bonum in malum trahit; & faciliter malum credit. Bonus pacificus homo omnia ad bonum convertit. Qui benè in pace eſt, de nullo ſuſpicatur. Qui autem malè contentus eſt & commotus, variis ſuſpicionibus agitatur; nec ipſe quieſcit; nec alios quieſcere permittit. Dicit ſæpe quod dicere non deberet; & omittit quod ſibi magis facere expediret. Conſiderat quid alij facere teneantur; & negligit quod ipſe facere tenetur. Habe ergò primò zelum ſuper teipſum; & tunc zelare poteris juſtè etiam proximum tuum.

2. Tu benè ſcis facta tua excuſare & colorare; & aliorum non vis excuſationes recipere. Juſtius eſſet ut te accuſares, & fratrem tuum excuſares. Si portari vis, porta & alium. Vide quàm longè es adhuc à vera charitate & humilitate; quæ nulli novit indignari vel iraſci, niſi tantùm ſibiipſi. Non eſt magnum cum bonis & manſuetis converſari; hoc enim omnibus naturaliter placet; & unuſquiſque libenter pacem habet, & ſecum ſentientes magis diligit. Sed cum duris & perverſis, aut indiſciplinatis, aut nobis contrariantibus pacificè poſſe vivere; magna gratia eſt, & laudabile nimis, viriléque factum.

3. Sunt qui ſeipſos in pace tenent, & cum aliis etiam pacem habent. Et ſunt qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt: aliis ſunt graves, ſed ſibi ſunt ſemper graviores. Et ſunt qui ſeipſos in pace retinent, & ad pacem alios reducere ſtudent. Et tamen tota pax noſtra in hac miſera vita potiùs in humili ſufferentia ponenda eſt; quàm in non ſentiendo contraria. Qui meliùs ſcit pati; pacem tenebit majorem. Iſte eſt victor ſui & dominus mundi; amicus Chriſti, & hæres cæli.

Quod homo non ſit nimis dejectus, quando in aliquos labitur defectus. Lib. 3. de Imitat. cap. 57.

SALVATOR.

1. FIli magis placent mihi patientia & humilitas in adverſis; quàm multa conſolatio & devotio in proſperis. [*Hic reperies graviſſimas rationes ad manſuetudinem erga teipſum ſervandam; & ad proprios defectus ſi non abſque aliquo tædij motu, ſaltem cum patientia ferendos.*] Ut quid te con-

triſtat parvum factum contra te aut dictum ? Si amplius fuiſſet, moveri non debuiſſes. Sed nunc dimitte tranſire :non eſt primũ,nec novum, nec ultimum erit, ſi diu vixeris. Satis virilis es quamdiu nihil obviat mali aut adverſi. Benè etiam conſulis, & alios noſti roborare verbis ˥ ſed cùm ad januam tuam venit repentina tribulatio; deficis conſilio & robore. Attende magnam fragilitatem tuam,quam ſæpius experiris in modicis objectis ; cùm tamen iſta pro ſalute tua fiant.

2. Cùm hæc & ſimilia contingunt ˥ propone ut meliùs noſti, ex corde crucis meæ ſupplicium : & ſi te tetigerit adverſitas, non tamen dejiciat, nec diu implicet. [*Motum ſenſibilem quantum in te erit comprimendum eſſe docet : at non dicit poſſe à te annihilari. Si ergò te invito hic motus remanet ; ad patientiam confugito , & in illa te exerce.*] Ad minus ſuſtine patienter ; ſi non potes gaudenter. Et ſi minùs libenter audis, atque indignationem ſentis ˥ reprime te ; nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire, unde parvuli ſcandalizentur. Citò conquieſcet commotio excitata ; & dolor internus, revertente gratia, dulcorabitur. [*Inde perſpicuum eſt illam gratiam quæ deſeruerat & revertitur : nihil aliud eſſe, quàm gratiam ſenſibilis conſolationis.*] Adhuc vivo ego Dominus juvare te paratus , & ſolito ampliùs conſolari ; ſi confiſus fueris mihi, & me devotè invocaveris.

3. Animæquior eſto ; & ad majorem ſuſtinentiam accingere.Non eſt totum fruſtratum ſi ſæpius percipis te tribulatum:vel graviter tentatum. Homo es, & non Deus : caro, & non Angelus. Quomodò tu poſſes ſemper in eodem ſtatu virtutis permanere ˥ quando hoc defuit Angelo in cælo, & primo homini in paradiſo, qui non diu ſteterunt ? Ego ſum, qui mœrentes erigo ſoſpitate ˥ & ſuam cognoſcentes infirmitatem : ad meam proveho divinitatem.

Discipulus.

Pſal.18.11. 4. Domine, benedictum ſit verbum tuum ; *dulce ſuper mel & favum*
Ibid. 118. *ori meo.* Quid facerem in tantis tribulationibus & anguſtiis meis ˥ ni-
103. ſi me confortares tuis ſanctis ſermonibus? Dummodò ad portum ſalutis tandem perveniam ˥ quid curæ eſt quæ & quanta paſſus fuero ? Da finem bonum ; da felicem ex hoc mundo tranſitum. Memento mei Deus meus, & dirige me recto itinere in regnum tuum. Amen.

LECTIO TRIGESIMA SEXTA.

Quòd negotia diligenter quidem, non tamen anxiè & ſollicitè nimiùm gerenda ſunt. De bono regimine in externis & recurſu ad Deum in periculis. Quòd homo non ſit importunus in negotiis & de providentia in agendis.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

S*Ollicitudine non pigri ⁊ ſpiritu ferventes Domino ſervientes.* Epiſt. ad Rom. cap. v. 11.

Nihil ſolliciti ſitis ⁊ ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione: petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Epiſt. ad Philip. cap. 4. v. 6.

Operam detis, ut quieti ſitis ⁊ & ut veſtrum negotium agatis ⁊ & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis ⁊ & ut honeſtè ambuletis ad eos qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis. Epiſt. 1. ad Theſſa. cap. 4. v. 11.

Nolite plures magiſtri fieri fratres mei: ſcientes quoniam maius judicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit ⁊ hic perfectus eſt vir: poteſt etiam fræno circumducere totum corpus. Epiſt. Jacob. cap. 3, v. 1.

Hæc ſacræ Scripturæ Verba edocent. 1°. Tranquillitatem diligentiæ in actionibus ſociandam eſſe. 2°. Ab aliorum linguis ſicut à noſtra eſſe cavendum; quandoquidem lingua membrum eſt, quod tam difficilè regitur. Sed uterque Doctor: horum praxim in ſequentibus edocebit.

Negotia diligenter quidem non tamen anxiè & ſollicitè nimium gerenda ſunt. Lib. 3. *Introduct. cap.* 10.

CUra & diligentia, quam in rebus ac negotiis noſtris gerendis adhibere debemus longè certè differunt ſollicitudine, anxietate & turbatione. Angeli ſalutis noſtræ curam gerunt ⁊ eámque diligenter procurant: at non propterea ſolliciti, anxij, & impediti ſunt. Cura namque & diligentia ad ipſorum pertinent charitatem: ſollicitudo verò, anxietas & turbatio, illorum beatitudini adverſantur. Cùm cura & diligentia queant cum tranquillitate & quiete ſpiritûs conſiſtere ⁊ non autem ſollicitudo & anxietas: & multò minus impedita turbatio.

In omnibus ergò rebus ac negotiis, curæ tuæ concreditis, eſto, Philothea mea diligens & ſedula ; cùm enim tibi Deus illa crediderit & fiſus ſit : vult illa te diligenter curare. Sed ſi fieri poteſt, noli propter illa nimis eſſe anxia aut ſollicita ; id eſt, cum inquietudine, anxietate, & ardore ea non aggrediaris: nec in iis exequendis multùm turberis aut ſatagas. Omnis namque turbatio rationem & judicium perturbat ; imò verò impedimento nobis eſt : ne rem quam agere volumus, benè & prout oportet exequamur.

Quando Dominus Mattham reprehendebat, dicebat ; *Martha, Martha, ſollicita es & turbaris circa frequens miniſterium.* Viden', ſi tantùm diligens & ſedula fuiſſet, minimè ſe turbaſſet ; ſed quia ſollicita erat & inquieta : hinc turbatur & anxiatur. Et in hoc Dominus reprehendit eam. Flumina quæ leniter per planitiem æquam feruntur : ingentes & vaſtas ferunt naves & pretioſas merces. Pluviæ, quæ leniter & guttatim in agrum cadunt ; herbis & granis eum abundare faciunt: at torrentes & flumina quæ impetuosè aquarum vorticibus per terram abripiuntur ; vicina loca deſtruunt, mercibus vehendis incommoda ſunt : uti & nimbi velut ruentes ac præcipites, agros & prata devaſtant. Nunquam aliquod negotium cum impetu & turbatione quadam peractum : bene factum fuit. Lentè (ut vetus ait proverbium) feſtinandum eſt. *Qui*, ut Salomon aſſerit, *pedibus eſt feſtinus* ; in periculo eſt : ne pedem offendat. Semper ſatis citò facimus, ſi ſatis benè. Fuci majorem quidem ſtrepitum cient, & turbatiores ſunt quàm apes ; at ceram duntaxat, non autem mel conficiunt. Sic qui ſollicitudine nimiâ & ardenti, & ſtreperâ anxietate negotia ſua agere allaborant ; vix quidquam agunt: & quod agunt, non benè agunt.

Muſcæ, non vi ſuâ & vehementiâ, ſed confuſâ multitudine ſuâ nobis admodum ſunt moleſtæ ; ſic magna negotia non adeò nos perturbant atque parva: cùm nimirum ea frequentia & multa ſunt. Quæ ergò curanda & expedienda tibi advenient negotia ; quietè ac tranquillè ſuſcipe: & ordinatim ea unum poſt aliud exequere. Si enim ſimul omnia ſine ullo ordine perficere & aggredi velis ; conniſus quoſdam facies qui te oppriment, & ſpiritum tuum evigorabunt: túque ut plurimùm ſub onere fatiſces confecta, & vix quidquam effeceris.

In omnibus porrò negotiis tuis, divinæ providentiæ, à qua ſola omnia tua molimina & opera ortum habere debent, totaliter nitere ; ex parte tamen tua graviter labora, & poſſibilia age, quò ei coopereris: ac deinde certa eſto, ſi quidem in Deo benè confiſa fueris ; ſucceſſum qui inde tibi ſequetur, ſemper tibi & utiliſſimum & optimum fore : licet is tibi pro particulari tuo judicio, bonus aut malus videatur.

Imitare pueros qui manu unâ parentis manum tenent : & alterâ fraga & baccas è ſepibus & dumetis colligunt. Pari modo tu, manu unâ bona mundi hujus colligito & tracta ; alterâ ſemper patris cæleſtis ma-

num tene: ad eum ſubinde revertens & recurrens, ut videas, num tua agendi ratio & occupationes tuæ ei placeant. Imprimis verò cave, ne manum & protectionem ejus unquam deſeras; te ſolâ plura colligere & efficere te poſſe credens. Si enim ipſe te deſerat; ne unum quidem greſſum figes: quin corruas & turpiter impingas. Quando ergò, Philothea, in communibus tuis negotiis & occupationibus, quæ tam vehementem ac internam attentionem non requirent, verſaberis: ſemper magis ad Deum, quàm ad negotia reſpicias. Cùm verò negotia tanti ſint momenti ac difficultatis quæ, ut ritè peragantur, omnem tuam attentionem & annisum requirant; ſubinde ad Deum animum attolles: ad exemplum eorum qui mare navigant; qui quò ad terram, ad quam anhelant, appellant: ſæpius cœlum reſpiciunt, quàm æquor quod navigant. Sic fiet, ut Deus tecum, in te, & pro te laboraturus ſit: & labor tuus aliquâ conſolatione dulcorandus.

De bono regimine in externis & recurſu ad Deum in periculis. Lib. 3. de Imitatione, cap. 38.

FIli ad iſtud diligenter tendere debes; ut in omni loco, actione, ſeu occupatione externa ſis intus liber, & tuiipſius potens; & ſint omnia ſub te, & tu non ſub eis. Ut ſis dominus actionum tuarum & rector, non ſervus, nec emptitius; ſed magis exemptus, verúſque Hebræus in ſortem ac libertatem tranſiens filiorum Dei: qui ſtant ſuper præſentia, & ſpeculantur æterna; qui tranſitoria ſiniſtro intuentur oculo, & dextro cæleſtia: quos temporalia non trahunt ad inhærendum; ſed trahunt ipſi ea magis ad bene ſerviendum; prout ordinata ſunt à Deo, & inſtituta à ſummo Opifice, qui nihil inordinatum relinquit in ſua creatura.

2. Si etiam in omni eventu ſtas, non in apparentia externa, nec oculo carnali luſtras viſa vel audita; ſed mox in qualibet cauſa intras cum Moyſe in tabernaculum ad conſulendum Dominum: audies nonunquam divinum reſponſum, & redies inſtructus de multis præſentibus & futuris. Semper enim Moyſes recurſum habuit ad tabernaculum pro dubiis & quæſtionibus ſolvendis: fugítque ad orationis adjutorium pro periculis & improbitatibus hominum ſublevandis. Sic & tu confugere debes in cordis tui ſecretarium; divinum intentiùs implorando ſuffragium. Propterea namque Joſue, & filij Iſraël à Gabaonitis leguntur decepti; quia *os Domini prius non interrogaverunt*; ſed nimiùm creduli *Ioſue 9. 14.* dulcibus ſermonibus, falsâ pietate deluſi ſunt.

Quod homo non ſit importunus in negotiis. Ibidem, cap. 39.

SALVATOR.

1. Fili committe mihi ſemper cauſam tuam; ego bene diſponam in tempore ſuo. Expecta ordinationem meam, & ſenties inde profectum.

DISCIPULUS.

Domine ſatis libenter omnes res tibi committo; quia parum poteſt cogitatio mea proficere. Utinam non multùm adhærerem futuris eventibus; ſed ad beneplacitum tuum incunctanter me offerrem.

SALVATOR.

2. Fili ſæpe homo rem aliquam vehementer agitat, quam deſiderat: ſed cùm ad eam pevenerit, aliter incipit ſentire ⁊ quia affectiones circa idem non ſunt durabiles; ſed magis de uno ad alliud impellunt. [*Egregium documentum, quo diſcis teipſum ferre; & abſque inquietudine abnegare.*] Non ergò minimum eſt etiam in minimis ſeipſum relinquere.

3. Verus profectus hominis eſt abnegatio ſuiipſius; & homo abnegatus valde liber eſt & ſecurus. Sed antiquus hoſtis omnibus bonis adverſans à tentationibus non ceſſat ⁊ ſed die noctúque graves molitur inſidias; ſi fortè in laqueum deceptionis poſſit præcipitare incautum. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentionem.* Mat. 26. 41.

De prudentia in agendis. Lib. 1. de Imitatione, cap. 4.

1. Non eſt credendum omni verbo, nec inſtinctui; ſed cautè ac longanimiter res eſt ſecundùm Deum ponderanda. [*Cum nihil magis pacem charitatémque turbet, quàm de rebus alienis faciliùs audire & loqui; præclara, quæ hîc habentur, monita ſtudioſiùs exequere.*] Proh dolor! ſæpe malum faciliùs, quàm bonum de alis creditur, & dicitur; ita infirmi ſumus. Sed perfecti viri non facilè credunt omni enarranti; quia ſciunt humanam infirmitatem ad malum proclivem, & in verbis ſatis labilem.

2. Magna ſapientia eſt, non eſſe præcipitem in agendis; nec pertinaciter in propriis ſenſibus ſtare. Ad hanc etiam pertinet, non quibuſlibet hominum verbis credere: nec audita, vel credita mox ad aliorum aures effundere. Cum ſapiente & conſcientioſo viro conſilium habe ⁊ & quære potiùs inſtrui à meliori; quàm tuas adinventiones ſequi. Bona vita facit hominem ſapientem ſecundùm Deum; & expertum in multis. Quantò quis in ſe humilior fuerit, & Deo ſubjectior; tantò in omnibus erit ſapientior atque pacatior.

Hoc ultimum Capitulum ubique aureis litteris eſſet inſculpendum ⁊ cum quæcumque agenda ac vitanda ſunt, ut prudenter, rationabiliter, pacificè, ac ſecundum charitatis regulas in omnibus procedamus : breviter & eximiè contineat. Igitur maximi faciendum eſt, firmitérque tenendum ⁊ quam plurimas turbationes, inquietudines, ſchiſmata, paſſionum motus, animi averſiones, ac hujuſmodi defectus, inde exoriri: quòd non ſatis obſerventur quæ hîc habentur.

LECTIO TRIGESIMA SEPTIMA.

De Obedientia ⁊ & quali modo ab humili ſubdito reddi debeat ad exemplum Chriſti. De Caſtitate, cum monitis ad eam benè ſervandam : & de paupertate ſpiritûs.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

E*T quidem cum eſſet filius Dei ⁊ didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam : & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.* Epiſt. ad Hebræ. cap. 5. v. 8.

Animas veſtras caſtificantes in obedientia Charitatis ⁊ in fraternitatis amore : ſimplici ex corde invicem diligite attentiùs. Epiſt. 1. Pet. cap. 1. v. 11.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris ⁊ & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis : ut cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Luc. cap. 12. v. 35.

In reſurrectione neque nubent, neque nubentur : ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo. Matt. cap. 22. v. 35.

Beati pauperes ſpiritu : quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matt. cap. 5. v. 3.

Amen Dico vobis : quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis ⁊ faciliùs eſt camelum per foramen acûs tranſire : quam divitem regnum cælorum. Matt. cap. 19. v. 23.

Hæc ſacræ ſcripturæ verba apertè innuunt, quam neceſſariæ ſint Chriſtianis omnibus, 1º. Obedientia ⁊ 2º. Caſtitas ⁊ 3º. Denique paupertas ſpiritus : ſed eorum praxim ex utriuſque Doctoris documentis intelliges.

De obedientia. Lib. 3. Introductionis, cap. 11.

SOla charitas nos in perfectione ponit: ſed obedientia, caſtitas & paupertas ejus acquirendæ media ſunt. Obedientia quippe cor, caſtitas corpus, & paupertas facultates noſtras amori & obſequio Dei dedicat; ſunt hæ, tres crucis ſpiritualis rami: qui tamen omnes quarto, id eſt humilitati, innituntur. Nihil autem de tribus illis præſtantiſſimis virtutibus dicam, in quantùm ſolemni voto promittuntur; hoc quippe ad ſolos Religioſos ſpectat; nec etiam, in quantùm ſimplici voto voventur: quia licet votum ſemper multùm gratiæ & meriti virtutibus omnibus addat; ut tamen ad veram perfectionem pertingamus: ad eas neceſſe non eſt hominem voto ſeſe aſtringere dummodò eas exactè ſervet. Etenim, quamvis ipſæ voto promiſſæ, & præſertim ſolemni, hominem in perfectionis ſtatu collocent; tamen, ut eum in perfectione conſtituant ſatis eſt eas benè obſervari. Cùm magna inter perfectionis ſtatum, & ipſam perfectionem differentia ac diſcrimen ſit: cùm quilibet Epiſcopi & Religioſi in ſtatu quidem ſint perfectionis, non tamen omnes in perfectione quemadmodum quotidiè plus nimiò videmus. Demus ergò operam, Philóthea: ut tres haſce virtutes, quiſque juxta ſuam vocationem & ſtatum, ritè exerceamus. Si quidem etſi nos ad perfectionis ſtatum non perducant: ipſam tamen perfectionem nobis dabunt. Adhæc, omnes quotquot ſumus, ad harum trium virtutum exercitium tenemur: licet omnes ad eas uno eodémque modo exercendas minimè obligemur.

Duo ſunt obedientiæ genera; unum neceſſarium: & alterum voluntarium. Per neceſſariam obedientiam humiliter obedire debes Superioribus tuis Eccleſiaſticis: puta Pontifici, Epiſcopo, Curioni, & ipſorum Vicariis & ſubſtitutis. Item Superioribus Politicis; id eſt Principi tuo ac Magiſtratibus, quos is ſuper provinciam tuam conſtituit. Superioribus denique domeſticis, id eſt, patri, matri, hero & heræ. Hæc porrò obedientia dicitur neceſſaria, quod nullus ab his Superioribus obediendi officio ſe eximere poteſt; cùm Deus iis auctoritatem regendi & gubernandi dederit: unicuique pro munere quod in nos acceperunt. Illorum ergò præceptis & juſſis morem gere, & hoc neceſſitatis eſt: ſed, ut perfecta ſis, illorum inſuper conſiliis, & propenſionibus acquieſce, in quantùm id charitas & prudentia, permittet. Iis ergò obedi, cùm aliquid ſenſualitati gratum tibi injungent: uti eſt, comedere, recreationem capere, &c. Nam tametſi non magnæ videatur eſſe virtutis hoc in caſu obedire: magnum tamen vitium foret hîc non obedire. Obedi quoque in rebus Indifferentibus; uti ſunt tale veſtis genus geſtare, hac viâ aut aliâ incedere, cantare aut tacere: & erit obedientia valdè commendabilis. Obedi item in rebus difficilibus, aſperis & duris: & erit obe-

erit obedientia perfecta. Obedi denique ſuaviter ſine murmuratione ; promptè ſine dilatione, hilariter ſine moroſitate ; & ante omnia obedi amoroſè, ex amore ſcilicet ejus qui amore noſtri factus eſt obediens uſque ad mortem crucis : & qui, ut ait S. Bernardus, vitam amittere maluit, quàm obedientiam.

Ut autem Superioribus tuis facilè obedire diſcas ; æqualium tuorum voluntati facilè, & non invita acquieſcas : illorum opinioni in eo quòd apertè malum non eſt libenter cedendo ; ut nec contentioſum cum iis finem trahas : nec pertinaciter illis obluctèris. Libenter quoque inferiorum tuorum deſideriis te, quantum ratio permittet, accommodà ; nullam in eos auctoritatem violentam, aut imperativam, quamdiu boni ſunt : exercendo.

Errant, qui credunt ſe, ſi Religioſi aut Religioſæ forent, facilè obedituros ; cùm interim illis, quos Deus iis Superiores conſtituit ac dedit : obedire detrectent, & arduum ducant.

Voluntariam obedientiam dico illam ad quam propriâ electione & ſponte nos aſtringimus : & quam nos nobis, non quis alius, imponimus. Plerumque Principem, Epiſcopum, patrem, matrem & ſæpè etiam maritum, nobis non eligimus ; at ſeligimus confeſſarium, & directòrem. Porrò, ſive in eo deligendo, expreſſè votum ei obediendi concipiamus ; (ſicut S. Mater Tereſia, præter obedientiam Superioris Ordinis ſui ſolemni voto promiſſam, ſimplici quodam voto Deo ſe ad Patri Hier. Gratiano obediendum ac parendum obſtrinxiſſe fertur :) ſive ſine ullo voto nos alterius cujuſpiam imperio obedientiæque devoveamus ; obedientia hæc ſemper voluntaria dicitur : idque ratione fundamenti ejus, quod à noſtra voluntate & electione dependet.

Omnibus in genere Superioribus obediendum eſt : unicuique tamen in ea re, in qua nobis præſidet & præpoſitus eſt. Nam in rebus ad politicum & publicum regimen ſpectantibus : obediendum eſt Principibus. In iis quæ ad Eccleſiaſticam gubernationem attinent, Prælatis ; in domeſticis verò, patri, marito : in particulari denique animæ directione, peculiari directori ejuſdem aut Confeſſario.

Cura, ut tibi quidam pietatis actus & exercitia à Patre tuo ſpirituali præſcribantur & ordinentur : ut ea deinde executioni mandes. Sic namque illi & meliora erunt, & duplicem gratiam ac bonitatem habebunt ; unam quidem ex ſeipſis eò quod pia ſunt : alteram verò ab obedientia, quæ illa fieri præcepit, & in cujus virtute fient. Beati obedientes : non permittet enim Deus ut errent & impingant.

Quæ hic dicit pro ſecularibus, ſatis innuunt Religioſis, eos non modo Regulæ, quam profitentur ſubditos eſſe debere : ſed etiam Præpoſitorum ſuorum directioni, in omnibus, ſubjici.

De obedientia humilis ſubditi ad exemplum Ieſu Chriſti. Lib. 3. de Imitatione, cap. 13.

1. FIli, qui ſe ſubtrahere nititur ab obedientia, ipſe ſe ſubtrahit à gratia. Et qui quærit habere privata, amittit communia. [*Hîc obſerva, quod cum vir inobediens à gratia ſeipſum ſubtrahat; non igitur gratia ipſum deſerit; ſed ipſe ſuâ culpâ eam amittit.*] Qui non libenter & ſponte ſuo Superiori ſe ſubdit; ſignum eſt quòd caro ſua necdum perfectè ſibi obédit: ſed ſæpe recalcitrat & murmurat. Diſce ergo Superiori tuo celeriter te ſubmittere: ſi carnem propriam optas ſubjugare. Citius namque exterior vincitur inimicus: ſi interior homo non fuerit devaſtatus. Non eſt moleſtior & pejor animæ hoſtis, quàm tu ipſe tibi, non bene concordans ſpiritui. Oportet enim verum te aſſumere tuiipſius contemptum, ſi vis prævalere adverſus carnem & ſanguinem.

2. Quia adhuc nimis inordinatè te diligis: ideò plenè te reſignare aliorum voluntati trepidas. Sed quid magnum ſi tu qui pulvis es & nihil, propter Deum te ſubdis homini; quando ego Omnipotens & Altiſſimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te ſubjeci humiliter? Factus ſum enim omnium humillimus & infimus: ut tuam ſuperbiam meâ humilitate vinceres. Diſce obtemperare pulvis. Diſce te humiliare terra & limus: & ſub omnium pedibus incurvare. Diſce voluntates tuas frangere, & ad omnem ſubjectionem te dare.

3. Exardeſce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere; ſed ſubjectum te ac parvulum exhibe: ut omnes ſuper te ambulare poſſint, & ſicut lutum platearum conculcare. Quid habes, homo inanis, conqueri? Quid ſordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendiſti, & toties infernum meruiſti? Sed pepercit tibi oculus meus, quia pretioſa fuit anima tua in conſpectu meo; ut cognoſceres dilectionem meam, & gratus ſemper beneficiis meis exiſteres: & ut ad veram ſubjectionem & humilitatem te jugiter dares, patientérque proprium contemptum ferres.

Habes in hoc Imitationis Capitulo eximias quas deſiderare potes rationes, ad obedientiam, ac injuriarum tolerantiam inducentes; nunc igitur ab obedientia ad caſtitatem, & exinde ad paupertatem tranſeundum eſt: quarum virtutum ſolemni voto Religioſi ſe adſtringunt.

De caſtitatis neceſſitate, Lib. 3. Introduct. cap. 12.

CAſtitas virtutum omnium eſt Lilium; hæc homines Angelis propè ſimiles & æquales reddit: nihil pulchrum, niſi per puritatem, hominum porrò puritas, caſtitas eſt. Caſtitas, honeſtas appellatur, & ejuſ-

dem profeſſio, honor; nominatur item, integritas; illius contrarium corruptio. Denique hanc ſingularem & particularem gloriam habet: quòd pulchra & candida animæ ſimul & corporis virtus ſit.

Quod ad primum hujus virtutis gradum attinet, cave, Philóthea: ne ullam illicitam, aut prohibitam voluptatem admittas.

Quod ad ſecundum, quantum poſſibile tibi erit: omnes inutiles & ſuperfluas, licet licitas & permiſſas, delectationes à te reſcinde.

Quod ad tertium, delectationibus & voluptatibus, quæ & præceptæ ſunt & ordinatæ: affectum non applices. Licet enim neceſſariæ delectationes & voluptates uſurpari habeant: nunquam tamen animum aut ſpiritum iis oportet affigere.

Cæterùm, nemo non virtute hâc opus habet. Qui in viduitate ſunt, animoſam & virilem caſtitatem habeant oportet, quæ non ſolùm tum præſetia, tum futura objecta repudiet & à ſe excludat; verùm etiam imaginationibus, quæ voluptates licitè in matrimonio aliàs habitæ in mentibus eorum producere queunt: quæque idcircò impudicis illiciis ſentiendis magis obnoxiæ ſunt, viriliter reſiſtat. Atque hinc eſt, quod S. Auguſtinus cariſſimi ſui Alixij puritatem uſque adeò obſtupeſcat, & prædicet; quòd nimirùm voluptatum carnalium, quas tamen in juventure ſua aliquando expertus erat, jam converſus penitus oblitus eſſet: & ſenſum earum amiſiſſet. Et ſanè, ſicuti fructus, quamdiu integri ſunt facilè poſſunt conſervari, alij in ſtraminibus, alij in arena, alij in ſuiſmet frondibus; at ſemel morſi & delibati ſi ſint: vix ulla eos conſervandi ſuppetit ratio, niſi ſaccharo & melle condiantur. Sic caſtitas nondum læſa aut violata diverſimodè ſervari poteſt; at ſemel violari cœpta: nullà re aliâ, niſi per excellentem quamdam devotionem (quæ, ſicuti ſæpè dixi, verùm mentium mel & ſaccharum eſt) poteſt conſervari.

Virgines verò caſtitate ſimpliciſſimâ opus habent; ut videlicet omnes cogitationes curioſas à corde ſuo excludant, & abſoluto quodam contemptu & repudio quaſlibet immundas delectationes contemnant; quòd hæ ab hominibus deſiderari & optari omninò non mereantur, cùm illæ aſinis & porcis conveniant magis & propriæ magis ſint, quàm ipſis. Caveant ergò hæ puræ animæ, ne unquam dubitent, quin caſtitas incomparabiliter melior ſit: quàm quidquid illi directè oppoſitum eſt, & cum ea incompatibile. Nam, ut magnus Hieronymus ſcribit; diabolus virgines violenter tentat & incitat, longè voluptates ſuaviores & delicioſiores quàm in ſe revera ſint, ipſis depingendo & repræſentando: quòd eas ſæpè perturbat, dum, ut ait ſanctus ille vir, ſuaviùs reputant id quod neſciunt. Nam veluti papilio flammam videns, eam identidem & curioſè circumvolitat, experturus num tam illa ſuavis ſit, quàm pulchra; & ab hac imaginatione impulſus, non ante ad eam volare ceſſat: quàm ad primum experimentum ipſe ſibi ruinam & mortem acceſſat. Sic adoleſcentiores ſæpè ſe ita à falſa & ſtulta perſuaſione & repræſentatio-

ne, quâ voluptatum carnalium flammas dulces ac delicioſas eſſe ſibi fingunt, abripi patiuntur: ut poſt multas curioſas cogitationes in iiſdem tandem pereant, ſibique interitum accerſant. In quo certè fatuis papilionibus ſtultiores ſunt ⁊ quod illi aliquam quidem occaſionem & cauſam habeant cogitandi, ignem, cùm adeò pulcher ſit & ſplendidus: etiam ſuavem & delicioſum eſſe. Hi verò licet ſciant, id quod ambiunt & conſectantur, cumprimis inhoneſtum eſſe: nihilominùs fatuam & brutalem illam delectationem pluris faciunt quàm honeſtatem.

Vides ergò, caſtitatem omni hominum generi neceſſariam eſſe. *Pacem ſequimini*, inquit Apoſtolus, *cum omnibus: & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Per ſanctimoniam autem, intelligit caſtitatem: ut S. Hieronymus & S. Chryſoſtomus illum locum exponunt. Nemo ergò, mea Philothea, ſine caſtitate videbit Deum; nemo in ſancto ejus habitaculo habitabit, qui non ſit mundo corde. Et ſicut Redemptor ipſe apertè pronunciat ⁊ *canes & impudici* ex eo ejicientur foras: *& Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Caſtitatis conſervandæ præcepta & monita præſcribuntur. Lib. 3. Introductionis cap. 13.

Remis veliſque fuge: quidquid ad lubricitatem & immunditiem quoquo modo ducit, aut eam adeſcat & nutrit. Hoc quippè malum agit inſenſibiliter ⁊ & à parvis initiis in immenſum ſenſim exereſcit, & ulterius progreditur: ſemper quippè facilius id vitatur, quàm ſanatur.

Corpora humana vitreis vaſis ſimilia ſunt: quæ ſimul lata, ac ſe ſe tangentia, in ſummo periculo ſunt, ne frangantur. Item fructibus ⁊ qui licet integri & benè affecti ſint; putredine tamen ſenſim corrumpuntur, ſi ſe propriùs tangant. Ipſa aqua quantumvis recens in vaſe ſit: ſi ab aliquo terreno animali delibetur & tangatur: ſuam integritatem & frigiditatem diu conſervare nequit. Nunquam te patiare, Philothea, ab aliquo indecenter: aut per jocum, ſive è benevolentia contingi. Licet enim caſtitas inter haſce actiones, leves potius quam malas, queat integra conſervari: viror tamen & flos illius aliquod ſemper inde capit detrimentum & jacturam. Totalis autem caſtitatis ruina & interitus eſt: ſi quis ſe inhoneſtè à quopiam tangi ſinat.

Caſtitas quidem ⁊ corde, velut ab origine ſua, ortum ſumit: corpus tamen velut materiam ſuam reſpicit. Hinc etiam per omnes exteriores corporis ſenſus, per cogitationes & deſideria cordis amittitur. Impudicitia eſt, intueri, audire, loqui, olfacere, tangere inhoneſta: cùm animus iiſdem afficitur & voluptatem inde haurit. Quare Apoſtolus abſolutè ait, & ſuadet: *Fornicatio nec nominetur quidem in vobis.* Apes non

ſolùm cadavera tangere recuſant ; ſed & omnem, qui ex iiſdem provenit fœtorem penitùs fugiunt & abhorrent. Sponſa in Canticis manus habet ſtillantes myrrham ; qui liquor eſt corpora quælibet ab omni corruptione defendens. Labia verò ejus vittâ coccineâ conſtricta ſunt: quæ honeſtatis & pudicorum verborum index eſt. Oculi ejus ſunt oculi columbarum, ob munditiem & integritatem ; aures illius inaures habent aureas, quod puritatis indicium & nota eſt: naſus denique ejus confertur cedris Libani, quod ligni genus æternum & incorruptibile eſt. Talis, anima devota ſit oportet ; caſta, inquam, nitida, honeſta, tam manibus, labiis, auribus, oculis: quam reliquo toto corpore.

Huic propoſito mirè mihi quadrare videtur ſententia illa, quàm Joannes Caſſianus tanquam S. Baſilij ore olim prolatam adducit ; qui de ſeipſo loquens quâdem die: *Fœminam neſcio, attamen virgo non ſum.* Tot certè amitti modis caſtitas poteſt, quot ſunt impudicitiarum & laſciviarum genera ; quæ prout magnæ, aut parvæ ſunt: eam vel debilitant, vel lædunt, vel planè exſtinguunt. Etenim ſunt quædam commercia & familiaritates ; & indiſcretæ, petulantes, vanæ, & ſenſuales quædam paſſiones, quæ ſi propriè loquendum ſit, caſtitatem quidem non violant: eam tamen debilem & languidam reddunt, ejuſque fulgidum nitorem nonnihil obſcurant. Aliæ ſunt familiaritates & paſſiones non indiſcretæ ſolùm, ſed & vitioſæ ; non ſolùm vanæ ac ineptæ, ſed & inhoneſtæ, non ſenſuales ſolùm, ſed & carnales; & per has ad minimum caſtitas valdè læditur & incommodatur. Dico, ad minimum ; quia tunc illa moritur & planè perit: quando laſciviæ & lubricitates illæ ultimum carnalis voluptatis effectum in carne cauſant. Imò verò tunc multò perit indignius ac ſceleſtius: quàm dum per fornicationem & inceſtum perit. Nam poſtremæ illæ libidinis ſpecies non niſi peccata ſunt: at prior illa lubricitas & impudicitia, ut Tertullianus libro de Pudicitia palam & apertè aſſerit, iniquitatis & peccati abominanda & horrenda monſtra ſunt. Porrò, nec Joannes Caſſianus, nec ego credimus, Sanctum Baſilium, dum ſe virginem eſſe negat: ad tale impudicitiæ & laſciviæ genus reſpexiſſe. Puto namque, eum non aliud hîc intellexiſſe, quàm voluptuarias & carnales cogitationes ; quæ tametſi propriè corpus ejus non inquinaſſent: cor tamen ac animum aliquo modo commaculârant. De cujus etiam caſtitate & integritate animæ generoſæ quàm maxime ſollicitæ ſunt: eámque ſartam tectam conſervare geſtiunt.

Impudicorum commercium quàm potes maximè, deteſtare ; præſertim ſi prætereà impudentes ſint: ut ferè ſemper ſunt. Ut enim hirci linguâ amygdalas dulces tangentes, eas quamprimum amareſcere faciunt ; ſic homines fœtidi, & cor infectum habentes, raro aliquem aut ſui, aut diverſi ſexûs, alloquuntur: quin illius caſtitatem & pudicitiam aliquo modo inquinent ac debilitent. Habent quippè venenum in oculis, &

in halitu, quemadmodum baſiliſci.

E contra cum hominibus pudicis & virtutum ſectatoribus commercium habe; ſæpè etiam de rebus piis aut cogita: aut libros de iiſdem tractantes lege. Verbum enim Domini caſtum eſt: & qui eodem delectantur & capiuntur, caſtos reddit. Unde David ipſum topazio & lapidi pretioſo comparat; cujus illa eſt proprietas & natura: ut ardorem concupiſcentiæ reſtinguat & conſopiat.

Semper te apud Jeſum Chriſtum crucifixum tene; cùm ſpiritualiter per ſanctam meditationem: tùm realiter per ſanctam Communionem. Nam ſicuti illi qui ſuper herbam cui nomen Agnus caſtus eſt, requieſcunt, caſti & pudici fieri dicuntur; ita, ſi cor tuum ſuper pectus Domini noſtri, qui verus eſt Agnus caſtus & immaculatus, quieſcat: brevi cor tuum, tuámque animam percipies omni obſcœnitate, & ſpurcitiâ mundari.

De paupertate ſpiritus inter divitias obſervanda. Lib. 3. Introductionis, cap. 14.

BEati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Infelices ergò divites ſpiritu: quoniam ipſorum eſt miſeria infernorum. Is dives eſt ſpiritu, qui divitias ſuas in ſpiritu habet: vel ſpiritum ac mentem in divitiis. Is verò pauper ſpiritu eſt: qui nullas in ſpiritu divitias, nec ſpiritum in divitiis habet. [*Quæcumque hîc habentur de divitiis quoad ſeculares: Religioſus affectui, adhæſionique ad res ſuperfluas poteſt applicare.*] Alcyones nidos ſuos conſtruunt adinſtar pomi, eoſque ita concinnant: ut in iis nonniſi parvum aditum ſupernè patentem relinquant. In maris deinde littore eos collocant, & quidem adeò ſolidos & impervios: ut nunquam ab aquis penetrari poſſint. Sed ſemper eis ſupernatantes: in medio mari, ſupra mare & mari prævalentes & ſuperiores maneant. Hos cor tuum nidos imitari debet, cariſſima Philóthea; ut nimirum ſoli cœlo id pateat: divitiis autem & rebus caducis omnino penetrari nequeat. Si verò eæ tibi obtigerint; vide, ne illis cor tuum affectu adhæreſcat: ſed ſemper ſupernatet, & medias inter divitias ſine divitiis ſit, & divitiarum dominus. Noli, quæſo, ſpiritum hunc cœleſtem bonis terrenis affigere; vide, ut is ſemper iis ſuperior ſit, ſupra eas, non autem in illis.

Multùm intereſt inter habere venenum, & venenum ſumpſiſſe. Pharmacopolæ ut plurimum venena in officinis habent, ut illa variis in eventibus adhibeant; at non propterea iis infecti ſunt: etſi venenum non in corpore, ſed in officinis ſuis habeant. Pari modo, habere divitias potes: non tamen ab iiſdem corrumpi. Id fiet; ſi eas domi & in crumena tua habeas: non autem in corde. Divitem eſſe re & effectu, at pauperem

affectu : ingens Chriſtiani hominis felicitas eſt. Hâc namque ratione, hoc in mundo divitiarum commoda percipit : & in altero meritum paupertatis.

Nullus unquam, Philothea, avarum ſe eſſe fatebitur ; quilibet hoc probum & ſordidi animi ſignum à ſe amolitur. Si quis forſan opes coacervet ; ideò ſe eas colligere aſſeret : quòd multâ prole gravetur. Sapientiam quoque exigere, ut facultatibus & opibus multis colligendis rem familiarem quis ſtabiliat. Nemo unquam habet ſatis ; ac ſemper aliquæ neceſſitates ad ampliùs habendum prætexuntur & inveniuntur : imò & avariſſimi quiquè, non ſolùm ſe avaros non eſſe aſſerunt, ſed ne quidem in conſcientia tales ſeſe eſſe cogitant. Avaritia ſiquidem prodigioſa quædam febris eſt : quæ eò fit inſenſibilior, quò violentior eſt & ardentior. Moyſes vidit ignem divinum, qui quidem rubum adurebat : ipſum tamen non exurebat aut conſumebat. E contra profanus avaritiæ ignis avarum quidem conſumit ac devorat, non tamen adurit ; ſaltem, in maximis ſuis ardoribus & æſtibus, frigidiſſimum ſe eſſe jactat : atque inſatiabilem cupiditatem & orexin ſuam, nonniſi naturalem & ſuavem quamdam ſitim eſſe ait. Si ergò diutiùs magno animi cum ardore & inquietudine bona ac facultates, quæ nondum habes, concupiſcas : falsò te illa nolle habere jactitas. Neque enim ideò deſinis verè avarus eſſe ; nam quiſquis ardenter, diu & cum animi inquiete bibere deſiderat : licet nonniſi aquam bibere velit, ſatis oſtendit ſeſe febricitare.

Neſcio ſanè, Philothea, juſtúmne ſit deſiderium, deſiderare habere juſtè quæ alius juſtè poſſidet : hoc quippe deſiderio alienum per incommodum, nobis commodare velle videmur. Qui enim rem aliquam juſtè poſſidet ; an non majorem illius juſtè ſervandæ rationem habet, quàm nos juſtè deſiderandæ ? Cur ergò deſiderium noſtrum in illius commodum, quò illum eo privemus, extendimus ? Saltem, & ſi deſiderium hoc juſtum eſſe concedamus ; non tamen eſt cum charitate conjunctum : neque enim ullo modo vellemus, alius quis deſideraret, (etſi juſtè) quod ipſi juſtè ſervare cupimus.

Hoc fuit peccatum Achab, qui Naboth vineam juſtè habere voluit, cùm is eam adhuc juſtiùs ſervare ſibi & retinere vellet ; & quia deſiderabat eam ardenter, diu & quadam cum animi turbatione : hinc Deum offendit.

Vide, Philothea, ut tunc proximi bona deſideres, cum is illa à ſe abdicare velle incipiet ; tunc quippe deſiderium ipſius, tuum non juſtum modò : ſed & cum charitate conjunctum faciet. Etenim per me licet, ut facultates & poſſeſſiones tuas adaugeas ; dummodò id non ſolùm juſtè : ſed & charitativè fiat.

Si erga facultates quas poſſides, affectu nimio feraris ; & propter eaſdem anxia ſis & ſollicita, cogitationes tuas penitus iis affigens ; quin etiam nimio quodam & anxio timore eiſdem metuas excidere : aliquâ

mihi credas velim, adhuc febri laboras. Febrientes namque aquam aliqua cum aviditate , cupiditate, intentione , ac recreatione bibunt : quam habere non ſolent illi qui recta valetudine ſunt. Vix fieri poteſt, ut quis in re aliqua multùm ſibi placeat : & non multùm affectu erga eam feratur. Si quam rerum tuarum jacturam te facere contingat ⁊ in animo propterea te contriſtari & affligi ſentias: crede mihi, Philothea, magno erga eaſdem affectu raperis. Nihil enim adeò affectum erga rem perditam prodit & patefacit : quam ob ejuſdem jacturam dolor & animi triſtitia.

Noli ergò, deſiderio quodam integro & formato, rem quam non habes ; deſiderare ⁊ iis autem facultatibus quas jam habes, noli cor firmiter apponere : noli quoque ob jacturam & damna rerum, quæ tibi eveniunt, magnopere contriſtari. Tunc aliquo tibi modo perſuadere poteris ac credere ⁊ te tametſi dives reipſa & effectu ſis : affectu tamen divitem non eſſe ⁊ ſed pauperem ſpiritu, & proinde beatam : tuum eſt enim regnum cœlorum.

Quæcunque ſecularibus hic dicuntur ⁊ potes adhibere veluti lapidem lydium, ad animi tui affectus probandos, non equidem cùm in ſimplici cogitatione aut ſenſu conſiſtunt ; ſed cum ea vides in tua ratione locum ſibi figere. Illud enim ultimum ſolummodò eſt alicujus momenti.

Quomodo reipſa paupertatem exercere quis poſſit : licet de facto & realiter maneat dives, cap. 15.

Parraſius pictor ingenioſiſſimo quodam commento populum Athenienſem expreſſit : cùm diverſæ eum indolis una & eadem in tabula repræſentavit ⁊ iracundum videlicet, injuſtum, inconſtantem ⁊ humanum, clementem, miſericordem : arrogantem, ſuperbum, humilem, jactabundum, fugitivum. Ego verò, chariſſima Philothea, opulentiam ſimul & paupertatem ⁊ inſignem rerum temporalium curam ſimul & contemptum pariter tibi vellem imponere : & cordi tuo infigere.

Majore ergò contentione ac ſtudio aliquem ex opibus tuis fructum & utilitatem elicere ſatage : quàm ſoleant mundani è ſuis. An non hortulani Principum in hortis curæ ſuæ concreditis colendis & condecorandis diligentiores & accuratiores ſunt, quàm ſi hi ad ipſos pertinerent, & ipſorum proprij forent ? Cur autem hanc illis diligentiam impendunt ? Quòd illos, ut hortos Regum ac Principum conſiderent : quibus per impenſum hortis obſequium placere & gratificari ſtudent. Poſſeſſiones & facultates quas habemus, Philothea, noſtræ non ſunt : quia Deus nobis eas colendas dedit ⁊ vúltque nos eas fructuoſas & utiles reddere : ideóque gratiſſimum illi obſequium præſtamus, dum eas curamus.

Unde

Unde majore has & ſolidiore nos cura curare oportet : quam mundani ſua. Hi namque nonniſi ex amore proprio , & quòd ſeipſos diligant ſua curant ; nos verò ex amore Dei laborare oportet. Porrò, ſicut amor proprius violentus , turbulentus , & anxius eſt : ita ut cura, quam illius cauſa quis habet, turbatione, anxietate, & inquietudine plena eſt. Et vice verſâ : ſicut amor Dei ſuavis, placidus & tranquillus eſt : ita & cura , quæ ex eo promanat, licet circa res ac bona mundi hujus occupetur : dulcis, placida & tranquilla eſt. Hanc ergò ſuavem rerum noſtrarum temporalium conſervandarum , quin & adaugendarum, curam habeamus : ſi quando juſta ad hoc nobis offeretur occaſio, & in quantum conditio noſtra & ſtatus requirit : ſic namque Dominus nos propter amorem ſuum vult facere.

At vide, ne ab amore proprio decipiaris : hic namque ſubinde amoris Dei formam & perſonam, adeò ſcitè induit : ut ipſum eſſe quis diceret. Porrò ad præcavendum ne iſte decipiat, & ne hæc rerum temporalium cura in avaritiam & cupiditatem tranſeat : præter ea quæ ſuperiori capite dicta ſunt : realis & effectualis paupertas ſubinde nobis erit inter facultates & divitias, quas Deus nobis eſt elargitus, exercenda.

Semper ergò aliquam facultatum tuarum portionem tibi præcide : eam ex animo pauperibus elargiendo ; quantùm autem ex eo quod habes das, tantùm te depauperas , & quò plura dabis, eo fies pauperior. At Deus id tibi centuplicatum reddet : & non in altero ſeculo tantùm, ſed & in præſenti. Nihil quippe hominem ita temporalibus abundare facit, atque eleemoſyna : at quamdiu exſpectas , ut Deus id tibi reddat & compenſet : tamdiu intereà inde manebis pauperior. Sed ô beata & opulenta illa depauperatio quæ ex eleemoſyna ſequitur ?

Adhæc pauperes & paupertatem ama : per hunc quippe amorem verè pauper fies : cum, teſte Scripturâ, ſimiles fiamus rebus quas diligimus. Amor quippe amantes invicem pares & ſimiles reddit. *Quis infirmatur*, ait S. Paulus, *& ego non infirmor ?* Dicere poterat, quis pauper eſt , cum quo ipſe non ſim pauper ? Quia amor faciebat eum talem , quales erant ij quos amabat. Si ergò pauperes ames : illorum paupertatis & inopiæ verè particeps eris : & ad inſtar illorum pauper.

Porrò, ſi pauperes ames, ſæpè inter eos , & cum iis verſare : ac volupe tibi ſit illos apud te videre : illóſque etiam domi ſuæ inviſere. Libenter quoque cum illis converſare : & gaude cùm illi in templis , plateis : & alibi te eleemoſynæ cauſa compellant. Eſto apud illos, & cum illis pauper lingua, ita nimirum eos alloquens tanquam ſi eorum eſſes ſocius : ſed eſto dives manu, de facultatibus tuis in illos erogando : quaſi illis abundantior & opulentior.

Ulteriùs etiam progredi vis, Philóthea ? Satis tibi non ſit, pauperem eſſe ſicut illi pauperes ſunt : ſed eſto illis etiam pauperior. Hoc autem quomodo fiet? Famulus minor eſt Domino ſuo. Pauperum ergò te famu-

Iam conſtitue ; & illis, dum lecto ægri decumbunt, domi famulatum abi: idque propriis manibus tuis. Cibum illis coque & præpara, idquè ære tuo & diſpendio ; pannos denique illorum ablue; & ſoli expone exſiccandos. Hoc, Philothea famulitium regno omni glorioſius & illuſtrius eſt. Satis autem hîc mirari nequeo fervorem, quo S. Ludovicus, in maximis, quos unquam mundus habuit, Regibus non poſtremus ; conſilium iſtud exercuerit: magnus inquam Rex, ut qui omni magnitudinis genere magnus fuit. Etenim ſæpè pauperibus, quos de opibus ſuis alebat, in menſa ipſe famulabatur: & penè quotidie tres pauperes in menſa ſua habebat convivas. Quin & non rarò amore & ardore quodam ſingulari, quod illi juſculum in ſcutella reliquerant: ipſe comedere non detrectabat. Cùm noſocomia viſitabat, (faciebat id autem ſæpiſſimè ;) illis plerumque ſerviebat, qui teterrimis & fœdiſſimis morbis putebant: puta leprâ, cancro, aliiſque id genus morbis laborantibus. Et omne hoc obſequium nudo peragebat capite, & genu flexo, Salvatorem Jeſum in illis conſiderans ; eóſque non minùs amanter fovens & complectens: quàm amantiſſima mater dilectiſſimum complecteretur filiolum. S. Eliſabetha Hungariæ Regis filia plerumque inter pauperes & mendicos verſabatur ; &, quo ſe nonnunquam oblectaret, ſubinde apud domicellas adinſtar paupercu‌læ induebatur, dicens: ſi eſſem pauper hoc me modo induerem. Quàm, ô chariſſima Philothea, Rex ille, & hæc Regina ſuis in divitiis & opibus erant pauperes ; & quàm in ſua paupertate opulenti?

Beati illi, qui hâc ratione pauperes ſunt: illorum ſi quidem eſt regnum cœlorum. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare ; nudus fui, & vos me cooperuiſtis; poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, dicet pauperum & Regum omnium Rex, in magno & ſupremo ſuo judicio.

Nullus omninò eſt, cui non aliquando aliquid in commodis habendis deſit & deficiat. Quandoque enim fiet, convivam aliquem inexſpectatò nobis ſupervenire, quem lautius excipere & vellemus & deberemus ; ſed illo in caſu ac temporis circumſtantia: nulla prorſus rei alicujus habendæ ſuppetit ratio. Veſtes ſuas ſplendidiores quopiam in loco quis habet ; & alio in loco, in quo eum elegantius veſtitum comparere par eſſet: opus iis habet. Continget ſubindè omnia cellæ vina repente ſaporem immutare & alterari: & nonniſi vappas & crudiora vina naturam ſuam retinuiſſe. In tugurio ruſtico aliquando te hoſpitari oportebit: ubi omnia hoſpitij commoda lectus, cubiculum, menſa, obſequium tibi deerunt. Itaque facilè fit, hominem, quantumvis dives ſit, aliquâ ſæpè te opus habere ; atque hoc eſt, reipſa & de facto pauperem eſſe: quoad ea nimirum quæ nobis deſunt. Gaude mea Philothea, ſi quando tale quid tibi continget ; ipſum gratanter atque æquanimiter excipe: & hilari vultu tolera.

Si quando tibi caſus ſuperveniet qui te ad paupertatem, ſive mag-

nam, ſive parvam redigat ⁊ uti ſunt tempeſtates, incendia, inundationes, ſterilitas, furta, lites : tunc tibi optima paupertatis exercendæ ſuppetit opportunitas ⁊ tunc hanc facultatum diminutionem & detrimentum æqui boniquè conſule : huícque depauperationi patienter & conſtanter acquieſce. Eſaü cum manibus ſuis piloſis & hirſutis patri ſe ſtitit ⁊ ſtitit & Jacob : ſed hoc cum diſcrimine. Quia enim pili qui erant in manibus Jacob, non manibus illius, ſed chirothecis duntaxat adhærebant : hinc pili ſine ulla manuum læſione & excoriatione de manibus ejus tolli poterant. E contrà, quia pili pelli Eſau adhærebant ; quam is natura hirtam & hirſutam habebat ⁊ hinc ſi quis illos avellere eſſet conatus, magnum ei haud dubiè cruciatum intuliſſet : ipſe quoque clamaſſet, móxque in ſui defenſionem proſilijſſet. Quando divitiis cor apponimus ⁊ ſi tempeſtate, furto, lite, aliquam earum nobis partem eripi contingat ⁊ quas querelas, quas turbas ciemus, quàm impatienter nos gerimus ? At cùm facultates noſtræ nonniſi à cura quâ Deus nos illas curare vult, non autem à corde & affectu noſtro dependent ⁊ etiam ſi illæ nobis eripiantur, & quodammodo avellantur : non propterea mente aut tranquillitate excidemus. Hoc intereſt inter beſtiarum & hominum indumenta, quod illarum veſtes carni inhæreſcant ⁊ horum verò ei tantummodò ſuperinduantur & applicentur : ut hi eas induere & exuere, quoties allubebit, poſſint.

Quomodo ſpiritualem opulentiam media in paupertate reali exercere poſſimus. Lib. 3. Introductionis, cap. 16.

AT non ſolum de facto, pauper ſis, cariſſima Philothea, ſed eſto, obſecro, & ſpiritu ⁊ fac de neceſſitate virtutem: & pretioſum hunc paupertatis lapidem juxta pretium ſuum æſtima. Illius fulgor & rutilantia mundo quidem incognitus eſt ; tamen in ſe & ſummè ſplendidus eſt, & ingentis valoris.

Patientiam habe ; bonos ſocios habes. Redemptor noſter, & Beata Virgo, Apoſtoli ⁊ tot utriuſque ſexûs ſancti homines, pauperes fuêre : cúmque divites eſſe poſſent, eſſe noluêre. Quàm multi in mundo illuſtres & opulenti, magna cum ſuorum contradictione & obloquio, incredibili quodam cum ardore & ſtudio ſanctam paupertatem in monaſteriis & xenodochiis ambivêre? Magno certè quò eam invenirent : labore & ſudore contenderunt. Teſtes S. Alexius, Paula, Paulinus, Angelus & innumeri alij. Porrò, multò illa erga te, Philothea, benignior & amicior eſt : ultrò ſeſe tibi offert. Inveniſti eam non quæſitam : & quidem citra ullum laborem aut ſudorem tuum. Ipſam ergò, velut dilectiſſimam Jeſu Chriſti amicam, complectere ⁊ ut qui in paupertate natus vixit & mortuus eſt : ipſa namque totâ vitâ, illius fuit comes ac mater.

Tua, ô Philothea, paupertas, duas inſignes habet prærogativas: quarum adminiculo multorum tibi illa eſſe meritorum poteſt occaſio. Prima eſt, quòd illa tibi obvenit non ambienti, & eligenti; ſed è ſola Dei voluntate, qui pauperem te fecit: ita tamen ut voluntate tuâ nullatenus concurreris, nec eam quæſieris. Quod ergò purè à voluntate Dei nobis immittitur, & tale à nobis recipitur; illi ſemper longè gratiſſimum eſt: dummodò nos ipſum ex animo libenter, & ad ſanctæ ejus voluntati ſatisfaciendum admittamus. Ubi minus de noſtro admiſtum eſt, ibi plus eſt Dei; ſimplex & pura voluntatis Dei acceptio: & ſui reſignatio tolerantiam maximè puram efficit.

Altera paupertatis hujus prærogativa eſt: quòd ſit paupertas verè pauper & inops. Paupertas laudata, amata, æſtimata, adjuta, & ſubſidiata habet opulentiam; unde planè & totaliter pauper non eſt: ſed paupertas contempta, neglecta, vituperata, & deſerta verè pauper eſt. Talis eſt ut plurimùm paupertas ſecularium; quia enim hi non electione, ſed neceſſitate & ſorte pauperes ſunt: hinc vilipenduntur. Et quia vix ullo in pretio habentur; hinc paupertas eorum pauperior eſt quàm Religioſorum: licet hæc aliundè magnam quamdam habeat excellentiam, longéque ſit illuſtrior, videlicet ratione voti & intentionis, propter quam aſſumpta eſt.

Noli ergò ob paupertatem tuam conqueri, chariſſima Philothea mea; non enim querimur niſi de eo quod nobis diſplicet: unde ſi paupertas tua tibi diſplicet, non jam amplius ſpiritu pauper es, ſed affectu & deſiderio dives.

Ne contriſteris, ſi minora æquo & debito tibi ſubſidia præbeantur; in hoc namque paupertatis excellentia & dignitas conſiſtit. Velle eſſe pauperem, & nullum velle incommodum habere magna ambitio eſt: idem namque eſt, ac velle ſimul honorem paupertatis, & commoditatem divitiarum ac opum habere.

Ne ſit tibi pudori quod pauper ſis, & eleemoſynam ex charitate ab aliis petas; eam verò, quæ tibi dabitur, cùm humilitate admitte: & quando negabitur, benignè reſponde. Sæpè tibi in mentem veniat profectio Beatæ Deiparæ Virginis in Ægyptum, quò filium ſuum cariſſimum illùc aſportaret; quot eam ibi vilipendia, quantùm paupertatis & ærumnarum ſubire oportuerit; ſi ita vitam inſtitueris, itáque te geſſeris: in paupertate tua eris ditiſſima.

Nihil deſiderari poteſt ultra ea quæ S. Magiſter hìc profert circa uſum divitiarum & paupertatis praxim; & hæc quidem maximè ſpectant ſeculares. Sed inde Religioſi aſſumere ſibi debent egregia incentiva, eximiáſque rationes paupertatem quam voverunt optime & prudenter adimplendi; & quoſlibet alios in hac materia inſtruendi, dirigendi & conſolandi? Nunquam ſic locutus eſt homo. Hoc certè verbum poteſt hìc S. Doctori noſtro adaptari: & ideò ſuperfluum eſſet verba noſtra ejus verbis addere.

LECTIO TRIGESIMA OCTAVA.

De amicitia & veris amicitiis , de cavenda nimia familiaritate : & quòd pax non eſt ponenda in hominibus.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

DIligite inimicos veſtros : benefacite his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis : & orate pro calumniantibus vos. Luc. cap. 6 v. 28.

Nemini quidquam debeatis , niſi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit Epiſt. ad Rom. cap. 13. v. 28.

Eſtote ergò imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi , & ambulate in dilectione : ſicut & Chriſtus dilexit nos , & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Epiſt. ad Epheſ. cap. 5. v. 1.

Audiſtis quia ego dixi vobis : vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia pater major me eſt. Joan. cap. 14. v. 28.

Cùm autem eſſet Ieroſolymis in Paſcha in die feſto , multi crediderunt in nomine ejus : videntes ſigna quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis : eò quòd ipſe noſſet omnes. Joan. cap. 2. v. 28.

In prima mea defenſione nemo mihi affuit , ſed omnes me dereliquerunt : non illis imputetur. Epiſt. 2. ad Timot. cap. 2. v. 23.

In his Sacræ Scripturæ verbis habes. 1°, Veræ ac Chriſtianæ amicitiæ formam , & qualiter debeat eſſe caſtigata & purgata : ne ſatisfactio propria præferatur utilitabus proximi & majori gloriæ Dei. 2°, In amore proximi non nimis eſſe fidendum hominibus : nec eorum imprudentiæ aut inconſtantiæ ſe cõmittendum. 3°, Denique in B. Pauli exemplo vides qualiter homines amicos deſerant ; cùm eorum ope magis indigent. Quæ in idem argumentum uterque Doctor ediſſeret : ſtudioſè attende.

De amicitia. Lib. 3. Introductionis, cap. 17.

INter animæ paſſiones amor primum locum occupat , ipſéque omnium animæ motuum princeps eſt : & omnes illos in ſe commutat, & reddit nos tales quale eſt id quod amat. Vide ergò , Philothea mea , ne malum amorem habeas ; nam ſtatim mala & perverſa fies. Inter omnes autem amores amicitia periculoſiſſima eſt ; quòd alij amores ſine ulla ha-

beri poſſint communicatione ; ſed cùm amicitia planè ſine communicatione eſſe nequeat : hinc ea cum ullo haberi vix poteſt, quin morum & qualitatum ejus quàmprimùm fiamus participes.

Amor omnis, amicitia non eſt : amare quippe poſſumus, & tamen non amari : & tunc amor eſt, & non amicitia ; quòd amicitia mutuus quidam & reciprocus ſit amor : & ſi is reciprocus non ſit, amicitia non eſt.

Secundò, ſatis non eſt eum eſſe reciprocum ; ſed neceſſe eſt præterea partes & amicos ſe in vicem amantes : reciprocum & mutuum ſuum affectum noſſe. Si enim hunc ignorent ; amorem quidem habebunt : non verò amicitiam.

Tertiò, requiritur prætereà, ut inter eos aliqua ſit communicatio : quæ amicitiæ baſis ſit & fundamentum. [*Ex hac amicitiæ deſcriptione quam pro ſecularibus exaravit : facilè poteris diſcernere amicitiam merè ſenſibilem, ab ea quæ ratione nititur, & ab ipſa dirigitur.*]

Pro communicationum diverſitate diverſa etiam eſt amicitia ; communicationes porrò in tantùm inter ſe differunt : in quantum bona quæ invicem communicantur, inter ſe diſtinguuntur. Si enim bona falſa & vana ſint : falſa & vana eſt amicitia ; ſi vera bona : vera etiam amicitia. Et quò bona illa erunt excellentiora : eò etiam excellentior amicitia futura eſt. Nam ſicuti mel tunc præſtantius eſt, cùm ex odoratiorum florum corculo colligitur ; ita amor ſolet eſſe præſtantior & excellentior : dum ſuper meliore communicatione fundatus eſt. Et quemadmodum Heracleæ Ponti civitatis mel reperitur, quod virulentum eſt, & comedentes in rabiem convertit ; quòd ipſum ex aconito (cujus regio illa mirè ferax eſt) colligatur : ſic amicitia ſuper falſorum & pravorum bonorum communicatione fundata, falſa, vana, & prorſus pernicioſa eſt.

Amicitia ſuper ſenſualium voluptatum communicationem fundata ; prorſus craſſa eſt, & amicitiæ nomine indigna : uti & illa, quæ vanis & frivolis quibuſdam virtutibus innititur, quod virtutes à ſenſibus etiam pendeant. Senſuales autem voluptates voco illas, quæ immediatè & præcipuè circa ſenſus exteriores verſantur ; uti eſt voluptas illa quæ è conſpectu pulchritudinis alicujus corporalis, ſuavis vocis auditu, tactu molli oritur : & aliæ id genus. Virtutes autem frivolas appello vanos quoſdam naturæ habitus & qualitates : quos imperiti virtutum & perfectionum nomine vocant. Unde potiſſima mulierum, puellarum, adoleſcentium pars ſic palam loquitur, & dicere non verentur ; Nobilis ille magnâ eſt virtute prædirus : multis donatus eſt perfectionibus. Nam ſcitè tripudiat ; in omni luſûs genere verſatiſſimus eſt : ſcitè ſe veſtit, ſcitè canit, ſcitè jocatur & confabulatur : elegantes habet geſtus. Sic ludiones hiſtrionéſque illum inter actores omnes primas ferre putant : qui optimè morionem agit. [*Hic ſtolidam mundanorum, judicandi & æſtimandi rationem aptiſſimè deſcriptam habes.*] Porrò quoniam hæc omnia ad ſenſus referuntur ; hinc etiam amicitiæ, quæ hinc ortum habent, ſenſuales,

vanæ, & frivolæ dicuntur : quæ tamen ineptiarum & nugacitatis potius, quàm amicitiæ nomen promerentur. Tales ut plurimùm ſunt adoleſcentium amicitiæ, quæ nonniſi in muſtacibus & alis barbarum ; cirrhis crinium , oculorum nutibus ; veſtibus, geſticulationibus : inani verborum ſtrepitu & garritu continentur. Dignæ certè amantium & amaſiorum ætate, nullam adhuc virtutem niſi in flore & progerminatione ; nullum judicium niſi in gemmaſcentia habentium : undè etiam tales amicitiæ tranſitoriæ ſunt : & adinſtar nivis ad ſolis radios funduntur & diffluunt.

De veris amicitiis. Ibidem , cap. 19.

UNumquemque in genere quidem , Philothea , magno quodam amore charitativo proſequere ; at cum nullis aliis particulariter amicitiam contrahe, quàm cum illis qui tecum de rebus bonis piiſque poſſunt communicare : & quò virtutes de quibus in commercio tuo tractabis , excellentiores & digniores ſunt , eò & amicitia tua futura eſt perfectior. Si de ſcientiis communicetis , valdè laudabilis ſanè amicitia veſtra eſt : laudabilior certè futura ; ſi de virtutibus , puta prudentia, diſcretione, fortitudine, & juſtitia : communicatio ipſa ſit. At, ſi in mutua & reciproca veſtra communicatione loquamini de charitate, devotione , perfectione Chriſtiana ; quam Deus bone, amicitia veſtra erit pretioſa ? Excellens certè ea erit , quòd à Deo veniat ; quòd ad Deum tendat, quòd vinculum ejus ſit Deus : quòd æternùm in Deo durabit. Quàm pulchrum & bonum eſt , ita in terra amare , ſicut amatur in cœlo ; & addiſcere jam tum in hoc mundo invicem diligere & complecti : ſicut in altero æternum alter alterum diligemus. Non loquor hic de ſimplici amore charitatis (nam tali erga omnes omninò homines ferri debemus ;) ſed de amicitia ſpirituali; quâ videlicet duæ, tres, aut plures animæ ſuam devotionem & affectus ſpirituales invicem communicant : unúmque inter ſeſe cor & anima fiunt. Quàm igitur meritò beatæ hæ animæ illud canere Pſalmiſtæ poſſunt ; *Ecce quàm bonum & quàm jucundum , habitare fratres in unum ?* Et verè ; nam fragrans devotionis balſamum , continuâ quadam participatione : ab uno cordium in aliud defluit & diſtillat. Adeò ut dicere poſsímus : Deum ſuper hanc amicitiam benedictionem ſuam , & vitam in ſæculum ſæculi effudiſſe.

Omnes aliæ amicitiæ videntur mihi nonniſi umbræ quædam amicitiæ eſſe , cum hac comparatæ ; earúmque vincula eſſe tantùm velut catenulæ vitreæ & gypſeæ : ſi cum magno illo ſanctæ devotionis vinculo, quod planè aureum eſt, conferantur.

Nullam itaque aliam amicitiam contrahas ; loquor de amicitiis quas ipſa ultrò inis : neque enim propterea deſerere te aut contemnere oportet amicitias, quas aut natura, aut præcedentia merita te colere jubent ;

puta parentum, affinium, benefactorum, vicinorum, & aliorum : at de illis loquor quas ipſamet tibi deliges & aſſumes.

Multi fortaſſe tibi dicent, non debere te particularem aliquam amicitiam & affectum fovere aut habere ⁊ quòd per hanc totaliter animus occupetur ⁊ ſpiritus diſtrahatur : & invidiarum hoc ſit ſeminarium. Sed qui hoc tibi conſulent : graviter ſanè errant. Quod enim in multorum ſanctorum & piorum auctorum libris legerunt, particulares amicitias, & extraordinarios affectus Religioſis admodum noxios eſſe : putant idem etiam in reliquis hominibus locum habere. Sed magnum inter utroſque diſcrimen eſt. Nam cùm in benè formato ac morato monaſterio communis omnium Religioſorum intentio ad veram devotionem feratur ⁊ hinc ibi particulares has communicationes facere nefas eſt : ne, dum quod commune eſt, in particulari quæritur : quiſpiam à particularitatibus illis ad partialitates & factiones tranſitum faciat. Cæterùm eos qui inter ſeculares homines agunt, & veræ virtutis ſtudium complectuntur ⁊ ſanctâ & piâ quadam amicitiâ ſibi invicem uniri conſtringíque opus eſt ; illius enim adminiculo ad bonum invicem animantur, juvantur, feruntur. Et ſicuti eos qui in loco plano & æquo ambulant, neceſſe non eſt ut ſibi invicem manum auxiliarem porrigant, ſed qui in via ſalebroſa & lubrica incedunt, ſe mutuò ſuſtineant oportet, quò ſolidiùs tutiúſque greſſum figant : ſic qui in Religioſis domibus vivunt, particularibus amicitiis opus non habent ⁊ ſed ij qui in mundo ſunt : quò ſibi invicem ſubſidio & præſidio ſint in tot ſalebris & præcipitiis, quæ illos oportet perambulare. In mundo namque non omnes in eumdem collineant ſcopum : non omnes eumdem habent ſpiritum. Ergò ſegregati hìc haud dubiè nos oportet ⁊ & in particulari intento & ſcopo noſtro conſentaneas amicitias inire : atque licet hæc ſingularitas partialitatem aliquam faciat ⁊ ea tamen ſancta eſt, & non aliam diviſionem aut ſeparationem cauſat : quàm quæ eſt boni à malo, ovium ab hircis, apum à fucis. Quæ certè ſeparatio neceſſaria eſt.

Negare certè nemo poteſt, quin ſuaviore & ſpecialiore quadam amicitiâ & amore Redemptor noſter dilexerit S. Joannem, Lazarum, Martham, Mariam Magdalenam, quàm alios : cùm Evangeliſtæ id teſtentur. Notum eſt quoque Apoſtolo Petro S. Marcum & S. Petronillam cariſſimos fuiſſe : uti S. Paulo Timotheum & Theclam. S. Gregorius Nazianzenus ſingularem ſuam, quam cum Magno Baſilio habuit, amicitiam ullo penè non loco prædicat : eámque hoc modo deſcribit. *In utroque noſtrûm nonniſi una videbatur eſſe anima : duo animans corpora. Etſi enim credendum non ſit omnia in omnibus eſſe dicentibus : credendum tamen eſt, ambos nos in alterutro noſtrûm, & alterum in altero exſtitiſſe. Vnus & idem amborum ſcopus erat, virtutem exercere ⁊ & vitæ noſtræ ſtudia ac propoſita futuris bonis applicare : terra hac mortali prius quodammodo egredientes, quàm moreremur.* S. Auguſtinus teſtatur, S. Monicam S. Ambroſio, ob

raras

raras & ſingulares, quas in ea norabat, virtutes percharam exſtitiſſe: & illam viciſſim hunc tanquam Angelum Dei ſuſpexiſſe.

Sed quid te, in re adeò liquida & manifeſta tam multis verbis incaſſum moror? Cùm ſancti Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, & primævi quique ſervi Dei: particulares quaſdam amicitias, ſine ullo perfectionis ſuæ diſpendio habuerint. S. Paulus de Gentilibus loquens, ait eos fuiſſe homines omnis affectionis & benevolentiæ expertes: id eſt, nullam cum aliquo amicitiam habuiſſe. Ad hæc ſanctus Thomas, uti & omnes Philoſophi: amicitiam docet eſſe virtutem. Loquitur autem de amicitia quadam particulari, cùm perfecta amicitia, ex illius ſententia, ad plurimos ſe nequeat extendere: aut cum multis eſſe. [*Ejuſmodi inſignes ac ſanctæ amicitiæ ſemper debent eſſe circumſpectæ, ne in adhæſionem incidamus: quæ ſoli Deo debetur. Ut enim alibi ſanctus magiſter ediſſeret tibi, ſupernaturale facilè in naturale mutatur; quando debita cura mortificandi adhæſiones ſenſibiles non habetur, nec intra virtutis limites ſtudiosè continentur.*] Perfectio ergò ſita eſt, non in eo ut nullam prorſus quis amicitiam habeat: ſed, ut nonniſi bonam, ſanctam & piam.

De diſcrimine inter veras & vanas amicitias: & varia monita ex cap. 20. & 21. Lib. 3. Introductionis excerpta.

PRæclarum jam tibi & præſtans documentum tradam, mea Philothea. Ut Heracleoticum mel quod adeò virulentum eſt: alteri quod adeò ſalutare & ſalubre, eſt perſimile. Et periculum eſt, ne unum alterius loco ſumatur, aut ambo ſimul: (etenim bonitas hujus, noxam illius non impediret.) Ita etiam ſeriò videndum, ne his in amicitiis decipiamur, maximè cùm inter diverſi ſexûs homines contrahuntur: quocunque demum prætextu & ſpecie id fiat. Sæpè namque Satan eorum qui amant affectus immutat. Pio amore amare alium quis incipit, at niſi ſeriò circumſpiciat & caveat: paulatim ſe amor frivolus & nugax inſinuabit, dein ſenſualis, mox carnalis, quin & aliquod in ipſo amore ſpirituali, niſi quis ſtudiosè advertat & advigilet, periculum eſt; licet hic difficilius immutetur & degeneret, quod ejus puritas & mundities, eas quas Satan ei permiſcere vult, ſordes & inquinamenta: magis prodat & patefaciat. Quocirca cùm tale quid aggredi vult & molitur, idipſum is facit quàm poteſt ſubtiliſſimè: & inſenſibiliter penè & imperceptibiliter impuritates ſuas ei immiſcere & inſinuare ſatagit.

Amicitiam porrò mundanam à ſancta & virtuoſa eo cognoſces modo: quo mel Heracleoticum dignoſcitur à communi. Etenim iſtud linguâ ſapidius & dulcius eſt, quàm mel ordinarium: idque ob aconitum, quod dulcedinem ejus adauget & conduplicat. Sic & amicitia mundana, ut plurimum magnam ſermonum mellitorum farraginem, verbulo-

rum amoroſorum & affectum tentantium apparatum ; & à pulchritudine corporali, gratia, ſenſualibus dotibus mutuata præconia depromit: ſed amicitia ſancta linguam habet ſinceram & candidam ; & aliud laudare nequit quàm virtutem & Dei gratiam : quæ unicum eſt ſuper quod ipſa ſubſiſtit, fundamentum. Mel Heracleoticum jam in ſtomachum tranſmiſſum, vertiginem capitis cauſatur ; ita falſa amicitia vertiginem provocat ſpiritûs: quæ in cauſa eſt cur in caſtitate quis & devotione vacillare incipiat. Adeò ut ad aſpectus affectatos, illecebroſos, amatorios & inordinatos ; ad complexus & favores ſenſuales ; ſuſpiria inordinata ; pravas quaſdam expoſtulationes, quaſi non ametur ; ad parvas, ſed affectatas, ſed allicientes geſticulationes ; elegantiæ conſectationem ; & alias familiaritates & favores indecentes, (quæ certa & indubitata proximè ſecuturæ ruinæ caſtitatis præſagia ſunt:) eum proſilire faciet. At ſancta amicitia, alios oculos non quærit, quàm ſanctos & pudicos ; non alia amoris habet indicia & ſignificationes ; quam puras & candidas ; non alia ſuſpiria, quàm propter cœlum ; non alias familiaritates quàm quoad ſpiritum ; non alias expoſtulationes, niſi cùm Deus non amatur : quæ certa honeſtatis ſunt argumenta.

Mel Heracleoticum viſum præſtringit & turbat: ſic mundana amicitia judicium. Adeò ut qui ab eadem capti ſunt, tametſi malè faciant ; bene ſe facere exiſtiment: ſuáſque excuſationes, prætextus & verba ueras eſſe rationes. Lumen quoque horrent, & tenebras diligunt. At ſancta amicitia oculos habet acutum videntes ; nec ſe ſubducit: imò ab hominibus probis videri gaudet.

Denique Heracleoticum mel magnam in ore amaritiem producit: ſic falſæ amicitiæ in verba carnalia & impura tandem deſinunt. At caſta amicitia ſemper æqualiter honeſta, civilis & amabilis eſt ; & nonniſi in perfectionem & puriorem quamdam ſpiritûs unionem tranſit, quæ viva amicitiæ beatæ, quâ cœli cives inter ſe uniti ſunt, imago eſt.

Juvenculi, qui eos geſtus, geſticulationes, & amoris indicia edunt ; aut alia verba proferunt, quæ à parentibus, maritis, uxoribus, confeſſoribus videri audiríve nollent : ſatis hoc ipſo pródunt, alia longè ſe dicere & facere, quàm quæ ad honeſtatem, aut conſcientiam ſpectant. Deipara Virgo, cùm Angelum virili in forma coram ſe videret, turbatur ; eò quod ſola eſſet: & inauditas & ſummas, licet cœleſtes, is in ipſam laudes depromeret. Ipſamet puritas, Deus bone, Angelum virili ſchemate indutum timet ; quidni ergò impuritas virum, licet in Angeli is forma appareat, dum ſenſuales & humanas laudes in ipſam depromit, timeat & exhorreſcat?

At quænam contra hanc fatuorum amorum, ineptiarum, & impuritatum matrem ac ſeminarium ſuppetunt remedia ? Quamprimum ac primos illorum in te ſenſus perceperis ; celeriter te in alteram partem converte: & cum perfecta quadam vanitatis hujus deteſtatione, ad cru-

cem Salvatoris confugito ; & coronam ejus ſpineam capiens, illâ cor tuum ſepi, & communi: ne illæ vulpeculæ ad illud propius accedant. Vide, ne ullatenus aut quoquo modo cum iſto inimico in tractationem venias aut paciſcaris ; neque dicito, auſcultabo quidem illi: ſed nihil eorum quæ mihi oggeret, exequar.

Aurem quidem illi præſtabo: ſed cor ei occludam. Eſto, te rogo, Philothea mea, his in rebus admodum rigida ; cor enim & aures a ſe invicem dependent ; & ut impoſſibile eſt, torrentem, qui per montis declive curſum ſuum inchoavit, retinere aut impedire: ita quoque perdifficile eſt impedire, ut amor, qui jam in aures ſeſe inſinuavit, non ſtatim in cor devolvatur ac deſcendat. Capreæ, prout quidem ſcribit Alcmæon, per aures, & non per nares halitum ducunt ac reſpirant. Sed, quia id negat Ariſtoteles: hinc quidnam hac in re certi ſtatuendum ſit neſcio. Hoc ſcio, animum & cor noſtrum per aures reſpirare ; & ſicut per linguam aſpirat & cogitationes ſuas exhalat: ſic per aures reſpirat, adeò ut per eas aliorum concepta & cogitationes admittat. Aures ergò noſtras ſollicitè cuſtodiamus ; ne quis fatuorum & inanium verborum aër per eadem intret: id enim ſi fiat, cor noſtrum illicò peſtilente aliquo halitu & aurâ inficietur. Ad nullam, penitùs, quocumque etiam prætextu & occaſione proferatur, propoſitionem inhoneſtam aures accommoda ; hoc ſolo in caſu malum non eſt, ſed laudabile: incivilem & agreſtem eſſe.

Memento te cor tuum Deo obtuliſſe: & amorem tuum illi dedicatum eſſe. Sacrilegium ergò foret: vel minimâ illius portiunculâ ipſum privare. Imò potiùs, mille per propoſita & proteſtationes ipſum de novo ei ſacrifica, & intra illa, te, velut cervus intra ſpelæi ſui munimina, continens, Dei opem implora; is tibi haud dubiè auxiliabitur, illiúſque amor ſuo tuum clypeo teget, ut is ſoli illi vivat.

Alia quædam monita quoad materiam de amicitiis traduntur. Ibidem, cap. 22.

AMicitia magnam quamdam inter amantes ipſos communicationem requirit; ſine hac enim nec naſci, nec ſubſiſtere poteſt. Hinc ſæpè fit: ut una cum amicitiæ communicatione plures aliæ communicationes inſenſibiliter, ex uno corde in aliud: ídque per mutuam & reciprocam affectuum, inclinationum & impreſſionum infuſionem & effuſionem commigrent ac ſeſe inſinuent. Hoc verò tunc potiſſimum fit, cùm eum quem diligimus plurimi facimus ; tum quippè ita cor noſtrum amicitiæ ejus pandimus: ut unà cum ipſa illius inclinationes & impreſſiones, facili negotio, totæ & penitùs, ſive eæ bonæ ſint, ſive malæ, eódem penetrent ac ſubingrediantur. [*Nota diligenter hunc locum ; quò affectum*

exiſtimationémque erga viros probos moderandam, *edoceris*; *nec omnes eorum actiones virtutes eſſe putandas. Illud enim ſolummodo Chriſto ac beatiſſimæ Virgini convenit. Prototypa ſunt*; *cæteri verò quocumque perfectionis gradu præditi*, *non niſi exemplaria imperfecta*, *ſingulâque ſuis defectibus obnoxia*.] Apes, quæ Heracleoticum mel conficiunt, nonniſi mel quidem quæritant; ſed unà cum ipſo imperceptibiliter virulentas aconíti, è quo illud colligunt: vires & qualitates, exſugunt. Quamobrem factitandum hîc, Philothea, illud dictum Salvatoris noſtri Chriſti; quod (uti quidem priſci nos docuêre) ſæpius in ore habuit: *Eſtote boni collybiſtes & monetarij.* Id eſt, nolite falſam & adulterinam pecuniam bonæ permixtam; nec deterioris notæ aurum cum meliori recipere; ſed ſeparate pretioſum à vili. Et benè quidem; vix enim quiſquam eſt: qui non aliquam habeat imperfectionem. Cur autem labes & imperfectiones amici, unà cum amicitia ejus, mixtim & ſine ullo diſcrimine admittimus?

Certè, quantumvis imperfectionem habeat, nihilominus, fateor, amandus eſt; ſed imperfectio illa nec amanda, nec admittenda eſt. Amicitia quippè boni alicujus communicationem requirit, non mali. Sicuti ergò, qui auriferas Tagi arenas colligunt, aurum quod in eiſdem reperiunt ſegregant, ſecum id aſportaturi; at arenam in ripa relinquunt; pari modo qui bonæ alicujus amicitiæ communicationem habent; ipſas imperfectionum ſordes & arenam ab ea ſeparare debent: neque eas in animam ſuam admittere. S. Gregorius Nazianzenus ſcribit, plurimos S. Baſilij amatores, ita ejus modum agendi æmulari conatos, ut exteriores ejus imperfectiones imitarentur; nimirum in lenta, quaſi mens ejus eſſet abſtracta & cogitabunda, locutione: in barbæ forma, quin & inceſſu. Sic videmus maritos, uxores, filios, amicos; dum amicos ſuos, parentes, maritos, uxores magni faciunt, & diligunt: ſexcentas imperfectiunculas, & pravas qualitatulas, in amicitiæ mutuæ commercio, vel è condeſcendentia quadam, vel ex zelo imitationis contrahere. Hoc porrò nullatenus faciendum; unus quiſque enim ſat multas malas inclinationes habet: ut eum neceſſe non ſit alienas aſſumere. Et amicitia adeò hoc non requirit: ut etiam è contra nos obliget, ad mutuam in omnibus imperfectionibus à nobis invicem auferendis operam præſtandam. Amicus ergò benignè & ſuaviter ſuis in imperfectionibus eſt ſupportandus; non verò in iiſdem fovendus: multò verò minus eæ in nos tranſcribendæ.

Porrò loquor hîc de ſolis imperfectionibus; nam peccata in amico nec fovenda, nec toleranda ſunt. Quamobrem amicitia illius vel debilis, vel iniqua eſt: qui pereuntem amicum videt, & ei minimè ſuccurrit; qui eum ex apoſtemate morientem cernit: & illum correctionis novaculà ferire non audet, quò ſoſpes evadat. Vera & viva amicitia inter peccata manere non poteſt. Dicitur ſalamandra ignem cui incubat, extinguere; ſic peccatum amicitiam, in qua habitat, enecat: ſi tranſi-

torium ſolùm peccatum ſit, amicitia ipſum quamprimùm per correptionem eliminat & proſcribit. Si verò firmam ibi ſedem figat & commoretur, mox amicitia tota diſperit ⁊ nam nonniſi in vera virtute ipſa poteſt ſubſiſtere ⁊ quanto ergò minus propter amicitiam peccandum? Amicus fit inimicus, cùm nos ad peccatum pertrahere vult: & amicitiam tunc perdere dignus eſt, cùm amicum perdere, & ad damnationem pertrahere vult. Imò verò è certiſſimis falſæ amicitiæ ſignis eſt, quandò cum homine vitioſo & peccatis obnoxio ipſa contrahitur ⁊ quodcunque demum id peccatum ſit, ſi is quem amamus, vitioſus ſit: amicitia noſtra haud dubiè vitioſa eſt. Cum enim veram illa virtutem reſpicere nequeat: falſam aliquam ac ſenſualem qualitatem reſpiciat neceſſe eſt.

Societas, lucri temporalis cauſa inter mercatores contracta, veræ amicitiæ tantùm imaginem habet ⁊ ipſa namque non ratione perſonarum: ſed tantùm lucri & quæſtûs, initur.

Denique duæ illæ divinæ ſententiæ duo ſolida ſunt ad vitam Chriſtianam benè conſolidandam fulcra & baſes ⁊ una eſt Sapientis, cum ait, *qui timet Dominum, habebit amicitiam bonam*: altera S. Jacobi dicentis. *Amicitia hujus mundi inimica eſt Dei.*

De cavenda nimia familiaritate. Lib. 1. *de Imitatione, cap.* 8.

1. NOn *omni homini reveles cor tuum*; ſed cum ſapiente & timente Deum age cauſam tuam. [*Alter magiſter amicitiæ repurgandæ modum edocet; & locum non dandi nimiæ adhæſioni, aut nauſeæ, aut tandem abalienationi ab amico.*] Cum juvenibus & extraneis rarus eſto. Cum divitibus noli blandiri; & coram magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus & ſimplicibus ⁊ cum devotis & bene morigeratis ſociare: quæ ædificationis ſunt pertracta. Non ſis familiaris alicui mulieri; ſed in communi omnes bonas mulieres Deo commenda. Soli Deo & Angelis ejus opta familiaris eſſe; & hominum notitiam devita. Eccli. 8.22. Eccli. 37.15.

2. Caritas habenda eſt ad omnes; ſed familiaritas non expedit. Quandoque accidit, ut perſona ignota ex bona fama luceſcat, cujus tamen præſentia oculos intuentium offuſcat. Putamus aliquando aliis placere ex conjunctione noſtra; & incipimus magis diſplicere ex morum improbitate in nobis conſiderata.

Quod pax non eſt ponenda in hominibus. Lib. 3. *de Imitatione. cap.* 42.

1. FIli ſi ponis pacem tuam in aliqua perſona propter tuum ſentire, vel convivere; inſtabilis eris & implicatus. [*Perfectæ amicitiæ quæ ſua ſunt non quærentis: formam hîc habes.*] Sed ſi recurſum habes ad ſem-

per viventem & manentem Veritatem; non contriſtabit te amicus recedens & moriens. In me debet amici dilectio ſtare ; & propter me diligendus eſt; quiſquis tibi bonus viſus eſt & multùm carus in hac vita. Sine me non valet, nec durabit amicitia : nec eſt munda & vera dilectio, quam ego non copulo. Ita mortuus deberes eſſe talibus affectionibus dilectorum hominum ; ut (quantum ad te pertinet:) optares ſine omni humano eſſe conſortio. [*Ad hæc aſpirandum eſt, ut progreſſus fiat, in libertate ſpoliationis ab omnibus ; ſed non ideò fugiendum eſt proximi conſortium: contra ordinem Charitatis, officiorum & regularum ſuæ profeſſionis.*] Tantò homo Deo magis appropinquat; quantò ad omni ſolatio terrenò longiùs recedit. Tantò etiam altiùs aſcendit ad Deum; quantò profundiùs in ſe deſcendit, & plus ſibiipſi vileſcit.

2. Qui autem aliquid boni ſibi attribuit ; gratiam Dei in ſe venire impedit: quia gratia Spiritûs ſancti cor humile ſemper quærit. Si ſcires te perfectè annihilare, atque ab omni amore creato evacuare; tunc deberem in te cum magna gratia emanare. [*Hic obſerva, obicem gratiæ Dei ex ſuperbia hominis procedere.*] Quando tu reſpicis ad creaturas; ſubtrahitur tibi aſpectus Creatoris. Diſce te in omnibus propter Creatorem vincere; & tunc ad divinam valebis pertingere cogitationem. Quantumcumque modicum ſit; ſi inordinatè diligitur & reſpicitur, retardat à ſummo bono & viciat.

In præſenti lectione dilucidè explicata habes quæcumque ad veram amicitiam à falſa diſcernendam; & ad bonam exercendam, fovendam & perficiendam requiruntur.

LECTIO TRIGESIMA NONA.

De exercitiis mortificationis exterioris ; de converſationibus & ſolitudine ; de modeſtia & decentia veſtium ; de ſermone & quomodo de Deo loquendum ſit; de honeſtate verborum & de ſuperfluitate in ipſis cavenda.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

C*Aſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo ; ne fortè cum aliis prædicaverim: ipſe reprobus efficiar.* Epiſt. 1. ad Cor. cap. 9. v. 27.

Noli adhuc aquam bibere ; ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum: & frequentes tuas infirmitates. Epiſt. 1. ad Timot. cap. 5. v. 23.

Noſtra autem converſatio in cælis eſt: undè etiam ſalvatorem expectamus

Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Epiſt. ad Philip. cap. 3. v. 21.

Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus: ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondére. Epiſt. ad Theſſa. cap. 4. v. 6.

Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei: ut det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei: in quo ſignati eſtis in diem redemptionis. Epiſt. ad Epheſ. cap. 4. v. 29.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines: reddent rationem de eo in die judicij. Matt. cap. 12. v. 36.

Hæc ſacri textûs verba innuunt. 1º, Quam neceſſarium ſit mortificatam ducere vitam, quæ corpori quidem ſuperflua ſubtrahat, ſed diſcretionem ſervet: juxta uniuſcujuſque captum ac menſuram. 2º. Qualis eſſe debeat Chriſtianorum converſatio, quænam in verbis obſervare teneamur; quantíque referat inutilia vitare colloquia. Sed eorum praxim Doctor uterque mox ſuggeret.

De mortificationis exterioris exercitiis. Libro 3. Introductionis, cap. 23.

QUi de rebus ruſticis ſcribunt, dicunt, ſi amygdalo omni parte perfecto & integro, aliquod verbum inſcribatur & ipſum dein rurſus nucleo ſuo inferatur: ita ut is ſcitè convolvatur & claudatur, itáque plantetur, omnia quæ in illo jam arbore facto poſtea ſuccreſcent, amygdala: idem verbum inſcriptum habitura & prælatura. [*Quamvis hæc potius ſecularium ſtatum, quam Religioſorum ſpectent, iis tamen omnes inhærere debent veluti ſolidis Chriſtianæ diſcretionis principiis, quæ Religioſus ſibimet poterit applicare: prout inſtituto, quod amplexus eſt, convenit.*] Nunquam, Philothea, illorum approbare potui methodum, qui quò hominem reforment: ab exterioribus, à geſtibus, à veſtitu & crinibus initium ducunt.

Imò verò è contra, ab interioribus mihi videtur incipiendum. Dicit enim Dominus, *Convertimini ad me in toto corde veſtro*: Et, *prabe mihi cor tuum.* Cùm enim cor actionum omnium ſit origo & fons: quale illud eſt, tales erunt & hæ. Sponſus ſacer animam ad amorem invitans, *Pone me*, inquit, *ut ſignaculum ſuper cor tuum: ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Et verè, nàm quicumque Jeſum Chriſtum intus in corde ſuo habet: ſtatim eum etiam in omnibus actionibus ſuis exterioribus habet. Hac de cauſa, ô cariſſima Philothea, ante omnia cordi tuo ſacrum & ſanctum illud ſymbolum & verbum VIVAT JESUS, inſculpere & inſcribere volui, certus quippè ſum, vitam tuam, quæ ex corde ſicut amygdalus è ſuo nucleo, ortum habet & naſcitur: exinde omnes actiones ſuas, quæ, ejus quodammodo fructus ſunt, hoc eodem verbo ſalutis inſcriptas &

inſculptas producturam. Et ſicut dulcis hic Jeſus in corde tuo vivet ; ita & in omnibus geſtibus ac motibus tuis victurum: & in oculis, ore, manibus, quin & crinibus tuis, appariturum. Ut ſancto cum Apoſtolo Paulo dicere poſſis: *Vivo, jam non ego, vivit verò in me Ieſus Chriſtus.* Denique qui hominis cor lucratus eſt: totum jam hominem eſt lucratus. Sed hoc ipſum cor, à quo incipere volumus, ſimul etiam eſt edocendum: quomodo geſtum, & modum agendi exteriorem componere & formare debeat. Ut in eo non ſolùm ſanctam devotionem: ſed & inſignem ſapientiam & diſcretionem notare poſsimus. In quam rem breviter aliquot monita & præcepta tibi præſcribam.

Si ferre jejunium poſſis, conſultò facies: ſi præter indictos ab Eccleſia jejunij dies, etiam aliquoties jejunes. Nam præter ordinarium jejunij effectum, qui eſt quod per ipſum ſpiritus elevetur ; caro reprimatur ; virtus exerceatur ; & major in cœlo gloria ac merces acquiratur: magnum certè bonum eſt, victoriam de gula relatam firmiter poſſidere ; eámque conſervare: appetitum ſenſualem ac corpus legi ſpiritûs ſubjectum tenere. Et, licet non multùm jejunemus ; nihilominus inimicus magis nos timet: dum nos jejunare poſſe novit. Feria quarta, ſexta, & ſabbatho veteres Chriſtiani olim pluſquam aliis diebus: abſtinentiam colebant. Ex illis ergò diebus aliquem tibi ſelige, quâ jejunes: prout tibi & devotio tua, & directoris tui diſcretio id conſulent.

Dicerem hîc libenter id quod S. Hieronymus ad Lætam ſcribens ; *Longa & immoderata jejunia plurimum mihi diſplicent: in iis præſertim qui juniores & teneriores ſunt.* Didici per experientiam, aſellum de via laſſum, diverticula & ſubterfugia quæritare ; id eſt, adoleſcentiores, contractis ob exceſſum in jejunando infirmitatibus: facilè ad delicias & lautitias in cibis conſectandas dilabi. Cervi duplici in caſu curſui inepti ſunt: primò quando æquo ſunt pinguiores: dein cùm plus nimio macilenti. Tentationibus tum maximè obnoxij ſumus ; cùm corpus noſtrum & plus æquo ſuffartum & ſaginatum eſt & dum nimis exhauſtum. Sagina namque ipſum in commodis ſuis inſolens: oppreſſio verò in incommodis ſuis deſperabundum efficit. Et ſicuti nos ipſum ferre non poſſumus cùm nimis pingue & ſaginatum eſt; ſic ipſum vice verſâ nos ferre nequit, cùm nimis macilentum eſt & attritum. Hujus in jejuniis, ciliciis, diſciplinis, & auſteritatibus moderationis defectus ; potiores & meliores ad operandum annos plurimorum: obſequio & officiis charitatis ineptos reddit. Quemadmodum olim S. Bernardo factûm eſt; qui deplorat & plangit, quòd in prima converſione nimis in corpus ſuum auſterus fuerit. Nam qui ipſum initio malè & durè habuêre ; ei poſtea blandiri: & molliùs illud tractare compulſi ſunt. An non meliùs feciſſent, ſi congruenter & proportionatè officiis & laboribus, quos conditionis & ſtatûs ſui ratione eos ſubire oportebat, ipſum tractaſſent?

Tam jejunium, quàm labor carnem deprimunt & debilitant. Si ergò labor,

labor, quem ſubibis, ad Dei gloriam neceſſarium eſt, aut cumprimis utilis; malo laboris, quàm jejunij pœnam ſubeas. Atque hic eſt communis Eccleſiæ ſenſus; quæ, ut labores Dei & proximi obſequio utiles ſubiri commodè poſſint: illos qui eos ſuſcipiunt, à jejunio etiam præcepto excuſat. Uni laborioſum eſt & grave jejunare; alteri, ægris inſervire; captivos inviſere; Confeſſiones excipere; orare, & ſimilia exercitia obire: poſterior certè labor utilior eſt; & majoris valoris & meriti quam prior ille jejunandi. Nam præterquamquod labor uterque æqualiter debilitet: fructum tamen poſterior habet multo deſiderabiliorem. Atque idcircò in genere loquendo, ſatiùs eſt corporales vires impenſiùs æquo conſervare: quàm eas plus æquo deſtruere & exhaurire. Semper quippè cùm volumus, eas deſtruere poſſumus; ſed non ſemper cum volumus, reparare ac reſarcire.

Magna in veneratione & honore habenda mihi videntur illa Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti ad diſcipulos ſuos verba, dicētis: *Manducate quæ apponuntur vobis.* Majoris (quippe) virtutis eſt indiſcriminatim comedere quidquid tibi offertur, & eo quo id tibi apponitur ordine, ſive id tuo ſapiat palato, ſive deſipiat: quàm ſemper quod deteriùs eſt, ſeligere.

Licet enim hæc poſterior agendi ratio videatur auſterior; alia tamen plus continet reſignationis. Per hanc quippè homo non ſolùm guſtui ſuo, ſed & electioni ſuæ renunciat; uti nec parva quædam auſteritas eſt guſtum ſuum ad omnia adaptare: & cum omnibus obviis ſubiicere. His accedit, quod hoc-ce mortificationis genus nequaquam emineat; nulli noceat: & vitæ civili maximè conveniens & proprium ſit. Cibum enim unum reiicere, quò alius ſumatur; omnia delibare & guſtare: nihil autem invenire quod benè coctum aut ſatis mundum appareat; ad ſingulos morſus & buccellas tetricum ac moroſum eſſe: mollis, delicati, & lancium ac catinorum perſtudioſi hominis indicium eſt. Pluris facio, quod S. Bernardus aquæ aut vini loco oleum biberit; quàm ſidato ſtudio & ultrò aquam abſinthiam bibiſſet. Illud quippè ſignum erat, eum ad id quod biberet, non reſpexiſſe. Et in hac eorum quæ aut comedenda aut bibenda ſunt, incogitantia: perfecta verborum illorum, *Manducate quæcunque apponuntur vobis,* praxis conſiſtit. Semper tamen hic excipio cibos ſanitati & valetudini noxios, atque etiam ſpiritui: quemadmodum cibos calidos, aromatibus perfuſos, fumoſos, ventoſos permultis nocere certum eſt. Excipio quoquè certos quoſdam caſus, quibus natura noſtra recreanda & adminiculanda eſt: ut aliquem pro Dei gloria laborem ſuſtineat. Continua & moderata ſobrietas melior eſt: quàm violenta & intenſa quædam diverſis vicibus & interruptim ſuſcepta, & magnis remiſſionibus intermixta abſtinentia. [*Hoc verbum diligentiùs obſerva; & pro certo habe, vivendi genus benè ordinatum & abſque interruptione ſervatum longè ampliùs corruptam naturam mortificare; quam quidam auſteritatis exceſſus, identidem interrupti ac veluti per impetum porducti.*]

Diſciplina ſeu flagellum mirabilem quamdam vim habet ad appetitum devotionis excitandum: ſi cum moderatione accipiatur. Cilicium corpus quidem potenter edomat; at ejus uſus communiter hominibus conjugatis, atque iis qui delicatæ ſunt complexionis, non convenit: nec iis qui magnos ſubire labores debent. Quamquam in notabilioribus pœnitentiæ diebus, ipſum, accedente diſcreti confeſſarij conſilio: uſurpari poſſit.

Nox dormitioni eſt deſtinanda & impendenda; unicuique juxta ſuam complexionem: quantùm ſcilicet ad utiliter per diem vigilandum requiritur. Et quoniam ſacra Scriptura diverſis in locis & modis, exemplum Sanctorum, ratio naturalis matutina crepuſcula unicè & mirè nobis commendant, velut optimam & fructuoſiſſimam diei totius partem; & quia Dominus ipſe ſol oriens, & B. Virgo aurora conſurgens in Literis ſacris vocatur; hinc probum & pium eſſe exiſtimo, curare ut veſperi tempeſtivè cubitum concedamus: quò ſummo mane expergiſcamur, & ſtrato exſurgamus. Hoc certè tempus amabiliſſimum eſt, dulciſſimum, & minùs impeditum; in quo & ipſæ aviculæ nos ad expergiſcendum, & Deum laudandum, excitant: adeò ut manè ſummo ſurgere, & ſanitati & ſanctitati mirè conducat.

Balaam conſcensâ aſinâ ad Balac Regem ibat; ſed quia ejus intentiò & propoſitum recta non erant: hinc eum Angelus Domini gladium manu vibrans in via exſpectavit ut eum occideret. Aſina, quæ Angelum videbat: tertiò velut refractaria ſubſtitit. Interim Balaam fuſte ejus latera acriter tundit, quò ulterius progrediatur; uſque dum tertiâ vice ipſa ſub inſeſſore ſuo concidens: raro quodam miraculo eum allocuta eſt dicens. *Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertiò?* Et mox oculi Balaam adaperti fuêre, qui vidit Angelum ſibi dicentem; *Cur tertiò verberas aſinam tuam? niſi aſina declinaſſet de via, dans locum reſiſtenti, te occidiſſem: & illa viveret.* Unde mox Angelo ait: *Peccavi, neſciens quod tu ſtares contra me.* Viden', Philóthea; Balaam mali totius cauſa eſt: & interim miſeram aſinam cædit & verberat, ita ut exhauſta cóncidat. Sæpè idem nobis, in rebus noſtris quotidianis, uſu venit; hæc quippè mulier, V. G. videt maritum, aut filium ſuum, ægrotantem, & mox ad jejunium, cilicium, diſciplinam cónfugit: ut David Rex ſimili in caſu. Ah cariſſima, miſerum aſinum tuum tundis, & corpus afflígis; & interim ipſi malum tuum imputandum non eſt, nec illius eſt cauſa; ſed Deus iratus gladium ſuum in te vibravit. Corrige itaque animum tuum, qui mariti hujus idololatra & ſtolidus amator eſt: quique ſexcenta filio vitia indulgebat, ipſúmque ſuperbiæ, vanitati & ambitioni deſtinabat. Videt alius, V. G. ſe ſæpè turpiter in luxuriæ & carnalia peccata labi; interior exprobratio & ſugillatio conſcientiam perterrefacit, gladium velut ſtringens & vibrans: ut eum ſancto quodam timore transfigat. Et ille mox in ſe revertens; Ah ſceleſta caro, inquit: ah perfidum corpus, tu

in culpa es, tu me prodidiſti. Quare ſtatim ſævis verberibus, immodicis jejuniis; diſciplinis immoderatis: & intolerabilibus ciliciis in miſeram carnem ſævit. O miſella anima; ſi caro tua loqui adinſtar aſinæ Balaam poſſet: diceret haud dubiè tibi. Cur me ſceleſta cædis? in te, ô anima, Deus gladium & vindictam ſuam, non in me, exerit: tu es rea. Cur enim me ad malas & fœtidas converſationes adducis? cur oculos, manus, labia mea laſciviis applicas? cur me pravis imaginationibus turbas? Tu bona cogita: & ego pravis motibus non concitabor. Pudicos & honeſtos tu frequenta: & ego à concupiſcentia mea non agitabor. Tu, eheu! me in hanc flammam coniicis; & non vis me uri: tu oculis meis fumum ingeris; & inflammari prohibes? Et Deus haud dubiè hiſce in caſibus dicit; corda veſtra potius percutite, frangite, ſcindite, conterite: in hæc enim ira mea deſævit & animatur. Sanè ut quis ſcabiem & impetiginem tollat; non tam neceſſe eſt corpus lavet, aut balnea ingrediatur: quàm ſanguinem expurget & hepar refocillet. Ita, ut à vitiis curemur bonum quidem eſt carnem mortificare; ſed ante omnia affectus bene ſunt expurgandi: & cor reſtaurandum & redintegrandum. Porrò auſteritates corporales, nonniſi è conſilio & ſuaſu directoris noſtri uſurpare oportet.

Si ſecularibus monitum illud convenit; utilius adhuc eſt Religioſis.

De converſationibus & ſolitudine. Ibidem, cap. 24.

Converſationes & familiaritates hominum quærere, & ab iis ſe penitùs avocare, duo ſunt extrema: quæ in devotione civili, de qua potiſſimum hic tecum ago reprehenduntur. Omnimoda earum fuga averſionem & contemptum proximi redolet; ſtudioſa verò conſectatio otioſitatem & deſidiam reſpirat. Proximum ſicut nos ipſos diligere oportet. Ut autem oſtendamus, nos illum diligere, illius converſationem ne fugiamus; ut verò nos ipſos amare oſtendamus: apud nos cùm ſumus, ibi maneamus. Tunc porrò apud nos ipſos ſumus, cum ſoli ſumus; *De te ipſo*, inquit Bernardus, *primùm ſollicitus eſto: dein de aliis.* Si ergò nihil urgeat, ut in converſationem aliorum te des, aut aliorum admittas: apud teipſam maneto, & in corde tuo te oblecta. At ſi converſatio tibi deforis adveniat, aut juſta aliqua cauſa, ut in eam te des, te provocet; in nomine Domini, Philóthea, te in illam da: & benigno proximum tuum animo & oculo intuere. [*Quamvis hæc omnia ſecularibus dicta ſint; inde tamen eximias prudentiæ, affabilitatis, charitatis Regulas potes colligere; & ad ea quæ per inſtituti tui leges tibi licent, applicare,*]

Malæ converſationes appellantur illæ, quæ malâ aliquâ intentione fiunt; aut dùm qui in iiſdem interveniunt, & pars illarum ſunt, vitioſi, indiſcreti & diſſoluti ſunt; undæ hæ cuivis fugiendæ & declinandæ ſunt, uti apes fucos & veſpas fugiunt. Nam ſicuti illorum qui à rabidis cani-

bus morſi ſunt, ſudor, halitus, & ſaliva peſtilens & noxia eſt præſertim pueris & iis qui tenerioris ſunt complexionis ꝰ ſic vitioſi & diſſoluti niſi cum evidenti animi periculo & diſcrimine, ab iis præſertim quorum devotio adhuc tenera & delicata eſt: nequeunt frequentari.

Quædam adhuc ſunt converſationes, quæ ad nihil omninò ſunt utiles, præterquam ad recreationem: uti ſunt quæ pro ſola à negotiis ſeriis diverſione & relaxatione inſtituuntur. Et ſicuti his ſe nemo ſtudio addicere poteſt; ita otium recreationis deſtinatum dare iis fas eſt.

Aliarum verò converſationum finis honeſtus eſt. Uti ſunt, mutuæ viſitationes, & certæ quædam congregationes: quæ non niſi ad proximum honorandum inſtituuntur. Et ſicut hæ ſuperſtitioſè non ſunt colendæ & uſurpandæ ꝰ ita nec in illis contemnendis ſe oportet agreſtem oſtendere, ſed earum partibus cum modeſtia ſatisfacere: ut ruſticitatis & levitatis notam pariter evitemus.

Reſtat, ut de converſationibus utilibus & proficuis, quales ſunt hominum devotorum & virtutis ſtudioſorum: aliquid dicamus. Semper tibi, Philothea, perutile erit: ſæpenumerò in tales incidere. Vinea in oliveto & inter oleas conſita uvas unguinoſas, & olivarum ſaporem referentes profert ꝰ ſic anima, quæ ſæpè cum hominibus piis converſatur: non poteſt eorum qualitates non participare. Fuci ſoli mel conficere nequeunt ꝰ apibus tamen in eo conficiendo adjumento ſunt: ſic, ut benè nos in devotione exerceamus, maximoperè conducit & prodeſt, ut cum devotis animabus converſemur. [*Secularibus iſta conveniunt* ꝰ *qui mundanos inter tumultus conſtituti: proborum converſationem ac colloquia debent exquirere. At Religioſus qui Regulis aſtrictus eſt, eas ſectari debet, ſuperiorum ac fratrum ſuorum exemplis & converſatione contentus* ꝰ *juxta præſcripta in ipſis Regulis, & probatas in ſuo Statu conſuetudines*; *Externorum verò colloquia, non niſi cùm Dei providentia ei immiſerit, excipiat.*]

In omnibus porrò converſationibus, candor, ſimplicitas, dulcedo, modeſtia ſemper commendatur. Sunt qui nullum geſtum aut corporis motum formant, niſi ira affectatè & ineptè: ut omnibus ſint & tædio & nauſeæ. Et ſicur qui non aliter ambulare vellet, quàm paſſus ſuos dinumerando ꝰ ac loqui, niſi cantillando: reliquis hominibus quibuſcum verſatur, tædioſus & moleſtus eſſet. Sic qui affectatum geſtum habent, & nihil niſi ad numerum & cadentiam agunt ꝰ converſationem mirè importunam reddunt: & in hoc hominum genere ſemper aliqua præſumptionis ſpecies elucet. In converſatione ergò noſtra moderata quædam hilaritas plerumque prædominari debet. SS. Romualdus & Antonius mirè laudantur, quod, tametſi ſummis in auſteritatibus viverent: facies tamen & ſermo eorum hilaritatem, gaudium, & urbanitatem quamdam inſolitam præferrent. *Gaude cum gaudentibus.* Et iterum cum Apoſtolo tibi dico ꝰ *Semper gaudeto*, *ſed in Domino*: *& modeſtia tua nota ſit omnibus hominibus.* Ut verò in Domino gaudeas ꝰ gaudij tui cauſa & oc-

caſio ſit non licita modò, ſed & honeſta: quod ideò dico, quia ſunt quædam licita, quæ tamen honeſta non ſunt. Ut verò modeſtia tua aliis nota ſit: cave tibi ab inſolentiis quibuſlibet & ineptiis, quæ certè ſemper ſunt reprehenſibiles. Nam huic offendiculum ponere ut labatur, alterum denigrare, tertium pungere, ſtulto injuriam facere, joci & gaudia ſunt: ſed ſtolida & inſolentia.

Semper verò præter ſolitudinem mentalem, (intra quam te, etiam inter maxima converſationum impedimenta, de quibus ſuprà actum eſt, recipere potes:) amanda tibi eſt ſolitudo localis & realis. Non quidem ut in eremum & deſertum ſecedas, uti S. Maria Ægyptia, S. Paulus, Antonius, Arſenius, & alij priſci anachoretæ, ſed ut aliquantiſper in cubiculo tuo, horto, & alibi ſola agas: ubi magis ex voto mentem & ſpiritum tuum in corde recolligere, ac bonis ſanctíſque cogitationibus, vel modicâ in libro aliquo ſpirituali lectione animam tuam poſſis recreare. Idque exemplo magni Gregorij Epiſcopi Nazianzeni, qui de ſeipſo loquens, *Ambulabam*, inquit, *ipſe mecum ad ſolis occaſum in littore maris tempus ita fallens: hac quippè recreatione uti ſoleo ad animum meum à curis ordinariis nonnihil relaxandum & reſtaurandum.*

Atque paulò poſt refert bonam illam cogitationem & conceptum, quam ibidem formavit: quam alio tibi loco retuli. Ad exemplum item S. Ambroſij, de quo ſcribit S. Auguſtinus, ſe ſæpius in cubiculum ejus ingreſſum, (nemini quippè aditus ad eum negabatur): oculis ſuis vidiſſe illum legentem. Cúmque aliquantiſper ut ei loqueretur, exſpectaſſet, ne quam fortè ipſi moleſtiam crearet, indè ſe nullo dicto verbo proripuiſſe: quod crederet, modicum illud temporis, quod magno huic Paſtori ad animum nonnihil recreandum poſt tot peracta negotia ſupereſſet, minimè ei auferendum videri. Sic etiam, poſtquam Apoſtoli die quâdam Domino retuliſſent, ſe prædicaſſe, docuiſſe & multùm operis feciſſe, Dominus illis dixit: *Venite ſeorſùm in deſertum locum, & requieſcite puſillum.*

De modeſtia & decentia veſtium. Ibidem, cap. 25.

APoſtolus Paulus mulieres pias (idem & de viris dicendum eſt:) vult honeſtè & decenter veſtiri, ornantes ſe pudicè & ſobriè. Porrò ipſa veſtium atque aliorum ornamentorum decentia & honeſtas: in materia, forma & munditie ſita eſt. Mundities quidem penè ſemper in veſtibus noſtris ſine exceptione ſervanda eſt: in quibus, quantùm quidem poſſibile eſt, nullam nos habere maculam, nævum, ſordéſve oportet. Mundities exterior interiorem honeſtatem quodammodo repræſentat. Unde etiam Deus Opt. Max. corporalem honeſtatem & compoſitionem in iis qui ad altare ſuum & miniſterium accedunt, quibúſque devotio præ aliis curanda incumbit: requirit.

Quod autem ad materiam & formam veſtium attinet ; decentia & compoſitio illarum pluribus in circumſtantiis conſideratur : temporis videlicet, ætatis, qualitatum, ſociorum, & occaſionum. Plerumque enim diebus feſtis meliùs & ornatiùs ſolito induuntur homines, pro celebritate feſti quod agitur ; at tempore pœnitentiæ agendæ deſtinato, uti eſt Quadrageſima : de veſtium cultu multum remittunt. In nuptiis nuptiales veſtes induunt ; in exequiis & conventibus funeralibus lugubres & funebres : apud Principes cultior habitus aſſumendus, quam vulgò geſtari ſoleat, qui inter domeſticos eſt remittendus. Mulier conjugata coram marito, ſiquidem is velit, ſeſe ornare & poteſt, & debet ; at ſi ab eo abſens nihilominus magnificè induatur : petam ex ea quibus oculis exquiſito illo ornatu placere velit. Plus autem elegantiarum & ornatûs permittitur puellis, quòd licitè poſſint pluribus placere velle ; licet non aliâ id iis intentione faciendum : quàm ut unius animum per ſanctum matrimonium ſubſequens ſibi concilient. Similiter non vitupero, ut viduæ renubere volentes, aliquo modo ſeſe ornent ; dummodo nullam vanitatem ſuo in ornatu præferant. Quod enim jam tum matres familias fuerint, & viduitatis deſolationem & luctum ſint expertæ : vulgò maturiores & magis compoſitæ creduntur. At iis quæ verè viduæ ſunt, & non corpore ſolùm, ſed & animo nullus omninò ornatus convenit : ſed ſola humilitas, modeſtia & devotio. Si enim viris adhuc placere & eos in ſui amorem pellicere velint : verè viduæ non ſunt. Si nulli placere nec ullum attrahere cupiant ; cur lenocinia & illicia illa veſtium aſſumunt ? Qui nullos admittere vult hoſpites : ſignum à domo ſua tollat neceſſe eſt. Porrò ſenes, cùm volunt ornatu affectato juveniles annos mentiri ; ſemper exploduntur & omnibus ludibrio ſunt : etenim id ſtoliditas eſt; quæ nonniſi in juvenibus toleratur.

Eſto ergò munda & nitida, Philothea ; nihilque in veſtitu tuo lacerum, diffuſum : aut malè compoſitum ſit. Eorum quibuſcum verſaris contemptus quidam eſt, in ſchemate & veſte incompoſita inter ipſos comparere : cave tibi tamen ab affectationibus, vanitatibus, curioſitatibus, & ineptiis. Semper (quantum quidem poteris) ; in veſtitu tuo in ſimplicitatis & modeſtiæ partem potius propende : quæ & maximum pulchritudinis eſt ornamentum, & optima difformitatis excuſatio. S. Petrus mulieres juvenculas maximè monet ; ne comam plus æquo criſpatam, intortam, annulatam : & ſerpentis more in ſpiras collectam habeant. Viri, qui adeò effæminati ſunt, ut hiſce nugis & lenociniis ſeſe applicent : ab omnibus paſſim, ceu hermaphroditi ſugillantur. Fæminarum verò adeò comptarum caſtitas apud omnes malè audit, & ſuſpecta eſt ; aut ſiquidem integra ſit, tot inter ornatûs inanias & ineptias apparere ea nequit. Dicunt, ſe malam in eo intentionem non habere ; ſed ad hoc reſpondeo, uti & alibi reſpondi : dæmonem ſemper hìc malam intentionem habere. Vellem equidem ut devotus & devota mea

omnium optimè & ſcitiſſimè veſtiti eſſent; ſed quàm poſſunt minimè affectatè & pomposè, ſicuti in Proverbiis dicitur: ornati eſſent gratiâ, decentiâ & dignitate. Benè verbo uno dixit S. Ludovicus Rex, unumquemque juxta ſtatum ſuum veſtiri & indui debere; ita ut nec viri ſapientes & cordati de eo dicere queant, *Excedis*: nec juvenes, *Nimis infra ſtatum tuum veſtiris.* At ſi fortè juniores decenti & modeſto veſtitu contenti eſſe nolint: ſapientum ſaltem conſilio acquieſcendum eſt.

Hoc capitulum ad ſeculares ſpectat; ſed inde utiliſſima prudentiæ & moderationis documenta ſibi aſſumere poſſunt animarum & conſcientiarum Directores; ut habita ratione perſonarum, ſtatuum & locorum, medium tenere addiſcant. Ne dum vellent perfectiora quædam exigere; lapſibus non modicis occaſionem præberent.

De ſermone & 1°. quomodo de Deo loquendum ſit. Ibidem, cap. 26.

MEdici ex linguæ inſpectione magnam ſanitatis morbíque hominis notitiam & conjecturam capiunt; ſic vera ſtatûs animarum noſtrarum indicia & notæ ſunt verba. *Ex verbis tuis*, ait Redemptor, *juſtificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis.* Ut manum ſtatim admovemus loco ubi dolor eſt, illâque hunc velut indicamus: ita & lingua amoris quem habemus, nota & ſignum eſt. [*Iis quæ ad converſationem ſpectant ſuperiori capite propoſitis: nunc modum loquendi mox docebit. Utrumque enim inter præcipua mortificationis practicæ capita recenſendum eſt.*]

Si ergò Deum inſigniter diligas, Philóthea: ſæpè de Deo in familiari cum domeſticis, amicis & vicinis tuis colloquio loquêris. Et verè; nam *os juſti meditabitur ſapientiam: & lingua ejus loquetur judicium.* Atque ut apiculæ oſculo ſuo nonniſi mel tractant & diſpenſant; ſic & lingua tua majorem ſuavitatem non ſentiet: quàm cum laudes & benedictiones ſancti nominis Dei inter labia tua natare & fluere videbit. Sìc de S. Franciſco fertur, quòd cùm ſacroſanctum Salvatoris noſtri nomen proferret; labia ſua præ dulcedine exſugebat & lingebat perinde ac ſi maximam inde dulcedinem hauriret.

At ſemper loquere de Deo, ut de Deo; id eſt reverenter & devotè, non quaſi teipſam oſtentando, aut concionatricem agendo: ſed in ſpiritu dulcedinis, charitatis & humilitatis; delicioſum & ſuave devotionis, rerumque divinarum mel (quemadmodum de Sponſa in Canticis dicitur) guttatim, modo in hujus, modò in illius aurem inſtillando: ac Deum in animæ tuæ ſecretis ac penetralibus rogando, ut ſanctum hunc rorem in eorum qui te audiunt, animum deſcendere facere dignetur.

Ante omnia autem, angelicum hoc officium leniter & ſuaviter, & non per modum correctionis, ſed conſilij obeas oportet; mirum nam-

que, quàm potens, rei alicujus bonæ cum ſuavitate & amicabilitate facti propoſitio ſit: ad animos hominum attrahendos illicium.

De Deo & devotione non eſt perfunctoriè, & velut per modum recreativi colloquij: ſed ſemper cum attentione & devotione loquendum. Quòd moneo, ut notabilem quamdam in te vanitatem corrigam, quâ multi devotionem profeſſi laborant ⁊ dùm nullo non loco & tempore ſancta & ferventia verba, ſed nonniſi perfunctoriè & leviter, & ſine ulla reflexione loquuntur: quæ cùm jam protulêre, tales ſe de facto eſſe putant, quales verba eos produnt. Quod aliter ſe habet.

De honeſtate verborum déque reverentia hominibus debita. Ibidem, cap. 27.

SI *quis in verbo*, ait S. Jacobus, *non offendit: hic perfectus eſt vir.* Diligenter itaque cave, ne quod verbum indecens aut inhoneſtum proferas ⁊ licet enim malâ id intentione non proferas: tamen qui ipſum audiunt, ſiniſtrè & malam in partem id poſſunt accipere. Verbum inhoneſtum, in infirmum & fragilem animum incidens ⁊ ita ſe extendit & dilatat: ſicut ſtilla olei quæ in pannum incidit. Et aliquando taliter cor occupat: ut ſexcentis ipſum cogitationibus & tentationibus inhoneſtis & turpibus adimpleat. Sicut enim corporis venenum per os ingreditur ⁊ ſic cordis virus per aurem: & quæ ipſum deptomit lingua, homicida eſt. Licet enim virus quod ipſa evibravit, nullum fortaſſis effectum ediderit, quòd audientium animos potenti quodam antipharmaco communitos invenerit ⁊ per ejus tamen malitiam & nequitiam non ſtetit: quominus eos occiderit & necârit. Nemo verò mihi oggerat, illud minimè ſe intendere ⁊ cùm Redemptor noſter, qui corda hominum pernovit: diſertè dixerit, *ex abundantia cordis os loqui*. Et poſito, nos nullum hîc malum cogitare ⁊ diabolus tamen multum mali cogitat: & ſemper occultè inhoneſtis hiſce verbis, ad cor alicujus transfigendum, ſeu telis utitur. Ferunt eos, qui Angelicâ herbâ veſcuntur, ſemper halitum dulcem & beneolentem habere ⁊ ſic ij qui honeſtatem & caſtitatem quæ Angelica quædam virtus eſt, in corde habent: ſemper pura, civilia & pudica verba proferunt. Indecentia namque & ſcurrilia ne nominari quidem à nobis Apoſtolus vult: apertè denuntians, à nulla re adeò bonos mores deſtrui & corrumpi, quàm à colloquiis pravis.

Si verò verba inhoneſta tectè, periphraſticè, acutè & ſubtiliter proferantur, multo ſunt nocentiora ⁊ quò enim telum acutius eſt, eò in corpora noſtra faciliùs ingreditur; ita quò verbum inhoneſtum acutius eſt, eò in animum noſtrum penetrat profundiùs.

Qui verò tùm ſe egregios & politos exſtimant, cùm hujus modi verba in converſatione proferunt: ignorant certè quam ob cauſam inſtitutæ ſin

tæ ſint converſationes. Eſſe namq; hæ debent ſicut collectarum apum examina, ad ſuavis & ſanctæ alicujus ſermocinationis mel conficiendum: non verò ſicut quædam veſparum & ſcarabæorum, ad putridum aliquod cadaver eviſcerandum, corrodendúmque convenientium colluvies. Si quis fatuus indecentia & inhoneſta quædam verba coram te proferat: illorum te auditu offendi oſtende: vel inde quantocyùs te ſubducendo, vel aliâ quapiam ratione, prout tua te prudentia edocebit.

Nihil eſſe in ſpiritu & ingenio alicujus magis vituperabile poteſt, quàm quod aliorum ſit irriſor: & hoc Deus vitium maximè deteſtatur & odit: ipſumque olim quàm acerrimè caſtigavit. Nihil quoque adeò charitati, & magis etiam devotioni adverſatur: quàm proximum deſpicere & contemnere. Porrò ipſa proximi deriſio & illuſio nunquam ſine ejuſdem ſit contemptu: hinc ipſa maximum peccatum eſt, adeò ut Doctores non immeritò aſſerant; irriſionem peſſimum eſſe offenſæ & injuriæ, quæ proximo verbis quidem irrogari poteſt, genus. Quod reliquæ offenſæ cum aliqua offenſi æſtimatione: hæc verò cùm ejuſdem deſpectu & contemptu fiat.

Sed joci verbales, quos alter in alterum cum modeſta quadam recreatione, hilaritate & delectatione profert: ad eam ſpectant virtutem, quam Græci *Eutrapeliam*, nos bonam appellare poſſumus converſationem. Et per hos honeſta & amica quædam è frivolis quibuſdam occaſionibus & cauſis, quas humanæ imperfectiones nobis ſuggerunt: capitur recreatio. Hoc ſolùm hic cavendum, ne ab honeſta hac recreatione & delectatione: ad irriſionem aliquam & ſcomma delabamur. Irriſio porrò riſum è contemptu & deſpectu quodam proximi procedentem provocat: ſed jocatio riſum: qui è candida libertate, fiducia familiari & laudabili ingenuitate cum dicti alicujus elegantia & ſubtilitate conjuncta ſit, oritur. S. Ludovicus Rex, cum Religioſi ei poſt prandium, de rebus & materiis quibuſdam ſublimibus loqui vellent, ajebat: *Non eſt jam tempus meditandi fratres; ſed honeſto aliquo joco amœnis quibuſdam facetiis mentem oblectandi. Dicat ergò quiſque quod illi lubuerit; honeſtè tamen.* Quod dicebat in gratiam principum & nobilium ipſum circunſtantium; quò illos aliquo modo recrearet & oblectaret. Sed nos ita, mea Philothea, tempus recreationibus tranſigamus: ut ſanctam æternitatem non amittamus; ſed eam devotione conſervemus.

De cavenda ſuperfluitate verborum lib. 1. de Imitatione, cap. 10.

CAVEAS tumultum hominum quantum potes: multùm enim impedit tractatus ſecularium geſtorum; etiam ſi ſimplici intentione proferantur. Citò enim inquinamur vanitate & captivamur. Vellem me pluries tacuiſſe; & inter homines non fuiſſe. Sed quare tam

libenter loquimur, & invicem fabulamur; cùm tamen ratò ſine læſione conſcientiæ ad ſilentium redierimus? Ideò tam libenterloquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem conſolari quærimus: & cor diverſis cogitationibus fatigatum optamus relevare. Et multùm libenter de his, quæ multùm diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria ſentimus: libet loqui & cogitare.

2. Sed, proh dolor; ſæpe inaniter & fruſtra. Nam hæc exterior conſolatio, interioris & divinæ conſolationis non modicum detrimentum eſt. Ideò vigilandum eſt & orandum; ne tempus otioſè tranſeat. Si loqui licet & expedit; quæ ædificabilia ſunt loquamur. Malus uſus, & negligentia profectûs noſtri multùm facit ad incuſtodiam oris noſtri. Juvat tamen non parùm ad profectum ſpiritualem devota ſpiritualium rerum collatio maximè ubi pares animo & ſpiritu in Deo ſibi ſociantur.

Piiſſimus Doctor præſenti capite tibi graviter exprimit modum à Religioſis in converſatione ſervandum; ejuſdemque materiam & fructum: ſed in ſequenti lectione pravæ converſationis originem & effectus expreſſos reperies.

LECTIO QUADRAGESIMA.

De Iudicio temerario & Detractione vitandis. De propria conſideratione: & evitatione curioſæ Inquiſitionis ſuper alterius vita.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

IS qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit. Stabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Epiſt. ad Rom. cap. 14. verſ. 3.

Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui; & trabem in oculo tuo non vides? aut quomodo dicis fratri tuo; ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo; & ecce trabs eſt in oculo tuo? hypócrita; ejice primùm trabem de oculo tuo: & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui. Matt. cap. 7. verſ. 3.

Unusquiſque noſtrùm pro ſe rationem reddet Deo. Non ergò ampliùs invicem judicemus; ſed hoc judicate magis: ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Epiſt. ad Rom. cap. 14. verſ. 12.

Nolite detrahere alterutrum fratres mei; qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum: detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicat legem: non es factor legis, ſed judex. Epiſt. Jacobi. cap. 4. verſ. 11.

Ex hiſce S. Scripturæ verbis apertè colligitur, quantùm temerarium judicium & detractio diſplicеant Deo & quantùm cavendum ſit à curioſa actuum proximi inveſtigatione. Sed potius ſui ipſius conſiderationi vacandum ac propriis miſeriis attendendum; quorum quidem rationes ac praxim doctor uterque in ſubditis mox ſuggeret.

De temerariis judiciis, *capite* 28.

SAlvator animarum noſtrarum in Evangelio ait; *Nolite judicare & non judicabimini: nolite condemnare & non condemnabimini.* Et Apoſtolus: *Nolite ante tempus judicare: quoad uſque Dominus veniat, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Ah, quam temeraria judicia Deo diſplicent; judicia filiorum hominum ideò temeraria ſunt: quod unus alterius judex non ſit, & quod judicantes, munus & officium Domini uſurpent. Temeraria quoque ſunt: quod præcipua peccati malitia ab intentione & conſilio cordis, quod nobis abſconditum quoddam tenebrarum eſt, dependeat. Temeraria item ſunt: quod unuſquiſque in ſemetipſo judicando ſatis quod agat habeat, ut proximum dijudicare non ſit neceſſe. Ut autem non judicemur, tam & æquè neceſſarium eſt, alios non judicare, quàm noſmetipſos judicare. Ut enim Redemptor noſter prohibet unum, ita Apoſtolus nobis præcipit alterum, dicens: *Si noſmet ipſos judicemus, non judicabimur.* Sed, ô Deus meus, planè aliter facimus; quod enim nobis prohibitum eſt, aſſiduè facimus; omni ſcilicet tempore & loco proximum dijudicantes; & quod præceptum eſt, nos ipſos ſcilicet judicare: nunquam facimus.

Prout judiciorum temerariorum cauſæ ſunt; ita illis remedium eſt adhibendum. Sunt enim qui naturâ acerbi, amari, & aſperi ſunt: atque hi acerbant & amaricant quidquid vident, vel audiunt. Et ſicut Propheta de iis loquitur, vertunt judicium in abſinthium; non aliter de proximo quàm in omni rigore & aſperitate judicantes. Hos cumprimis oportet in boni alicujus medici ſpiritualis manus incidere; cùm enim hæc cordis amarities ipſis innata & naturalis ſit: eam perdifficile eſt exſuperare. Et quamvis hæc in ſe peccatum non ſit, ſed imperfectio duntaxat; periculoſa tamen eſt; quòd temerarium judicium & maledicentiam in animam introducat & vivere faciat. Nonnulli temerè judicant, non tam è naturali aliqua acerbitate & amaritie, quàm è ſuperbia; rati, ſuum ſe honorem tantùm extollere, quantùm alienum deprimunt. Homines ſcilicet arrogantes & præſumptuoſi; qui ſeipſos mirè ſuſpiciunt, adeòque ſe ſublimè in ſua ipſorum æſtimatione efferunt; ut reliquos omnes velut parvum & demiſſum quid deſpiciant. *Non ſum*, ajebat ſtolidus ille Phariſæus, *ſicut cæteri hominum.* Quidam verò apertam hanc ſuperbiam non habent; ſed parvam duntaxat in corde, ex alieni mali conſideratione complacentiam ſentiunt; quò oppoſitum, quod ſe habere credunt bo-

num,dulcius deguſtent,& aliis guſtandum exhibeant. Hæc autem complacentia adeò occulta & imperceptibilis eſt: ut niſi quis perſpicaciſſimo ſit oculo, eam videre nequeat; imò nec qui eadem laborant, eam agnoſcant; niſi ipſis ad oculum demonſtretur, & veluti palpanda detur. Alii, ut ſibi blandiantur, & ſe apud ſeipſos excuſent, ac conſcientiarum ſuarum remorſum aliquatenus mitigent; alios iis peccatis, quibus ipſi dediti ſunt, aut alteri cuipiam æquè enormi, obnoxios judicare gaudent; putantque, ob peccantium & reorum multitudinem, peccatum ſuum minus reprehenſibile eſſe. Multi è ſola, quadam voluptate mores, indolémque aliorum prænoſcendi: ad temerè judicandum feruntur. Et ſi fortè infelici aliquo caſu ſuis in judiciis veritatem præſagiant; ita in ipſis ulterius in hiſce progrediendi audacia creſcit & appetitus; vix ut ab iis avelli queant. Alii judicant è ſola animi affectione; ut ſemper benè cenſeant & cogitent de eo quod amant, malè verò de eo quod oderunt: præterquam uno in caſu mirabili quidem, vero tamen; in quo amoris exceſſus in cauſa eſt: ut malè judicemus de eo quod diligimus. Monſtroſus ſanè effectus; at ex impuro, imperfecto, turbato, & ægro amore, ex zelotypia inquam, proveniens; quæ (uti unicuique notum eſt) ob ſimplicem & nudum oculorum conjectum, quin etiam ob minimam ſubriſionem, alios perfidiæ & adulterij accuſat. Denique timor, ambitio, & aliæ id genus animi imbecillitates & morbi; ad temerariam ſuſpicionem & judicium eliciendum permultum ſæpè conferunt.

At quodnam malis his adhibendum remedium; ſicut qui Ophiuſæ herbæ Æthiopicæ ſuccum obbibunt, nullo non loco ſerpentes & horrenda monſtra videre ſe putant; ſic qui ſuperbiam, invidiam, ambitionem, odium deglutiêre; nihil omninò vident, quod malum & reprehenſione dignum eſſe non putent. Illi ut ſanitati reddantur, vinum palmeum bibant neceſſe eſt: idem dico de his. Ergò quàm plurimum potes, de ſacro charitatis vino bibas; & ipſa te à pravis hiſce humoribus, qui te ſiniſtra hæc judicia ferre cogunt: immunem præſtabit. Charitas metuit, ne quod malum videat; tantùm abeſt ut ipſum ultrò quæſitum eat; & quando fortè in ipſum incidit & videt; faciem ſuam avertit ac diſſimulat; imò & oculos occludit antè, quàm videat, ad primam ſcilicet ejuſdem eminus perceptionem. Ac deinde ſanctâ quadam ſimplicitate credit, hoc non eſſe malum ipſum: ſed duntaxat illius umbram aut phantaſma. Quod ſi quibusdam indiciis, ipſummet eſſe fateri cogatur; illicò ſeſe ab eo avertit: ejuſque imaginem è memoria ſua delere ſatagit. Charitas inſigne eſt contra mala omnia remedium; at imprimis contra hoc de quo loquimur. Ictericis & aurigine, morboque regio laborantibus, omnia videntur eſſe flava & aurea; quos ſi quis ab hoc liberare malo velit: herbam chelidonium ſub planta pedis iis alliget neceſſe eſt, ut eam ferant. Peccatum temerè de proximo judicandi ſpiritualis quædam aurigo eſt, quod facit, ut quicunque eâdem laborant; omnia iis

prava appareant & mala. At quiſquis ab eo curari vult, remedia non oculis, non intellectui, ſed affectibus qui animæ pedes ſunt; apponere debet. Si enim affectus tui placidi & benigni ſint; etiam judicium tuum placidum erit; ſi charitate repleti: repletum quoque erit judicium tuum. Tria mirabilia tibi rei hujus exempla hic adferam. Dixerat Iſaac Rebeccam ſuam eſſe ſororem; Abimelech videns illum cum ea jocari, id eſt, benevolo & tenero amoris ſenſu proſequi: ſtatim inde collegit ipſam ejus eſſe uxorem. Malignus & perverſus aliquis, hoc videns; concubinam & ſcortum ejus eſſe potius cenſuiſſet; aut ſi fortè ſoror exſtitiſſet: inceſtis eos invicem amoribus detineri. At Abimelech ad ſaniorem & benigniorem, hoc de facto opinionem & judicium potius inclinavit. Id ipſum & nos ſemper facere oportet, Philothea; de proximo, ſcilicet, quantum facere poterimus; benè & benignè judicare. Si centum facies & intuitus opus & actio aliqua habere poſſet; ſemper ipſa intuenda in ea quæ pulcherrima eſt. Erat Beata Virgo Maria prægnans, & uterum ferebat; ſanctus Joſeph ipſum quidem notabat; ſed quia eam alias vitâ ſanctiſſimam, puriſſimam & planè angelicam videbat; nunquam ſibi perſuadere, aut credere potuit: eam contra atque oportebat, aut contra matrimonij fidem concepiſſe. Unde eam deſerendo: ſtatuit judicium omne Deo committere. Licet enim ad ſiniſtrè de hac Virgine ſentiendum, evidenti argumento niteretur: nunquam tamen ad illam dijudicandam animum potuit inducere. Sed quare? quia, ut Spiritus ſanctus de eo teſtatur: erat juſtus. Juſtus enim, cum nec factum, nec intentionem ejus, quem aliundè hominem probum & honeſtum novit, excuſare ampliùs poteſt; adhuc tamen non vult ad ipſum judicandum prorumpere: ſed hoc ex animo delere & eradere conatus, Deo judicium omne committit. Redemptor noſter Chriſtus, cum ſe cruci affigentium peccatum planè excuſare ut pote evidentiſſimum, non poſſet; ejus ſaltem malitiam imminuit: ipſos quid facerent neſcire aſſerens. Cùm ergò proximi peccatum excuſare non poſſumus, ipſum ſaltem dignum cui alii compatiantur, reddamus: ejus ignorantiæ, aut infirmitati adſcribentes.

At dices, nunquam ergò proximum dijudicare licitum eſt? nunquam penitus. Deus namque eſt, Philothea, qui reos in judicio & juſtitia judicat. Tametſi fatendum ſit illum per Magiſtratuum & judicum vocem loqui: quò noſtris auribus ſe intelligibilem reddat. Hi namque ejus ſunt legati & interpretes; nihilque eos proferre oportet, quàm quod ante te ab illo didicère: cum illius ſint oracula. At ſi ſecus faciant, propriorum affectuum & paſſionum in judicando inſtinctum ſequentes; tunc ipſi, & non Deus, judicant: unde etiam dijudicabuntur. Homines enim, in quantum homines, proximum judicare nefas eſt.

Aliquid videre aut cognoſcere, non eſt judicare; judicium enim, ſaltem juxta modum loquendi ſacræ ſcripturæ: aliquam difficultatem,

parvam aut magnam, veram aut apparentem, quæ diluenda ſit, præſuppoit. Unde, ait eos *qui non credunt, jam judicatos eſſe*: quòd nullum de illorum damnatione ſit dubium. Non eſt ergò malum de proximo dubitare; quia non eſt prohibitum dubitare; ſed judicare. Dubitare tamen & ſuſpicari non licet; niſi ſtrictè admodùm, & quantum rationes & argumenta ipſa nos dubitare cogunt: alioqui & dubitationes & ſuſpiciones temerariæ ſunt. Si malignus quiſpiam Jacobum prope puteum Racheli oſculum dantem, vel Rebeccam armillas & inaures ab Eliezer homine illis in locis incognito acceptantem vidiſſet; ſiniſtrè haud dubiè de duobus illis honeſtatis & caſtitatis exemplis judicaſſet; ſed ſine ulla ratione & fundamento. Nam cùm opus aliquod ex ſe, & per ſe, indifferens eſt: temeraria certè ſuſpicio eſt, malam inde conſequentiam elicere: niſi cum multæ circumſtantiæ magnum argumento robur addunt. Ad hæc, temerarium judicium eſt, aliquo ex opere conſequentiam elicere, ut qui ipſum fecit: dein ſugilletur & carpatur. Sed de hoc ipſo poſteà apertius loquar & pluribus.

Illi verò, qui magnam conſcientiæ ſuæ curam & rationem habent: temerariis judiciis obnoxij non ſunt. Nam quemadmodum apes, dum nebulas aut tempus nubilum vident & præſagiunt; intra alvearia ſua ſe ad mella ſua diſpenſanda, recipiunt: ſic piorum hominum cogitationes, ſi quid nebuloſum in proximi operibus & nubilum vident, foras non prodeunt; ſed ne quid tale videre cogantur, intra cor ſuum ſe recolligunt: ut illic bona emendationis & correctionis propriæ propoſita diſpenſent.

Negligentis & deſidis animæ eſt, vitæ alienæ correctioni intendere. Illos excipias, quibus ex officio alios, tum in familia privata, tum in republica, curare incumbit: bona namque conſcientiæ ipſorum pars in alienæ curatione & inſpectione conſiſtit. Suo ergò officio cum amore & lenitate fungantur; & hoc ubi egerint videant ne paſſim in aliena facta inquirant, ſed intra ſe maneant.

De detractione, cap. 29.

E Temerario judicio naſcitur inquietudo, & proximi contemptus; ſuperbia, ſuiipſius complacentia; & alij plurimi pernicioſi effectus: inter quos detractio & maledicentia primum facilè locum obtinent, quaſi vera converſationum peſtis. Utinam è ſancti Altaris carbonibus unum habeam ad hominum labia tangenda; ut illius adminiculo ipſorum iniquitatem auferam: & peccatum emundem, ad inſtar Seraphini illius, qui hac ratione labia & os Iſaiæ mundavit. Si quis detractionem è mundo tolleret: magnam peccatorum & iniquitatis illius partem auferret.

Quiſquis bonam proximi famam injuſtè detractione violat; præter

peccatum quòd admittit, ad illam reparandam tenetur: tametſi pro detractionis diverſitate, diverſimodè. Nullus enim cœlum cum alterius bono ingredi poteſt. Porrò inter bona omnia externa: fama & bonum nomen primatum tenet. Detractio certè quædam homicidij eſt ſpecies. Triplicem enim habemus vitam ; ſpiritualem, quæ in Dei gratia ſolaeſt; corporalem, quæ in anima, & civilem, quæ in bona fama. Primam nobis aufert peccatum ; mors ſecundam: tertiam detractio. Porrò detractor uno ſolummodò virulentæ linguæ ſuæ ictu tria plerumque homicidia committit. Etenim ſuam, & ejus qui audit, animam homicidio enecat ſpirituali ; civilem verò vitam aufert ei: cujus nomen ac famam letali maledicæ linguæ ſuæ morſu dilacerat ac proſcindit. Nam, ut ſanctus Bernardus dicere ſolebat ; ram is qui dettahit, quàm qui detrahentem audit, diabolum in ſe habent; is quidem in lingua, at hic in auribus. Regius Propheta de maledicis & detractoribus agens ; *Acuerunt*, inquit, *linguas ſuas ſicut ſerpentis.* Porrò ſerpens linguam bifidam habet, teſte Ariſtotele ; talis autem eſt detractoris lingua: quæ ictu uno & auſcultantis aurem, & famam ejus de quo malè loquitur, ferit, & inquinat.

Conjuro itaque te, cariſſima Philóthea; ut nulli unquam cùm directè, tùm indirectè detrahas. Cave, ne quod proximo falſum crimen aut peccatum imponas ; ne ea quæ occulta ſunt & cor tuum latent, palam ac in apertum proferas ; ne ea quæ aperta ac manifeſta ſunt, verbis exaggeres ; ne bonum ejus opus ſiniſtram in partem interpreteris ; ne bonum quod alteri ineſſe noſti, neges, aut malignè diſſimules, aut verbis imminuas. Omnibus enim hiſce modis graviſſimè Deum offenderes ; at in primis falſum proximo crimen imponendo: atque in ejus præjudicium veritatem quam noſti, negando. Etenim duplex id peccatum eſt: mentiris ſcilicet, & ſimul proximo noces.

Qui, ut facilius detrahant, quoddam honorificum de proximo exordium præmittunt, & inter detrahendum jocos intermiſcent: omnium detractorum vaferrimi & virulentiſſimi ſunt. Amo illum, inquiunt, fateor, & cæteroqui ipſe egregius & ſcitus homo eſt; dicendum tamen quod res eſt, graviſſimè haud dubiè peccavit talem perfidiam committendo. Pia probáque eſt filia ; ſed impegit & deprehenſa eſt: & aliæ id genus malignæ præfationes. Artificium non vides? quemadmodum qui ſagittam ex arcu ejaculari vult, eam priùs quàm poteſt maximè ad ſe attrahit: ſed non aliter, quàm violentiùs & majore cum impetu deinde eam emittat. Sic hi maledicentiam ac detractionem ad ſe retrahere videntur ; verùm nonniſi, ut eam violentius emittant: quò in audientium animos penetret profundius. Detractio per modum & ſpeciem joci dicta; omnium eſt crudeliſſima & atrociſſima. Ut enim cicuta præſens per ſe venenum non eſt; ſed ſatis lentum, & cui facilè adhiberi queat remedium. At unà cum vino ſumpta, ita hominem inficit: nul-

lum ut ab arte remedium affulgeat. Sic detractio, quæ per ſe facilè unam ingreſſa aurem, per alteram egreditur (uti communiter loqui ſolemus) firmam tunc in audientium mente ſedem figit; cùm acuto & ſubtili aliquo cum verbulo propinatur. *Venenum aſpidum*, ait Pſalmographus, *ſub labiis eorum.* Aſpis ita mordet, vix ut momordiſſe percipiatur; ejuſque venenum initio delectabilem quemdam pruritum excitat, cujus adminiculo cor & viſcera ſe dilatantia venenum recipiunt: cui nullâ poſtmodum arte ſubveniri queat.

Ne dicas, talis eſt ebrioſus, cum temulentum videris. Talis eſt adulter; cum in adulterio deprehenderis. Talis eſt inceſtuoſus, tametſi inceſtum commiſiſſe nôris: unus enim actus rem non denominat. Sol ſemel ſtetit, ut Joſue ſuam poſſet victoriam proſequi: & ſemel obſcuratus eſt, cùm ſuam de cacodæmone & mundo victoriam Redemptor retulit; non propterea dicendum, illum aut immobilem eſſe, aut obſcurum. Noë ſemel inebriatus à vino eſt, uti & Loth, qui præter hoc etiam infamem inceſtum admiſit; uterque tamen ebrioſus non fuit: nec ultimus inceſtuoſus. Uti nec ſanctus Petrus ſanguinarius, quod ſemel ſanguinem effuderit; nec blaſphemus; quod ſemel ſub anathemate dixerit ſeſe hominem (Dominum ſuum) non noſſe. Ut à vitio aut virtute aliqua quis nomen ſortiatur: aliquem in utroque progreſſum fecerit, habitúmve contraxerit, oportet. Mera ergò impoſtura eſt, dicere, hunc aut illum, cholericum aut furem eſſe: quòd ſemel eum iratum & furatum videris.

Imò etiamſi quis etiam longo tempore vitioſus fuerit, & vitiis indulſerit; adhuc mentiendi ſe periculo exponit is: qui eum vocat vitioſum. Simon Leproſus Mariam Magdalenam peccatricem appellabat, quòd paulò antè peccatrix fuiſſet; nihilominus mentiebatur: neque enim jam peccatrix erat, ſed ſanctiſſima pœnitens. Unde etiam Dominus ejus patrocinium ſuſcepit. Jactabundus ille Phariſæus publicanum ut infamem reputabat peccatorem; fortè etiam injuſtum, adulterum, raptorem; ſed graviſſimè errabat: nam hic ipſo in loco juſtificatus eſt. Si ergò ea Dei ſit bonitas, ut vel unicum momentum ſatis ſit, ad gratiam ejus impetrandam & recipiendam; quomodo certi eſſe poſſumus, ut quis, qui heri erat peccator, ſit & hodie, & non juſtificatus? Dies heſterna de præſenti ferre judicium non debet; uti nec præſens & hodierna de præcedente: ſola dies ſuprema & noviſſima de reliquis omnibus ſuperioribus fert judicium. Nunquam ergò ſine mentiendi periculo: aliquem dicere poſſumus malum aut improbum. Hoc ſolum, ſi quid dicendum eſt, dicere licet; talem actum malum eum aliàs feciſſe; tali tempore malè vixiſſe, hodie malè vivere: at ex eo quod elapſum eſt, nulla de præſenti, nec de heſterno ex eo quòd hodie videtur; multò verò minus de die craſtina, conſequentia ducenda eſt. [*Hæc intellige: cum ex charitatis & juſtitiæ legibus loqui tenemur.*

Quam

Quamquam diligentiſſimè & ſtudioſiſſimè cavere nos oporteat, ne proximo detrahamus; videndum tamen ne in aliam extremitatem, in quam plurimi incidunt, impingamus: qui quò detractionem vitent, ipſum vitium dilaudant, & benè honorificéque de eo loquuntur. Si quem verè maledicum & detractorem nôris, noli, quò eum excuſes, liberum & non ſimulatum dicere; ſi quem apertè vanum, noli eum generoſum & elegantem vocare; nec commercia & familiaritates periculoſas, candores nomina & ſinceritates; inobedientiæ noli nomen zeli indere, nec arrogantiæ libertatis: laſciviam denique noli amicitiam appellare. Non debes, Philotea, dum unicum detractionis peccatum fugere conaris, alia peccata laudare, adulari, fovere; ſed rotundè & candidè malum ut malum carpere, & vituperare: quod dum facimus, Deum glorificamus, ſed his accedentibus conditionibus.

Ut ergò benè & utiliter vitia aliena carpantur; neceſſe eſt: ut utilitas aut ejus de quo loquendum, aut ejus apud quem loquendum eſt, id exigat. Refert quis, verbi gratia, audiente me, apud puellas & virgines familiaria horum & harum commercia, quæ evidenti ſunt cum caſtitatis periculo conjuncta; hujus & illius, utroque in ſexu, in verbis geſtibúſque notoriè lubricis laſciviam & diſſolutionem; niſi hoc ego malum apertè & planè ſugillem, ſed ipſum excuſare velim: teneræ illæ animæ occaſionem hinc ſumunt ad ſimili in caſu ſe effundendas & lubricè agendum. Illarum ergò utilitas exigit, ut illa ipſo in loco ſugillem & reprehendam; niſi occaſionem commodam velim expectare, ad ſalutare hoc officium oportunius, & cum minori eorum de quibus agitur diſpendio & offenſione peragendum. [*Hunc locum diligenter obſerva. Enimverò quæ ad ſæculares hic dicta ſunt: quàm pluribus poſſunt applicari quæ in Religione ſemper reprehendenda ac damnanda ſunt; ut pote illius perfectioni planè contraria.*]

Præterea nonnunquam ex officio, propriè & privatim ad me ſpectat de illa materia agere; quando, verbi causâ, primum in aliqua congregatione & conventu locum obtineo, & quando, niſi loquar: vitium illud approbare videbor. Si autem è minimis & poſterioribus ſim: non eſt meum, cenſorem & reprehenſorem agere. Hoc autem imprimis videndum, ut in verbis non excedam: ne ſuperfluum aut nimium aliquod verbum proferam. Si ergò, verbi gratia, nimiam adoleſcentis hujus, & puellæ illius familiaritatem, quòd æquo indiſcretior & periculoſior ſit, ſugillem; quam, Deus bone, cavendum, & in ſtatera & æquilibrio verba ponderanda ſunt; ne in referendo rem vel verbo exaggerem. Si nonniſi nuda ſit mali apparentia, eaque admodum incerta, aliud præter hoc non addam; ſi nonniſi ſimplex ſit imprudentia, nihil inſuper adjungam; ſi nec imprudentia ſit, nec vera mali apparentia, ſed duntaxat quod fortè aliquam malignus aliquis detrahendi & malè loquendi hinc occaſionem haurire poſſit, aut nihil omninò dicam, aut

hoc tantùm. Lingua mea, quamdiu de proximo loquor, non aliter in ore meo eſt: quàm novacula in manu chirurgi, inter nervos & cartilagines carnem ſecare volentis. Neceſſe proinde eſt, ut quam dare volo inciſionem, ita attemperata ſit & in medio verſetur: ut ad rem nihil addam, nihil de ea demam, ſed ſimpliciter de ea dicam quod eſt. Denique hoc obſervandum, ut, cùm vitium ſugillas, perſonam, in quâ ipſum habitat quàm potes minimè attingas.

De peccatoribus infamibus, publicis & notoriis liberè, fateor, loqui licet; dummodo id in ſpiritu charitatis & compaſſionis fiat, non verò ex arrogantia & præſumptione, aut in alieno malo complacentia; nam poſtremum hoc, vilis & abjecti animi nota eſt. Inter omnes excipio declaratos & denunciatos Dei & Eccleſiæ ejus inimicos; in hoc namque, quàm fieri poteſt maximè, detonandum & debacchandum eſt: uti ſunt hæreticorum & ſchiſmaticorum ſectæ, earúmque capita & anteſignani. Charitatis eſt, lupum, dum inter oves verſatur, exagitandum & opprimendum indicare: quocumque demum loco id fiat.

Nemo non eam ſibi libertatem arroget, ut Principes liberè carpat & cenſuret; imò & integram generaliter nationem, prout erga eam quiſque afficitur, carpere: ſcrupulo ſibi multi non ducunt. Tu vide, Philóthea, ne in hoc unquam impingas; nam præterquam quod id Deum offendat: mille tibi excitare lites & jurgia poſſet.

Si alios traduci & accuſari audis; accuſationem, ſiquidem juſtè id facere potes, dubiam reddere conare: ſi facere nequeas, accuſati intentionem excuſa. Si ne hoc quidem potes, compaſſionem erga eum aliquam oſtende, aut ſermonem illum abrumpe; tibi, nec non omnibus audientibus, in memoriam reducens: eos, qui in nullos defectus incidunt, omnem illius laudem Deo aſcribere debere.

Detrahens, blando aliquo ſermone, ut ad ſe redeat, effice; & ſi quas ex oppoſito de eo cui detrahitur, virtutes & bona nôris: in medium profer.

[*Hæc diſcretè intelligenda ſunt; ac de rebus gravioribus quæ pluribus audientibus proferuntur.*

De temerario judicio vitando lib. 1. *de Imitat. cap.* 14.

AD te ipſum oculos reflecte, & aliorum facta caveas judicare. In judicando alios homo fruſtrà laborat; ſæpius errat, & leviter peccat: ſeipſum verò judicando & diſcutiendo ſemper fructuosè laborat. Sicut nobis cordi eſt, ſic de illa frequenter judicamus: nam verum judicium propter privatum amorem facile perdimus. Si Deus ſemper eſſet pura intentio noſtri deſiderij; non tam facilè turbaremur pro reſiſtentia ſensûs noſtri.

2. Sed ſæpe aliquid ab intra latet, vel etiam ab extra concurrit; quod

noſ etiam pariter trahit. Multi occultè ſeipſos quærunt in rebus quas agunt, & neſciunt. [*Hic habes ſolidum fundamentum, in quo neceſſe eſt conſtituere : quicquid de actionibus noſtris ſentire debemu.*] Videntur etiam in bona pace ſtare quando res pro eorum velle fiunt & ſentire. Si autem aliter fit quàm cupiunt, citò moventur; & triſtes fiunt. Propter diverſitatem ſenſuum & opinionum ſatis frequenter oriuntur diſſenſiones inter amicos & cives; inter Religioſos & devotos.

3. Antiqua conſuetudo difficulter relinquitur: & ultra proprium videre nemo libenter ducitur. Si rationi tuæ magis inniteris, vel induſtriæ, quàm virtuti ſubjectivæ JESU CHRISTI ꝰ raro vel tardè eris homo illuminatus; quia Deus vult nos ſibi perfectè ſubjici, & omnem rationem per inflammatum amorem tranſcendere.

De propria conſideratione lib. 2. de Imitat. cap. 5.

1. NOn debemus nobis ipſis nimis credere; quia ſæpe gratia nobis deeſt & ſenſus. Modicum lumen eſt in nobis: & hoc cito per negligentiam amittimus. Sæpe etiam non advertimus, quòd tam cæci intus ſumus. Sæpe malè agimus, & pejùs excuſamus ꝰ & paſſione interdum movemur; & zelum putamus. Parva in aliis deprehendimus, & noſtra majora pertranſimus. Satis cito ſentimus & ponderamus quod ab aliis ſuſtinemus; ſed quantum alij de nobis ſuſtinent non advertimus. Qui bene & rectè ſua ponderaret; non eſſet quòd de alio graviter judicaret.

2. Internus homo ſuiipſius curam omnibus curis anteponit. Et qui ſibiipſi diligenter intendit; faciliter de aliis tacet. Numquam eris internus & devotus, niſi de aliis ſilueris; & ad teipſum ſpecialiter reſpexeris. Si tibi & Deo totaliter intendis, modicum te movebit quod foris percipis. Ubi es quando tibi ipſi præſens non es? Et quando omnia percurriſti, quid, te neglecto, profeciſti? Si deſideras habere pacem & unionem veram ꝰ oportet quòd totum adhuc poſtponas; & te ſolùm præ oculis habeas. [*Secundum charitatis regulas ſubaudi: nec unquam omiſſis officiis, quæ proximo exhibere tenearis.*]

3. Multùm proinde proficies, ſi te feriatum ab omni temporali cura conſervaveris. Valde deficies ſi aliquid temporale reputaveris. Nihil altum, nihil magnum, nihil gratum, nihil acceptum tibi ſit; niſi purè Deus, aut de Deo ſit. Totum vanum exiſtima quidquid conſolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima ſub Deo deſpicit univerſa. Solus Deus æternus & immenſus, implens omnia; ſolatium eſt animæ, & vera cordis lætitia.

De evitatione curioſæ Inquiſitionis ſuper alterius vita, lib. 3. de Imitatione, cap. 24.

1. FIlli, noli eſſe curioſus, nec vagas gerere ſolicitudines. *Quid hoc vel illud ad te? tu me ſequere.* Quid enim ad te utrum ille ſit talis vel talis : aut iſte ſic, & ſic agat, vel loquatur? Tu non indiges reſpondere pro aliis; ſed pro te ipſo rationem reddes. Quid ergo te implicas? Ecce ego omnes cognoſco : & cuncta quæ ſub ſole fiunt video: & ſcio qualiter cum unoquoque ſit, quid cogitet, quid velit, & ad quem finem tendat ejus intentio. Mihi igitur committenda ſunt omnia : tu verò ſerva te in bona pace; & dimitte agitantem agitare quantùm voluerit. Veniet ſuper eum quidquid dixerit vel fecerit; quia me fallere non poteſt.

2. Non ſit tibi cura de magni nominis umbra : non de multorum familiaritate; nec de privata hominum dilectione. Iſta enim generant diſtractiones & magnas in corde obſcuritates. Libenter loquerer tibi verbum meum, & abſcondita revelarem : ſi adventum meum diligenter obſervares; & oſtium cordis mihi aperires. Eſto providus, & vigila in orationibus; & humilia te in omnibus

Iis quæ ab utroque doctore in præſenti lectione tibi tradita ſunt: nihil addi, imò nec deſiderari poteſt. Quicquid enim ad vitandam detractionem, ac temerarium judicium effugandum : & magnam inde animæ pacem ac vitæ tranquillitatem conſequendam conferre poteſt: hîc habetur. Si documenta hîc tibi tradita fideliter exequaris: jam nunc in hac vita cum ingenti conſolatione ſuaviores charitatis fructus deguſtabis. Ambos enim validiores obices effuſionis gratiæ ſuper nos, judicium temerarium nempe & detractionem ſubmovebis: & quæ vitam civilem amplius perturbant, reſecabis. Quæcunque ſcienda & obſervanda ſuperſunt ad linguam benè gubernandam & dirigendam; lectio proxima exhibebit.

LECTIO QUADRAGESIMA PRIMA.

Plura de colloquiis documenta : & de contentionibus fugiendis. Quod omnibus non ſit credendum : & de facili lapſu verborum. De confidentia in Deo habenda : quando inſurgunt verborum jacula.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

SI quis loquitur : quaſi ſermones Dei. Epiſt. 1. Pet. cap. 4. verſ. 11.

Qui enim vult vitam diligere : & dies videre bonos ; coërceat linguam ſuam à malo : & labia ejus ne loquantur dolum. Declinet à malo & faciat bonum : inquirat pacem, & ſequatur eam. Epiſt. 1. Pet. cap, 3. verſ. 10.

Quod ſi zelum amarum habetis , & contentiones ſint in cordibus veſtris ; nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem : non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens , ſed terrena , animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio : ibi inconſtantia, & omne opus pravum. Quæ autem deſursùm eſt ſapientia ; primùm quidem pudica eſt : deinde pacifica ; modeſta ; ſuaſibilis ; bonis conſentiens ; plena miſericordia, & fructibus bonis : non judicans, ſine ſimulatione. Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem. Epiſt. Jacobi cap. 3. verſ. 14.

Omnis enim natura beſtiarum , & volucrum , & ſerpentium , & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana ; linguam autem nullus hominum domare poteſt : inquietum malum , plena veneno mortifero. Epiſt. S. Jacob. cap. 3. verſ. 7.

Mementote ſermonis mei , quem ego dixi vobis ; non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur : ſi ſermonem meum ſervaverunt & veſtrum ſervabunt. Joan. cap. 15. verſ, 20.

Hæc ſacri ſextûs verba innuunt , 1. Sapientiæ & prudentiæ regulas in verbis eſſe ſervandas ; 2. contentiones fugiendas ; 3. lapſum in verbis facilem eſſe ; ac demùm Chriſti exemplo verborum jacula patienter ferenda. Sed eorum praxim , doctor uterque , in ſequentibus edocebit.

Alia quædam quoad locutionem documenta lib. 3. Introduct. cap. 3.

SIt lingua noſtra ſuavis, candida, ſincera, ſimplex, nativa, & fidelis. Cave tibi à duplicitatibus, artificiis, & ſimulationibus ; licet conſultum & laudabile non ſit, ubique & ſemper quamlibet veritatem proferre ; nunquam tamen licitum, aut permiſſum eſt veritati refragari. Aſſueſce, nunquam ſtudio, aut datâ operâ, vel ad te excuſandam, aut alia quacunque de cauſa, mentiri : memor, Deum eſſe Deum veritatis. Si inadvertenter mendacium proferas ; & ipſo in loco id per aliquam explicationem, aut reparationem corrigere poſſis, corrige : vera namque excuſatio magnam ad mendacium excuſandum gratiam & vim habet.

Tametſi interdum diſcretè & prudenter aliquo verborum artificio & colore veritatem palliare & tegere liceat ; rarò tamen id faciendum, niſi in re magni momenti, quando nimirum gloria & obſequium Dei manifeſtè id exigit : hæc alioquin artificia periculoſa ſunt. Nam uti in ſacris litteris legimus : ſanctus ſpiritus in ſpiritu & animo ficto ac duplici minimè habitat. Qualiſcumque ſit duplicitas: nunquam erit ſimplicitati præferenda. Prudentiæ mundanæ, & artificia carnalia ad filios hujus ſeculi ſpectant ; at filij Dei rectè, & ſine ullis ambulant ambagibus : & cor eorum duplicatum non eſt. *Qui ambulat ſimpliciter,* ait Sapiens, *ambulat confidenter.* Mendacium, duplicitas, & ſimulatio : imbecillem & vilem produnt animum.

Scripſerat Sanctus Auguſtinus libro 4. Confeſſionum, animam ſuam & amici ita inter ſe unitas fuiſſe, ut nonniſi una eſſent anima ; & illo demortuo, vitam hanc ſibi gravem & horrori fuiſſe : quòd nonniſi medius jam vivere nollet ; & quòd ipſe etiam propterea fortaſſe mori timuerit : ne amicus ipſius omninò & totus moreretur. Verùm cum verba hæc illi poſteà nimis artificioſa & affectata viderentur : in Retractionum ſuarum libro ipſa revocat, & meram appellat ineptiam. Vides, Philothea, quàm ſancta hæc anima circa verborum affectationem & artificium ſcrupuloſa fuerit : & ne quam inde notam contraheret, caverit. Magnum profectò vitæ Chriſtianæ ornamentum eſt : fidelitas, candor, & linguæ ſinceritas. Unde Pſalmographus ; *Dixi, cuſtodiam vias meas: ne offendam in lingua mea. Pone Domine cuſtodiam ori meo : & oſtium circumſtantiæ labiis meis.*

Monitum S. Ludovici Regis eſt, nunquam alicujus dictis aut verbis contraïre : niſi iis aſſentiendo aliquod peccatum, aut magnum damnum ſequeretur. Idque ſuadebat : ut hac ratione omnibus concertationibus, contentionibus & litigiis aditus occluderetur. Porrò cùm alicui con-

tradicendum erit, aut alterius opinioni noſtra opponenda, magna id fieri debet cum benignitate ac dexteritate: ita ut alterius ingenium & animum ad nobis aſſentiendum cogere nolimus, ut taceam, nihil lucrari nos cùm durè & aſperè in hoc procedimus.

Pauca loqui (quod tantoperè à priſcis eſt Philoſophis commendatum) non ita intelligendum eſt quaſi paucis nos opotteat verbis uti, ſed, ne multa inutilia & ſupervacanea proferamus. Etenim in loquendo non tam quantitas, quàm qualitas verborum ſpectanda eſt: & duæ ſunt extremitates cavendæ. Qui ſermone ſeverum ſe adeò exhibet, ut in familiaribus, quæ in converſationibus inſtituuntur, colloquiis: ſua verba ſuperciliosè miſcere detrectet: oſtendit, ſe aut ſuis auditoribus non confidere, aut eos ex arrogantia contemnere. Qui autem è contra perpetuò garrit, & jugiter verba effutit ⁊ ut aliis ſua proferendi nec otium nec tempus, prout vellent, concedat: levem ſe & verboſum eſſe demonſtrat. Eos minimè probabat S. Ludovicus, qui ſive in cœtibus, ſive in conſiliis, ſed præcipuè in menſa taciti ſimul loquebantur ⁊ quippe ſuſpicandi occaſionem dabant: ſe malè de cæteris loqui. *Qui ad menſam*, inquit, *cum aliis ſedet ⁊ & aliquid facetum & jocoſum proferre vult: ipſum ita proferat, ut præſentes omnes intelligant. Si alicujus momenti negotium ſit, quod ſcire nolit: prorſus taceat, nec de eo verbum faciat.*

Ad pacem animæ ſervandam contentiones eſſe fugiendas: & de non attrahendo ſibi res exteriores. lib. 3. de Imitatione cap. 44.

SALVATOR.

1. Fili in multis oportet te eſſe inſcium ⁊ & æſtimare te tanquam mortuum ſuper terram, & cui totus mundus crucifixus ſit. Multa etiam oportet ſurda aure pertranſire; & quæ tuæ pacis ſunt magis cogitare. Utilius eſt oculos à rebus diſplicentibus avertere ⁊ & unicuique ſuum ſentire relinquere; quàm contentioſis ſermonibus deſervire. Si bene ſteteris cum Deo & ejus judicium aſpexeris; faciliùs te victum portabis.

SALVATOR.

2. O Domine quouſque venimus? Ecce damnum defletur temporale ⁊ pro modico quæſtu laboratur & curritur; & ſpiritale detrimentum in oblivionem tranſit, & vix ſerò reditur. Quod parum vel nihil prodeſt, attenditur ⁊ & quod ſummè neceſſarium eſt negligenter præteritur: quia totus homo ad externa profluit, & niſi citò reſipiſcat, libens in exterioribus jacet.

Quod omnibus non eſt credendum: & de facili lapſu verborum. Ibidem, cap. 45.

1. DA *mihi auxilium, Domine, de tribulatione; quia vana ſalus hominis.* Quàm ſæpe ibi non inveni fidem, ubi me habere putavi? Quoties etiam ibi reperi, ubi minùs præſumpſi? Vana ergò ſpes in hominibus; ſalus autem juſtorum in te Deus. Benedictus ſis, Domine Deus, in omnibus quæ nobis accidunt. Infirmi ſumus & inſtabiles; citò fallimur & permutamur.

2. Quis eſt homo, qui ita cautè & circumſpectè in omnibus ſe cuſtodire valeat ⸮ ut aliquando in aliquam deceptionem, vel perplexitatem non veniat? Sed qui in te, Domine, confidit, ac ſimplici ex corde quærit; non tam facilè labitur. Et ſi inciderit in aliquam tribulationem ⸮ quocumque modo etiam fuerit implicatus, citiùs per te eruetur, aut à te conſolabitur: quia tu non deſeres in te ſperantem uſque in finem. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perſeverans preſſuris. Tu Domine, tu ſolus es fideliſſimus in omnibus; & præter te non eſt talis alter.

3. O quàm bene ſapuit ſancta illa anima, quæ dixit ⸮ *Mens mea ſolidata eſt, & in Chriſto fundata?* Si ita mecum foret ⸮ non tam facilè timor humanus me ſollicitaret; nec verborum jacula moverent. Quis omnia prævidere, quis præcavere mala futura ſufficit? Si prævifa etiam lædunt ſæpe ⸮ quid improviſa, niſi graviter feriunt? Sed quare mihi miſero non meliùs providi? Cur etiam tam facilè aliis credidi? Sed homines ſumus, nec aliud quàm fragiles homines ſumus; etiamſi Angeli à multis æſtimamur & dicimur. Cui credam, Domine? Cui niſi tibi? [*Hanc ſanctam ac prudentem diffidentiam obſerva; quâ aliorum verbis non ita facile credas.*] Veritas es, quæ non fallis, nec falli potes. Et rurſum ⸮ *Omnis homo mendax*, infirmus, & inſtabilis, labilis maximè in verbis: ita ut ſtatim credi debeat, quod rectum in facie ſonare videtur.

4. Quàm prudenter præmonuiſti, cavendum ab omnibus ⸮ & quia *inimici hominis domeſtici ejus?* nec credendum, ſi quis dixerit ⸮ *Ecce hic, aut ecce illic?* Doctus ſum damno meo ⸮ & utinàm ad cautelam majorem; & non ad inſipientiam mihi. Cautus eſto, ait quidam, cautus eſto; ſerva apud te quod dico. Et dum ego ſileo, & abſconditum credo ⸮ nec ille ſilere poteſt, quod ſilendum petiit; ſed ſtatim prodit me, & ſe, & abit. [*Nota quod ſicut paucis omninò, ſecretum noſtrum tutò poteſt committi: ſic & in nos aliorum ſecretum de facili recipere, non expedit.*] Ab hujuſmodi fabulis, & incautis hominibus, protege me, Domine, ne in manus eorum incidam; nec unquàm talia committam. Verbum verum, & ſtabile da

in

in os meum ; & linguam callidam longè fac à me. Quod pati nolo, facere aliis omninò cavere debeo.

5. O quàm bonum & pacificum eſt, de aliis tacere ˥ nec indifferenter omnia credere : neque de facili ulteriùs effari ˥ paucis ſeipſum revelare : te ſemper inſpectorem cordis quærere ˥ nec omni vento verborum circumferri ; ſed omnia intima & externa ſecundùm tuæ beneplacitum voluntatis optare perfici. Quàm tutum pro conſervatione cæleſtis gratiæ humanam fugere apparentiam ˥ nec appetere quæ foris admirationem videntur præbere : ſed ea tota ſedulitate ſectari, quæ dant emendationem vitæ ac fervorem. [*Hinc diſce, quæcumque ſingularem præ cæteris æſtimationem tibi conciliare poſſunt ; ſtudioſè eſſe vitanda.*]

6. Quàm multis nocuit virtus ſcita, ac præproperè laudata ? Quàm ſæpe profuit gratia ſilentio ſervata in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur, & militia ?

De confidentia in Deum habenda, quando inſurgunt verborum jacula. Ibidem. cap. 46.

Salvator.

1. Fili ſta firmiter & ſpera in me. Quid enim ſunt verba, niſi verba ? Per aërem volant, ſed lapidem non lædunt. Si tu reus ; cogita quòd libenter te velis emendare. Si nihil tibi conſcius es ; penſa quòd velis libenter pro Deo hoc ſuſtinere. Satis parum eſt ut vel verba interdum ſuſtineas ; qui necdum fortia verbera tolerare vales. Et quare tam parva tibi ad cor tranſeunt ˥ niſi quia adhuc carnalis es, & homines magis quàm oportet attendis ? Nam quia deſpici metuis ˥ reprehendi pro exceſſibus non vis ; & excuſationum quæris umbracula.

2. Sed inſpice te meliùs ˥ & agnoſces quia vivit adhuc in te mundus ; & vanus amor placendi hominibus. Cùm enim baſſari refugis, & confundi pro defectibus ˥ conſtat utique quòd nec verus humilis ſis ; nec verè mundo mortuus, nec tibi mundus crucifixus. Sed audi verbum meum ; & non curabis decem millia hominum verba. Ecce, ſi cuncta contra te dicerentur, quæ fingi malitioſiſſimè poſſent ˥ quid tibi nocerent, ſi omnino tranſire permitteres, nec plus quàm feſtucam perpenderes ? Numquid vel unum capillum extrahere poſſent ?

3. Sed qui cor intus non habet, nec Deum præ oculis, faciliter movetur verbo vituperationis ˥ qui autem in me confidit, nec proprio judicio ſtare appetit ; abſque humano terrore erit. Ego enim ſum judex, & Dominus omnium ſecretorum : ego ſcio qualiter res acta eſt, ego injuriantem novi & ſuſtinentem. A me exiit verbum iſtud ˥ me permittente hoc accidit ; *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ego reum & innocentem judicabo ; ſed occulto judicio utrumque antè probare volui.

Pp

4. Teſtimonium hominum ſæpe fallit : meum judicium verum eſt; ſtabit, & non ſubvertetur. Latet plerumque, ac paucis patet ad ſingula: nunquam tamen errat, nec errare poteſt, etiamſi oculis inſipientium non rectum videatur. Ad me ergò recurrendum eſt in omni judicio; nec proprio innitendum arbitrio. *Juſtus* enim *non conturbabitur; quidquid ei à Deo acciderit.* Etiamſi injuſtè aliquid contra eum prolatum fuerit; non multùm curabit. Sed nec vanè exultabit ſi per alios rationabiliter excuſetur. Penſat namque, quia *ego ſum ſcrutans corda, & renes:* qui non judico ſecundùm faciem & humanam apparentiam. Nam ſæpe in oculis meis reperitur culpabile: quod hominum judicio creditur laudabile.

Prov 12 21.

Pſ. 7. 10.

DISCIPULUS.

5. Domine Deus, judex juſte, fortis & patiens, qui hominum noſti fragilitatem & pravitatem : eſto robur meum, & tota fiducia mea: non enim mihi ſufficit conſcientia mea. Tu noſti quod ego non novi : & ideò in omni reprehenſione humiliare me debui; & manſuetè ſuſtinere. Ignoſce ergò mihi propitius quoties ſic non egi; & dona iterum gratiam amplioris ſufferentiæ. Melior eſt mihi tua copioſa miſericordia ad conſecutionem indulgentiæ: quàm mea opinata juſtitia pro defenſione latentis conſcientiæ. *Et ſi nihil mihi conſcius ſum, tamen in hoc juſtificare me non poſſum;* quia remotâ miſericordiâ tuâ *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.*

1. Cor. 4.

Pſ. 142. 2.

LECTIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

De fidelitate ſervanda in parvis, ſicut & in magnis; ac de mentis æquitate. De deſideriis, & de occultandis Dei donis: ſub humilitatis cuſtodia.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

QUi *fidelis eſt in minimo : & in majori fidelis eſt: qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.* Luc cap. 16. verſ. 10.

Omnia ergò quæcumque vultis ut faciant vobis homines; & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ. Matt. cap. 7. verſ. 12.

Hoc itaque dico fratres : tempus breve eſt; reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes : & qui gaudent tanquam non gaudentes: & qui emunt tanquam non poſſidentes : & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 7. v. 29.

Tunc ait illis ⁊ triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hic, & vigilate mecum. Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam orans, & dicens ⁊ pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Matt. cap. 26 verſ. 38.

Hæc ſacri textûs verba docent. 1. Qualis debeat eſſe tua ad Deum fidelitas: 2. Quali cum æquitate agere debeas erga proximum. 3. Fruſtra à te formari & multiplicari deſideria: cùm ab omnibus ſolutus eſſe debeas. 4. denique in mentis ariditatibus occaſiones tibi offerri Chriſtum imitandi: ſed eorum praxim doctor uterque mox latè explicabit.

Quod in magnis æquè ac parvis occaſionibus fidelem eſſe oportet. lib. 3. Introduct. cap. 35.

SAcer ille Cantici Canticorum ſponſus ait, ſuum à ſponſa ſua cor & in uno oculorum illius: & in uno crine colli ejus vulneratum fuiſſe. Porrò inter exteriores corporis humani partes, nulla oculo tam quoad artificium, quàm quoad activitatem nobilior eſt: nulla quoque vice verſa crinibus vilior & abjectior. Unde innuere divinus ſponſus vult, non ſolùm magna hominum devotorum opera ſibi placere, ſed etiam minima & abjectiſſima ⁊ & quò illi benè & prout oportet ſerviatur, operam dandam, non modò ut per magna & præclara, ſed etiam per parva & vilia, bonum ei obſequium præſtetur: cùm tam per hæc, quàm per iſta, cor illius amore attrahere & vulnerare poſſimus.

Diſpone ergò te, Philothea, ad multas & ingentes pro Dei honore afflictiones: quin & martyrium & mortem tolerandam. Parata eſto illi dare, quidquid hic cariſſimum & pretioſiſſimum habes, ſi id ei placeret à te tollere ⁊ patrem ſcilicet, matrem, fratrem, maritum, uxorem, filios, quin & oculos tuos & vitam ipſam: ad hæc omnia namque animum tuum præpares & reſolvas oportet. Sed, quamdiu divina providentia tam ſenſibiles & magnas afflictiones tibi non immittit, nec oculos tuos exigit ⁊ crines tuos ſaltem illi da, id eſt, parvi momenti parvas injurias, exigua incommoda, jacturas exiles, quales quotidie obveniunt: patienter tolera. Nam per parvas has occaſiones, cum amore & dilectione toleratas fiet ⁊ ut cor ejus omninò ſis victura: & tuas in partes planè pertractura. Hæc parva charitatis exercitia ⁊ hic capitis dolor, hæc odontalgia, hic catarrhus ⁊ hæc vitri fractio, hæc irriſio, hæc chirothecarum, monilis, ſtrophioli amiſſio ⁊ parva hæc incommoditas, quò orationi inſtetur, & ſacra communiò frequentetur ⁊ parvus ille, qui ex operibus quibuſdam piis publicè faciendis ſequitur pudor ⁊ denique parvæ moleſtiæ ex amore ſuſceptæ, divinæ bonitati quàm gratiſſimæ ſunt: ut quæ etiam ob hauſtum unum frigidæ omnis felicitatis oceanum fidelibus ſuis promiſit. Et quoniam hujuſmodi occaſiones ſingu-

lis penè momentis occurrunt , optima plurimas ſpirituales divitias congregandi ratio eſt : eas benè ritèque uſurpare.

Quando in vita S. Catharinæ Senenſis tot raptus lego , tot elevationes ſpiritûs , tot verba ſapientiâ condita , nec non prædicationes quaſdam ab ipſa inſtitutas , certum mihi eſt : illam hoc contemplationis oculo ſponſi ſui cœleſtis cor vulneraſſe & attraxiſſe. Simul etiam ex altera parte miræ mihi conſolationi fuit, cùm legi eam in patris ſui culina magna cum humilitate veru vertiſſe , ignem accendiſſe , cibos coxiſſe, panem pinſuiſſe , viliſſima quæque domûs miniſteria inſigni cum animoſitate: quæ magnum Dei amorem & dilectionem ſpirabat: obiiſſe. Nec minoris facio parvam illam , quam vilia & abjecta inter obſequia inſtituebat meditationem , quàm exſtaſes & raptus , quos adeò frequentes habuit:quique fortaſſis & in humilitatis & abjectionis hujus compenſationem dati ſunt. Hæc autem illius erat meditatio,cùm patri cibos præparabat, fingebat & imaginabatur,ſe eos Domino,ad inſtar ſanctæ Marthæ,præparare:matrem ſuam,beatæ Virginis locum obtinere: & fratres vicem Apoſtolorum. Itáque ſeſe excitabat ad omni curiæ cœleſti in ſpiritu famulandum , & vilibus hiſce obſequiis & miniſteriis magna cum ſuavitate animi ſe applicabat: quòd hanc Domini voluntatem eſſe noſſet. Ideò verò hoc exemplum hîc retuli , Philothea , ut nôris, quanti referat, omnes actiones noſtras , quantumlibet viles : ad divinæ illius Majeſtatis obſequium legitimè debitèque uſurpari.

Quamobrem tibi quàm poſſum maximè conſulo , ut mulierem illam fortem, tantoperè à magno Salomone deprædicatam , imiteris , quæ etſi manum, ut ipſe ait, ad fortia, generoſa & ſublimia mitteret: nihilominus fila ducere & fuſum verſare ſe indignam non reputabat. *Manum ſuam*, inquit, *miſit ad fortia & digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Ad hujus ergò imitationem manum mitte ad fortia , in oratione, meditatione, ſacramentorum frequentatione te exercendo , amorem Dei animabus proximi inſtillando , bonas inſpirationes, in corda aliorum inferendo , denique magna, heroica & magni momenti opera , juxta vocationem & ſtatum tuum obeundo , ſed noli fuſi & coli tuæ oblviviſci , item, parvas illas & humiles virtutes exerce,quæ floſculorum inſtar ad crucis pedem excreſcunt: puta pauperum obſequia , ægrorum viſitationes, & innumera charitatis officia: quæ te non ſinent otioſam eſſe. Et dum hæc obibis , id genus conſiderationes,quales S.Catharina exercitiis ſuis intermiſcuiſſe jam dixi : intermiſcere non deſinas.

Magnæ Deo ſerviendi occaſiones rarius occurrunt , ſed parvæ ordinariæ ſunt. Porrò qui *ſuper modica & pauca fidelis eſt*, inquit Salvator : *ſuper multa conſtituetur.* Omnia ergò in Dei nomine fac: benè omnia facta erunt. Sive ergo comedas, ſive bibas , ſive dormias, ſive animum relaxes, ſiue veru vertas, dum modò rem tuam benè agere nôris , mul-

tum apud Deum proficies, omnia ſcilicet ideò faciendo, quòd Deus ea à te fieri velit. [*Qua ratione Deo placere poſſis in omnibus actibus tuis; hic paucis expreſſum habes.*

Animum æquum, & rationis ductum ſequentem habendum eſſe, Ibidem cap. 36.

NOnniſi per rationem homines ſumus ; nihilominus rarum eſt invenire qui vere ſint rationabiles, & rationis ductum ſequantur: quòd amor proprius ordinariè nos à rationis via & præſcripto avocet ; inſenſibiliter ad ſexcenta parvarum, ſed noxiarum, injuſtitiarum & iniquitatum genera conducens; quæ adinſtar vulpecularum, de quibus in Canticis ſermo eſt, vineas demoliuntur. Quòd enim parvæ ſint, vix ad eos reflectitur ; quòd autem numero plurimæ; hinc multum inferunt damni. Quæ ergò tibi hîc referam, an non juſtitiæ ſunt, & rationi contraria?

Parva de cauſa proximum accuſamus, & nos ipſos in magnis excuſamus: carè noſtra vendere volumus, & viliſſimo aliena emere ; aliena in domo juſtitiam exerceri volumus, at in noſtra miſericordiam & conniventiam ; verba noſtra bonam in partem capi volumus: aliorum verò moroſi cenſores ſumus. Vellemus, proximus nobis ſua cederet pretio recepto ; an non multo æquius eſt ipſum ea ſervare, & nos noſtram ſervare pecuniam? illi indignamur, quod nobis commodare nolit ; an non æquius ille indignetur nobis, quod nos illi incommodare velimus. [*Hic tibi ob oculos ponit humani ſenſus ac judicij veluti fundum: prout ſunt in ſtatu naturæ corruptæ. Hæc ergò tibimetipſi applica ; firmitérque tene: propenſionem naturalem ad id tendere. Quàm verum illud ſit experimento diſces; ſi teipſum cautè & diligenter obſerves?*] Si erga aliquod exercitium afficimur ; reliqua exercitia contemnimus ; & carpimus ac ſugillamus quidquid nobis diſplicet. Si quis ex inferioribus nobis ſit, qui non adeò gratioſus ſit, aut erga quem ſemel odium conceperimus ; quidquid demum is facit: malam in partem accipimus, identidem illum triſtitiâ afficimus, & ſemper illius acta reprehendimus. E contra ſi quis nobis ob gratiam aliquam ſenſualem & exteriorem gratus ſit, nihil omnino facit quin excuſemus. Sunt pueri aliqui & virtute prædití, & probi quos tamen ob imperfectionem & defectum aliquem corporalem parentes non æquis oculis aſpiciunt ; è contra ſunt vitioſi; quos ob dotem aliquam corporalem longè cariſſimos habent. Omnibus in rebus divites præferimus pauperibus ; licet nec melioris ſint conditionis, nec majore prædití virtute; quin imò eos qui ſplendidius veſtiti ſunt, ſemper aliis præponimus. Jura noſtra exigimus exactiſſimè ; alios verò in exigendis ſuis cupimus eſſe remiſſos & humanos: noſtrum ipſi ordinem, locum & ſta-

ád amuſſim ſervamus; & alios in eo humiles & condeſcendentes eſſe cupímus; facilè de proximo querimur: & neminem de nobis volumus conqueri: quod in aliorum facimus gratiam, ſemper nobis videtur eſſe multum & magnum; quod alij noſtri cauſa præſtant: nullo in numero habemus. Denique ſimiles ſumus perdicibus Paphlagoniæ duplex cor habentibus; habemus namque cor benignum, lene & humanum erga nos ipſos; & alterum durum, ſeverum, auſterum erga proximum. Duplex quoque habemus pondus, uno eorum commoda noſtra quàm poſſumus maximâ ponderoſitate: altero proximi, quàm maximâ poſſumus levitate, ponderamus. Ut nimirum hæc nimium quantum deprimamus; iſta immenſum extollamus. Porrò, ut ſacra ſcriptura loquitur, *labia doloſa in corde & corde locuti ſunt*, id eſt, duplex habent cor: & habere *pondus & pondus*, id eſt, unum grave, ad emendum, & accipiendum, & alterum leve & debile, ad tradendum & vendendum, *abominatio eſt coram Domino.*

In actionibus igitur tuis eſto æqua & juſta, Philothea; colloca te ſemper in proximi loco, & illum in tuo: itáque benè de illo ſenties. Venditricem te fac dum emis; & emptricem dum vendis: ita fiet, ut juſte & vendas & emas. Omnes hæ injuſtitiæ parvæ quidem ſunt, quòd ad nullam nos reſtitutionem obligent quod ſolùm exigimus id, quod nobis ex æquitate debitum eſt & commodum noſtrum: nec illius terminos excedimus. At non propterea nos obligare deſinunt: ut eas in nobis corrigamus. Sunt quippè notabiles rationis & charitatis defectus, ac meræ fallaciæ; etenim generosè, & humanè ſe gerendo: nihil omninò quis de ſuo jure & auctoritate deperdit.

Sæpè ergò cor tuum examina, Philóthea; num tale id ſit erga proximum, quale illius in te eſſe velles, ſi illius eſſes in loco: in hoc enim vera ratio conſiſtit. Trajanus Imper. à ſuis reprehenſus, quod imperialem Majeſtatem familiaritate nimiâ & facili acceſſu vilem redderet, reſpondit; An non talis eſſe debeo erga ſubditos Imperator, qualem ipſe, ſi ſubditus eſſem, habere Imperatorem vellem? [*Hîc tibi unam è radicibus aperit quæ profectum in virtutibus maximè præpediunt; illiuſque præſcindendæ modum edocet: juſtitiæ videlicet, charitatis, ac veræ honeſtatis quæ in utraque fundatur, ductum ubique ſequendo.*

De deſideriis. Ibidem. cap. 37.

NEmo ignorat, non eſſe ea quæ vitioſa & noxia ſunt, deſideranda: etenim mali deſiderium reddit nos malos. Inſuper tibi ſuadeo, Philothea, ne unquam ea quæ animæ periculoſa ſunt, deſideres; uti ſunt tripudia, luſus, & aliæ id genus recreationes, honores, dignitates, munia, viſiones & éxſtaſes: his enim in rebus multùm periculi, vanitatis, & fraudis latet. Ne deſideres etiam, quæ procul abſunt & diſtant:

id eſt ea quæ nonniſi poſt multum temporis ſpatium eventura ſunt. Sic multi talia deſiderando, ſuum nulla cum utilitate cor defatigant, torquent & diſſipant: itáque ſe in magnæ inquietudinis periculum conjiciunt. Si juvenis aliquis impensè, antequam legitimum & ſtatum tempus advenerit, aliquod obtinere munus deſideret ? ad quid obſecro, ei hoc deſiderium conducit? Si mulier conjugata religioſum velit ſtatum profiteri ? an non fruſtraneè id deſiderat? Si vicini mei poſſeſſionem emere deſiderem antè, quàm ipſe eam velit vendere ? an non tempus meum inutiliter in hoc deſiderio conſumo? An non quoque vana deſideria ſunt: ſi, dum æger ſum, concionari, ſacrum celebrare ? alios ægrotos inviſere ? & alia benè valentium exercitia obire deſiderem ? quod tunc in poteſtate meâ minimè ſit, illa executioni mandare? Et interea inutilia illa deſideria, aliorum meliorum, quæ habere deberem, locum occupant; quibus nimirum deſiderem valdè patiens, reſignatus, mortificatus, obediens, & in ærumnis & adverſitatibus meis admodum placidus eſſe. Atque hoc eſt; quod me Deus tunc temporis, facere vult. Sed nos vice versâ deſideria concipimus mulierum prægnantium ? in autumno ceraſa recentia: in vere uvas cupientium.

Unde nullatenus conſulere aut probare poſſum, ut, quiſquis officio alicui aut ſtatui ſe jam de facto applicavit, aliud vitæ genus conſectari impensè deſideret ? quàm quod conditioni & genio ſuo conveniat: aut exercitia, quæ cum ſtatu & munere quò jam fungitur, incompatibilia ſunt. Hoc namque cor diſſipat; ipſumque in neceſſariis exercitiis elanguidum & evigoratum reddit. Si enim, v. g. Carthuſianorum deſiderem ſolitudinem ? tempus meum inutiliter perdo: & hoc deſiderium locum occupat ejus, quod habere debeo officij mei, quò jam fungor, debitè legitiméque exequendi: imò nequidem vellem ut quis melius habere ingenium, aut exactius judicium deſideret ? hæc namquè deſideria inania ſunt: locumque occupant ejus, quod habere quique debet, colendi ſuum ingenium qualecunque demum illud eſt. Nollem quoque ut quis ea Deo ſerviendi media deſideraret, quæ non habet, ſed ea quæ habet fideliter exequeretur. Loquor hic autem de deſideriis, quæ aſſiduè cor lancinant & divexant: nam quantum ad ſimplices velleitates, & tranſitorias optationes: nullum eæ damnum creant, dummodo non ſint frequentes.

Ne deſideres etiam cruces, niſi in quantum eas quas habuiſti hactenus, patienter tuliſti ? etenim abuſus quidam eſt, deſiderare martyrium: & ad injuriam aliquam ſuſtinendam ſat animi non habere. Sæpenumero inimicus abſentia & quæ nunquam occurrent objecta & occaſiones ardenter impenſéque deſiderare nos facit ? ut ab objectis præſentibus, è quibus quantumlibet parvis magna nobis provenire poſſet utilitas: animum noſtrum divertat. In imaginatione cum Africæ monſtris decertamus, & de facto nos à parvis ſerpentibus, in via noſtra occurren-

tibus : præ defectu attentionis necari permittimus.

Ne deſideres etiam tentationes ; nam eſſet temeritas : ſed, ad eas expectandas uſque dum veniant, & expugnandas, cùm ingruent, animum præpara. [*Hæc ſequere conſilia. Magis enim expediunt, quàm ſi extra omnem pugnandi occaſionem : paſſionum motus in vanum excites. Cum verò actu inſurgunt ; quæ hîc habentur exerce ; & majori cum humilitate ac tranquillitate victor abibis.*]

Ciborum varietas, præſertim ſi magna in copia ſumatur, ſtomachum ſemper gravat ; & ſi is debilis ſit, opprimit. Multis ergò deſideriis animam tuam adimplere noli ; non mundanis, hæc namque te penitus corrumperent : non ſpiritualibus, hæc quippè te impedirent & anxiam redderent. Cùm anima noſtra purgata eſt : tunc à pravis humoribus jam libera, ingenti res divnas ac ſpirituales appetitu deſiderat ; & velut famelica: ſexcenta exercitiorum pietatis, mortificationis, patientiæ, humilitatis, charitatis, orationis genera ſubire cupit. Bonum certè ſignum eſt, Philothea, tam bonum appetitum habere ; at vide, num omnia quæ comedere cupis : digerere poteris. Itaque Patris tui ſpiritualis concilio & ſuaſu, tot inter deſideria ea ſelige, quæ executioni mandari poſſunt : illa continuare perge, & conſtans in illis eſto. Hoc facto, immittet tibi dein Deus alia, quæ etiam ſuo tempore exequêris: itáque inutilibus deſideriis fruendis tempus non perdes, Non dico, aliquod bonum deſiderium eſſe contemnendum aut negligendum ; ſed ea ordinatim producenda : & quæ impræſentiarum commodè executioni mandari nequeunt, in aliquo cordis angulo recludenda, uſque dum executionis eorum tempus advenerit. Et interim executioni mandanda ea, quæ matura jam & opportuna ſunt : quod non modò in ſpiritualibus, verum etiam mundanis locum habet : alioqui perpetua in inquietudine & anxietate nobis vivendum eſſet. [*Sanctus doctor hîc loquitur quaſi dux peritiſſimus, qui milites ordinatè ducit ad prælium; modo & menſuris obſervatis. Tutò pugnabis & vinces illum inſequendo. Inconſiderati verò juvenes qui animi ſui ſenſum & impetum ſequuntur ; juvenes illos voluntariæ militiam obeuntes æmulantur : qui quàm magni ſint animi oſtendere volentes, abſque ordine & diſcretione procedunt, vulnerantur aut captivi abducuntur.*

De occultanda gratia ſub humilitatis cuſtodia lib. 3. de Imitat. cap. 7.

Salvator.

Fili utilius eſt tibi & ſecurius devotionis gratiam abſcondere, nec in altum te efferre ; nec multùm inde loqui, neque multùm ponderare: ſed magis temetipſum deſpicere, & tanquam indigno datam timere.

Non

Non eſt huic affectioni tenaciùs inhærendum; quæ citiùs poteſt mutari in contrarium. Cogita in gratia quàm miſer & inops eſſe ſoles ſine gratia. Nec eſt in eo tantùm vitæ ſpiritualis profectus, cùm conſolationis habueris gratiam; ſed cùm humiliter & abnegatè, patienterque tuleris ejus ſubtractionem. Ita quòd tunc ab orationis ſtudio non torpeas, nec reliqua opera tua ex uſu facienda omninò dilabi permittas ⁊ ſed ſicut meliùs potueris & intellexeris libenter quod in te eſt facias; nec propter ariditatem, ſeu anxietatem mentis quam ſentis te totaliter negligas. [*Præſenti capite duo tibi evidentiſſimè innoteſcunt ⁊ primum quod de ſenſibili devotione agatur : cum de ſubtractione gratiæ, ac gratiæ in animam reditu loquitur. Secundum ⁊ mentis ariditate perfectionem non impediri, ſed potius promoveri : ſicque legitimum & bonum animæ fervorem ac verum amorem, non in ſenſu, ſed in ratione, firmóque ejus propoſito conſiſtere.*]

2. Multi enim ſunt qui cùm non bene eis ſucceſſerit : ſtatim impatientes fiunt, aut deſides. *Non enim ſemper eſt in poteſtate hominis via ejus* ⁊ ſed Dei eſt dare & conſolari quando vult, & quantum vult, & cui vult; ſicut ſibi placuerit, & non ampliùs. Quidam incauti propter devotionis gratiam ſeipſos deſtruxerunt ⁊ quia plus agere voluerunt quàm potuerunt, non penſantes ſuæ parvitatis menſuram; ſed magis cordis affectum ſequentes, quàm rationis judicium. [*Inde addiſce, quanti referat prudentiorum potiùs ſequi conſilium; quàm privatum zelum, ac ſpirituales animi ſui propenſiones.*] Et quia majora præſumpſerunt quàm Deo placitum fuit; idcircò gratiam perdiderunt. Facti ſunt inopes & viles relicti, qui in cælum poſuerant nidum ſibi ⁊ ut humiliati & depauperati diſcant non alis ſuis volare; ſed ſub pennis meis ſperare. [*Hic diligenter obſerva : quantùm debeas à proprij animi præſumptione cavere.*] Qui adhuc novi ſunt & imperiti in via Domini ⁊ niſi conſilio diſcretorum ſe regant : faciliter decipi poſſunt & elidi.

3. Quòd ſi ſuum ſentire magis ſequi quàm aliis exercitatis credere velint ⁊ erit eis periculoſus exitus; ſi tamen retrahi à proprio conceptu non valuerint. Raró ſibi ipſis ſapientes ab aliis regi humiliter patiuntur. Meliùs eſt modicum ſapere cum humilitate & parva intelligentia; quàm magni theſauri ſcientiarum cum vana complacentia. Meliùs eſt tibi minùs habere; quàm multùm, unde poſſes ſuperbire. Non ſatis diſcretè agit qui ſe totum lætitiæ tradit ⁊ obliviſcens priſtinæ inopiæ ſuæ, & caſti timoris Domini; qui timet gratiam oblatam amittere. Non etiam ſatis virtuosè ſapit, qui tempore adverſitatis & cujuſque gravitatis nimis deſperatè ſe gerit; & minùs fidenter de me quàm oportet, recogitat ac ſentit.

4. Qui tempore pacis nimis ſecurus eſſe voluerit; ſæpe tempore belli nimis dejectus & formidoloſus reperietur. Si ſcires ſemper humilis & modicus in te permanere ⁊ necnon ſpiritum tuum bene moderari & regere; non incideres tam citò in periculum & offenſam. Conſilium

bonum eſt, ut fervoris ſpiritu concepto mediteris quid futurum ſit abſcedente lumine. [*Hac attentiùs nota ˥ juſtam quippe animi moderationem edocent quâ à ſenſibili ſenſim independens & liber effectus ; ad magnam ſanctæ indifferentiæ libertatem pervenias.*] Quod dum contigerit ˥ recogita & denuò lucem poſſe reverti ; quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam, ad tempus ſubtraxi.

5. Utilior eſt enim talis probatio ; quàm ſi ſemper proſpera pro tua voluntate haberes. Nam merita non ſunt ex hoc æſtimanda, ſi quis plures viſiones aut conſolationes habeat ˥ vel ſi peritus ſit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu ; ſed ſi vera fuerit humilitate fundatus, & divina charitate repletus ˥ ſi Dei honorem purè atque integrè ſemper quærat ˥ ſi ſeipſum nihil reputet & in veritate deſpiciat ; atque ab aliis etiam deſpici & humiliari magis gaudeat, quam honorari.

Quatuor capita quibus hæc lectio conſtat ˥ totidem principia oculis exhibent ; quibus ad perfectionem aſſequendam perpetuò inſiſtendum eſt. 1. In omnibus maximis pariter ac minimis fidelitatem inviolatam eſſe tenendam. 2. Æquitatem in ratione conſtituendam : & in omnibus obſervandam. 3. Deſideria comprimenda & mortificanda. 4. Fiduciam ac animi conſtantiam : in ariditate ſervandam eſſe. In his ſanè pugnæ ſpiritualis militaris diſciplina omninò conſiſtit. Demum ſedulò obſerva quæ piiſſimus magiſter imitationis de ariditate hic edocet ˥ & perſpicies quonam modo intelligenda ſunt quæ de ſenſibili devotione dixit ; cum de ſacra communione loqueretur.

Quæ hic habentur, cum Tractatu de ariditate ſpirituali quem in ſecunda parte reperies, conferre potes ˥ & utrumque ſimul jungendo : habebis unde ad animi fiduciam valeas animari, quando in hujuſmodi ſtatum incideris. Verum cùm præſens lectio ad univerſas difficultates ſuperandas animum excitet ˥ in ſequentibus reperies : quâ ratione cum hoſtibus actu ſit tibi congrediendum.

LECTIO QUADRAGESIMA TERTIA.

De filiorum hujus ſeculi ſermonibus & oblocutionibus non curandis ; & de animoſa perſiſtentia contra difficultates. Quid de vanis hominum judiciis ſentiendum ſit ; & in quibus firma pax cordis & verus profectus conſiſtant.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

T*Unc accedentes diſcipuli ejus, dixerunt ei ˥ ſcis quia phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt ? At ille reſpondens ait ˥ omnis plantatio,*

quam non plantavit pater meus cæleſtis : eradicabitur. Sinite illos : cæci ſunt & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet : ambo in foveam cadunt. Matt. cap. 15. verſ. 12.

Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei ⁊ ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere : quia ſpiritualiter examinatur. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 2. verſ. 14.

Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem : ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis ; adverſus peccatum repugnantes. Epiſt, ac Hebræ. cap. 12. verſ. 3.

Mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die : ſed neque me ipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum : ſed non in hoc juſtificatus ſum : qui autem me judicat, Dominus eſt. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 4. verſ. 3.

Hæc ſacræ Scripturæ verba te docent. 1. Quid ab hominum judicio ſit expectandum : & qualiter ſe circa illud habere debeas. 2. Animum contradictionibus non modò non dejciendum : ſed potius erigendum. Hæc uterque magiſter ſtatim latè explicaturus eſt; quo tentationes animoſiùs impugnare, omnéſque vitæ difficultates vincere edocearis.

Filiorum hujus ſæculi ſermones & obloquia curanda non ſunt. lib. 4. Introduct. cap. 1.

STatim ac mundani homines percipient, te vitæ devotæ velle inſiſtere ⁊ mille in te calumniarum & obloquiorum tela evibrabunt, qui inter eos peſſimi erunt ⁊ tuum vitæ morumque mutationem hypocriſcos, ſuperſtitionis & ſimulationis inſimulabunt dicentes: malè te a mundo exceptum fuiſſe. Ideòque indignabundam te, quaſi ab eo repulſam paſſam & vilipenſam : ad Deum recurrere. Amici verò tui multas tibi admonitiones prudentes & ex charitate depromptas, (prout quidem ipſis apparebit) facere ſatagent ⁊ incides (inquient) in humorem aliquem melancholicum ⁊ tuæ apud homines auctoritati multùm decedet ⁊ aliis te exoſam & intolerabilem reddes ⁊ negotia tua domeſtica aliquod hinc detrimentum accipient ⁊ in mundo vivendum eſt, ſicut in eo vulgò vivitur ⁊ ſuam quis ſalutem ſine tot myſteriis & cæremoniis operari poteſt : & aliæ ſexcentæ hujuſmodi næniæ aniles. [*Hominum obloquia, eorúmque cenſuram hîc proponit tanquam primos pietatis oppugnatores, ut contra damnoſum ac famoſum hoc verbum,* Quid dicetur, *arma ſuppeditet. Quot enim omittuntur bona, quot ſinuntur ſerpere & creſcere mala, hujuſcemodi cenſuræ metu?*]

Omnia hæc cara mea Philothea, meræ ſunt inania & futilia : nullam hi aut ſanitatis, aut rerum tuarum curam (ut præferunt) habent. *Si de*

mundo fuiſſetis, inquit Redemptor, *mundus quod ſuum eſt diligeret: ſed quia de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.* Vidimus plures utriuſque ſexûs nobiles ſæpè integram noctem, quin & multas continuò noctes luſui ſchachorum aut chartarum conſumere ⁊ dari'ne tamen attentio & occupatio aliqua magis melancholica & moroſa poteſt, quâm hæc? mundani tamen verbum contra hanc non loquebantur: amici ſe propterà non torquebant. Quod verò hora unâ meditationi inſiſtamus ⁊ quod paulò nos maturiùs ſolito lecto ſurgentes videant, quò ad ſacram nos communionem præparemus ⁊ ad medicum curritur: ab humore melancholico, & aurigine nos curari volunt. Multas quis noctes tripudiando & choreas ducendo inſumpſerit, & de labore non queritur ⁊ quod ſi ſemel noctem natalis Domini inſomnem duxerit: poſtridiè præ raucedine tuſſit, & ventrem ſibi dolere queritur. Quis non videat, mundum iniquum eſſe judicem ⁊ ſuis faventem & propitium ⁊ at erga filios Dei immitem & rigidum?

Benè nobis cum mundo non conveniet: niſi unà cum ipſo nos perdamus. Satis illi facere aut placere per omnia non poſſumus: nimis enim varius & inconſtans eſt. *Venit Ioannes*, ait Dominus, *neque manducans, neque bibens ⁊ & dicunt, Dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens ⁊ & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini.* Sanè Philothea, ſi ex indulgentia quadam unà cum mundo rideamus, ludamus, choreas ducamus: offendetur & ſcandalizabitur. Si renuamus: hypocriſeos nos inſimulabit vel melancholiæ. Si corpus paulò elegantius ornemus: ad aliquem id finem & intentionem fieri exiſtimabit. Si de ornatu nonnihil remittamus: è vilitate animi id proficiſci dicet. Hilaritatem noſtram diſſolutionis cenſebit nomine; mortificationes, triſtitiarum & moroſitatis. Itaque cùm tam maligno & livido nos oculo ſemper aſpiciat: nunquam ei complacere poſſumus. Imperfectiones quoque noſtras nunquam non exaggerat ⁊ & eas jactat peccata eſſe; peccata noſtra venialia ait eſſe mortalia ⁊ & quæ ex infirmitate committimus: è malitiâ facta. Cúmque, teſte Apoſtolo, *charitas benigna ſit*: mundus vice versâ malignus eſt. Cum illa *non cogitet malum* ⁊ hic è contrario ſemper malum cogitat: &, dum nihil habet quod in actionibus noſtris carpat, noſtras carpit intentiones. Sive oves cornua habeant, ſive non habeant ⁊ ſive albæ eæ ſint, ſive nigræ: non idcircò ab iis vorandis lupus abſtinebit. *Quæcumque hic ſecularibus dicuntur: plurimùm conferunt ad judicij mundanorum hominum iniquitatem & cæcitatem detegendam & penitiùs agnoſcendam.*]

Quicquid demum facimus, ſemper nos mundus infeſtabit & carpet; ſi diu cum confeſſario hæreamus ⁊ petet ecquidnam ei tamdiu dicendum habeamus? ſi ſtatim confeſſionem abſolverimus ⁊ dicet nos eam rectè non inſtituiſſe: ſed peccata nonnulla confiteri neglexiſſe. Omnes noſtros explorabit motus ⁊ & vel ob unum verbum ex iracundia acer-

biûs prolatum: dicet nos in converſatione intolerabiles eſſe; rerum noſtrarum cura & diligentia, illi videbitur cupiditas, benignitas noſtra: ſtultitia. Filiorum verò ſæculi hujus iræ, ipſis ſunt generoſi animi jndicia, illorum avaritiæ, gnavitates: liberæ converſationes cum diverſo ſexu, honeſta colloquia & familiaritates. Sic ſemper araneæ apum opera deſtruunt.

Sinamus hunc cæcum clamare, Philothea, tantùm quantùm volet, occlamet noctuæ adinſtar, adavium de die volitantium quietem interturbandam; nos in noſtro propoſito ſolidi & conſtantes ſimus, in propoſitis noſtris invariabiles. Perſeverantia enim oſtendet; num verè & ſincerè Deo nos & vitæ devotæ applicuerimus. Cometæ & planetæ penè æquè luminoſi ſunt, ut quidem apparet, ſed cometæ paulò pòſt evaneſcunt,cùm nonniſi ignes quidam tranſitorij ſint;planetæ verò perpetuâ claritate collucent. Eodem modo hypocriſis & vera virtus valdè inter ſe quoad exteriora, ſimiles ſunt: ſed facilè eſt unam ab alia dignoſcere, eò quod hypocriſis non durat, & fumi inſtar ſurſum evaporantis diſſipatur; at vera virtus ſemper firma & conſtans eſt. Optima ratio, ad devotionis noſtræ principium benè confirmandum & tutum reddendum, eſt exptobrantium & calumniantium linguis proſcindi: hac ratione namque extra vanitatis & ſuperbiendi periculum ſumus. Hæ quippè ſunt velut obſtetrices Ægypti, quibus tartareus Pharao præcepit: ut maſculas Iſraelitis proles, eo ipſo quo naſcerentur die, occiderent & ſuffocarent. Nos mundo crucifixi ſumus, & nobis mundus viciſſim crucifigi debet: ipſe nos ut ſtultos reputat, nos viciſſim eum ut inſipientem reputemus.

Inter difficultates animosè perſiſtendum. Ibidem cap. 2.

LUmen, quantumvis pulchrum, oculis pergratum & optabile, eoſdem tamen aliquando perſtringit: præſertim cùm diu tenebroſo in loco egimus. Sicuti etiam antequam cum incolis loci alicujus, quantumlibet ii humani & affabiles ſint, familiaritatem contraxerimus; neſcio quam in nobis ipſis pavorem ſentimus. Ad eumdem modum fieri, mea Philothea, pòteſt, ut, cùmprimum vitam tuam mutare incipies: multi in anima tua turbines & inquietudines exoriantur. Et magna illa & generalis repudiatio quâ univerſis mundi ineptiis ſimul & ſemel vale dixiſti: aliquo te modo contriſtet, animúmque dejiciat. [*Sanctus hic magiſter humani cordis propenſiones ac motus ad fundum uſque noverat, queque ita perſpicuè hîc explicat ad tui ipſius cognitionem facilè conſequendam plurimum conferre poſſunt: ac inde magnum emolumentum referre.*] Quod ſi tibi hoc contingat, habe, quæſo, patientiam: nihil enim aliud eſt quam modicus quidam ſtupor quem ipſa tibi novitas parit. Hæc ubi tranſierit; mille conſolationibus perfunderis. Principio forſan

grave tibi erit gloriam illam repudiare & relinquere, quàm à fatuis & vanis adulatoribus in tua vanitate percipiebas ! ſed quid ? Æternámne velles perdere, quam tibi Deus dabit in veritate ? Vanæ recreationes & oblectamenta, in quibus præteritos vitæ tuæ annos impendiſti, animo tuo adhuc occurrent:ad ipſum alliciendum & ſuas in partes pertrahendum. Sed quid ? audebisne beatam illam relinquere æternitatem, ut fallacibus hiſce levitatibus te oblectes ? crede mihi, ſi modò perſeveres, mox quasdam dulcedines & gaudia ſenties, adeò delicioſa & jucunda, ut dictura ſis, mundum præ illis hujus comparatione & intuitu, nonniſi merum fel habere ! & unam devotionis diem : millenis vitæ mundanæ annis meliorem & optabiliorem eſſe.

Sed perfectionis Chriſtianæ montem valdè altum eſſe vides ! quomodo, Deus bone, inquis, illum potero conſcendere ? Sume animum Philothea ! cùm apum fœtus primum formari incipiunt, vocantur nymphæ, & tum adeò exiguæ ſunt: ut nec ad flores, nec montes, nec colles vicinos volare poſſint. Sed paulatim melle, quod matres ipſarum confecère, enutritæ ! nymphulæ hæ acquirunt alas, itáque corroborantur: ut poſteà per loca vicina ad mella colligenda una cum matribus evolent. In devotione fateor, adhuc ceu parvæ apiculæ ſumus ! & prout quidem deſiderium noſtrum eſt (quod certè non eſt minus, quàm ad ipſum perfectionis Chriſtianæ apicem & culmen pertingere) : aſcendere & evolare non poſſemus. At ſi per bona deſideria & propoſita noſtra formam quamdam capere incipiamus : alæ nobis excreſcere incipiunt. Speremus itaque ſpirituales nos aliquando apes fore: nóſque evolaturos. Interim verò, melle ſpiritualium conſiliorum & documentorum quæ priſci devoti & Aſcetæ nobis tradidère: victitemus. Deúmque rogemus ut det nobis pennas ſicut columbæ: ut non ſolùm in vitæ hujus tempore volemus: verùm etiam in futura æternitate requieſcamus.

Ratione tuâ ſic diſpoſitâ & propoſitis per iſta documenta obfirmatis à ſecundo doctore auditurus es : qualiter in praxim redigenda ſint, & cum pace & tranquillitate bellum ſpirituale gerere debeas.

Contra vana hominum judicia lib. 3. de Imitatione. cap. 36.

FIlli jactacor tuum firmiter in Domino ! & humanum ne metuas judicium; ubi te conſcientia purum reddit & inſontem. Bonum eſt & beatum taliter pati; neque hoc erit grave humili cordi, & Deo magis quàm ſibi ipſi confidenti. Multi multa loquuntur, & ideò parva fides ei eſt adhibenda. Sed & omnibus ſatis eſſe, non eſt poſſibile. Etſi Paulus omnibus ſtuduit in Domino placere ! & omnibus omnia factus,

eſt : tamen etiam pro minimo duxit, quòd ab humano die judicatus fuerit.

2. Egit ſatis pro aliorum ædificatione ac ſalute quantùm in ſe erat & poterat ; ſed ne ab aliis aliquando judicaretur, vel deſpiceretur: cohibere non potuit. Ideò totum Deo commiſit, qui totum noverat ; & patientia ac humilitate contra ora loquentium iniqua, aut etiam vana ac mendoſa cogitantium, atque pro libitu ſuo quæque jactantium; ſe defendit. Reſpondit tamen interdum; ne infirmis ex ſua taciturnitate generaretur ſcandalum.

3. *Quis tu, ut timeas à mortali homine?* Hodie eſt, & cras non comparet. Deum time; & hominum terrores non expaveſces. Quid poteſt aliquis in te verbis aut injuriis? Sibi potiùs nocet quàm tibi: nec poterit judicium Dei effugere quicumque eſt ille. Tu habe Deum præ oculis; & noli contendere verbis queruloſis. Quòd ſi ad præſens tu videris ſuccumbere atque confuſionem pati, quam non meruiſti ; ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam; ſed potiùs ad me reſpice in cælum, qui potens ſum eripere ab omni confuſione & injuria, *& uniquique reddere ſecundùm opera ſua.* Iſa. 51. 12. Ro. 2. 6.

In quibus firma pax cordis & verus profectus conſiſtit. Ibidem. cap. 25.

Salvator.

1. Filii ego locutus ſum: *Pacem meam relinquo vobis ; pacem meam do vobis: non quomodò mundus dat, ego do vobis.* Pacem omnes deſiderant ; ſed quæ ad veram pacem pertinent; non omnes curant. Pax mea cum humilibus & manſuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. Si me audieris, & vocem meam ſecutus fueris; poteris multa pace frui. Io. 14. 27.

Discipulus.

Quid igitur faciam?

Salvator.

In omni re attende tibi quid facias, & quid dicas ; & omnem intentionem tuam dirige ad hoc, ut mihi ſoli placeas; & extra me nihil cupias vel quæras. Sed & de aliorum dictis vel factis nihil temerè judices ; nec cum rebus tibi non commiſſis te implices, & poterit fieri ut parum vel rarò turberis.

2. Nunquam autem ſentire aliquam turbationem, nec aliquam pati cordis vel corporis moleſtiam ; non eſt præſentis temporis, ſed ſtatûs æternæ quietis. Non ergo æſtimes te veram pacem inveniſſe, ſi nullam ſenſeris gravitatem ; nec tunc totum eſſe bonum, ſi neminem patiaris adverſarium; nec hoc eſſe perfectum, ſi cuncta fiant ſecun-

dum tuum affectum. Neque tunc aliquid magni te reputes, aut ſpecialiter dilectum æſtimes, ſi in magna fueris devotione aut dulcedine; quia in iſtis non cognoſcitur verus amator virtutis; nec in iſtis conſiſtit profectus & perfectio hominis.

DISCIPULUS.

3. In quo ergò Domine?

SALVATOR.

In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo quæ tua ſunt, nec in parvo, nec in magno; nec in tempore, nec in æternitate: ita ut una & æquali facie in gratiarum actione permaneas inter proſpera & contraria, omnia æquâ lance penſandò. [*Hæc intellige ſecundum interiorem hominem: illiuſque rationem ac propoſitum.*] Si fueris tam fortis & longanimis in ſpe, ut ſubtractâ interiori conſolatione, etiam ad ampliora ſuſtinenda cor tuum præparaveris; nec te juſtificaveris, quaſi hæc tantáque pati non deberes; ſed me in omnibus diſpoſitionibus meis juſtificaveris, & ſanctum laudaveris; tunc in vera & recta via pacis ambulabis [*Hîc videre licet ariditatis rectè toleratæ effectus mirabiles.*] Et ſpes indubitata erit; quòd rurſus in jubilo faciem meam ſis viſurus. Quòd ſi ad plenum tuiipſius contemptum perveneris; ſcito quòd tunc abundantia pacis perfruêris ſecundùm poſſibilitatem tui incolatûs.

LECTIO QUADRAGESIMA QUARTA.

De tentationum natura: & quod ſit inter tentationem ſentire, & ei conſentire diſcrimen. De adverſitatis vtilitate: & de modo reſiſtendi tentationibus.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

I*Nvenio igitur legem, volenti mihi facere bonum: quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Epiſt. ad Rom. cap. 7. verſ. 21.

Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ: qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me, & dixit mihi; ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis: ut inhabitet in me virtus Chriſti. Epiſt. 2. ad Cor. cap. 12. verſ. 7.

Non

Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ; ut miſericordiam conſequamur: & inveniamus gratiam in auxilio opportuno. Epiſt. ad Hebræ. cap. 4. verſ. 15.

In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus: potens eſt & is, qui tentatur, auxiliari. Epiſt. ad Hebræ. cap. 2. verſ. 18.

De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. . . . quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum: contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Proptereà accipite armaturam Dei; ut poſſitis reſiſtere in die malo: & in omnibus perfecti ſtare. State ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate; & induti loricam juſtitiæ: & calceati pedes in præparatione Evangelij pacis; in omnibus ſumentes ſcutum fidei; in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus; quod eſt verbum Dei. Epiſt. ad Epheſ. cap. 6. verſ. 10.

Hæc ſacri textûs verba, ſatis tibi oſtendunt tentationem ab omnibus eſſe neceſſariò ſuſtinendam; & quo fine Deus eam accidere permittat. Magiſtri exemplum ad ipſius imitationem, & ad arma ſpiritualia induenda diſcipulos debet accendere. Sed ad actualem pugnam uterque doctor in ſequentibus te inſtruet; hoſtes, eorúmque dolos aperiet: & ad arma tractanda accuratè erudiet.

De tentationum natura, & quod ſit inter tentationem ſentire & ei conſentire diſcrimen. lib. 4. Introduct. cap. 5.

Cogitatione tibi finge, Philothea, juvenculam aliquam Principem, ſponſo ſuò & marito Principi percaram; & ſimul imaginare, ſceleſtum aliquem, quò eam ad ſecum adulterandum, thorumque nuptialem violandum invitet: infamem aliquem amoris internuntium, qui fœdam illius intentionem novæ nuptæ communicet, mittere. Primò itaque pararius hic domini ſui amorem Principi aperit; ſecundò, in illa petitione propoſitionéque ſibi complacet, aut diſplicet: tertiò, conſenſum ei præbet, aut prorſus diſſentit. Conſimili ratione, diabolus, mundus, caro, animæ filio Dei deſponſatæ, varias tentationes & ſuggeſtiones ingerunt: quibus primò, peccatum ei proponitur. Secundò, illa in eo delectationem ſentit aut diſplicentiam; tertiò, conſentit eidem aut diſſentit: qui ſunt tres illi gradus, quibus ad peccandum deſcenditur, tentatio videlicet, delectatio, & conſenſus. Et licet tres hæ actiones non tam apertè in omnibus peccatis percipiantur & uſu veniant: palpabiliter tamen & manifeſtè in magnis atque atrocibus peccatis eas videre eſt.

Tametſi tentatio ad aliquod peccatum quodcunque id ſit, committendum,toto vitæ noſtræ duraret tempore ; non ipſa propterea nos divinæ Majeſtatis inviſos diſplicentéſque redderet ; dummodò ipſa nobis non placeat,nec conſenſum ei ullum præſtemus.Ratio eſt, quod in tentatione non tam agamus,quam patiamur ; cumque nullam in ea delectationem ſentimus: hinc nullam ex ea contrahere culpam aut reatum poſſumus, S. Paulus diuturnas admodum tentationes & ſtimulos carnis paſſus eſt, ſed ideò propter eas Domino non diſplicuit : ut Deus è contra etiam inde fuerit glorificatus. Beata Angela de Foliniaco tam atroces & acres libidinis tentationes experta eſt : ut, dum eas deſcribit, legentibus commiſerationem ſui moveat. Ingentes quoque fuêre tentationes, quas olim SS. Benedictus & Franciſcus ſensêre, cùm ad eas effugandas aut ſuperandas, ille ſe in ſpinetum, hic in denſiſſimam nivem abjecit ; neque propter illas vel minimum divina gratia exciderunt: quin imò multum eam inde adauxerunt.

In tentationibus ergò animo non eſt deſpondendum Philothea ; neque arma tibi ut victæ abjicienda, quamdiu illæ tibi diſplicebunt : ſed nôris magnam eſſe differentiam inter tentationes ſentire, & iis conſentire.Etenim ſentire eas poſſumus,licet nobis diſpliceant ; ſed conſentire non poſſumus, niſi placuerint: cùm placentia & delectatio velut gradus ſit ad iis conſentiendum, Tot egò ſalutis noſtræ inimici nobis illecebras oggerant, quot cupient ; ſemper ad cordis noſtri januam, quò aditum in ipſum inveniant,vigilent ; quaſcumque volent nobis propoſitiones ſuggerant ; quamdiu firmiter proponemus nullam ex omnibus illis haurire oblectationem : Deum nullatenus offendere poſſumus. Sicuti Princeps, Principis illius quàm dixi maritus indignari & ſuccenſere ei ob miſſum ei nuntium nequit; ſi nullum omninò ex eo ipſa oblectationem vel complacentiam ſenſit. Hæc tamen inter animam, & Principem illam diſcrimen eſt, quòd hæc Princeps fœmina, inhoneſta illa propoſitione audita, nuntium, ſi velit, abigere, & non amplius ei auſcultare poſſit ; at, non ſemper in animæ poteſtate ſitum ſit : tentationem non ſentire, licet ſemper ſit, non conſentire. Quamobrem tametſi tentatio diu duret & perſeveret ; nullam ea nobis inferre noxam poteſt : quamdiu nobis diſplicet.

Sed quod ad delectationem, quæ poſt tentationem ſequi poteſt, attinet ; cùm duas anima noſtra partes habeat,inferiorem unam alteram ſuperiorem ; & inferior non ſemper ſuperioris arbitrium impulſumque ſequatur, ſed proprium : hinc ſæpè contingit,ut pars inferior in tentatione ſe oblectet, ſuperiore invitâ & refragante : hæc eſt illa pugna & digladiatio, quàm Apoſtolus Paulus deſcribit,dum carnem ſuam ait concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritum adverſus carnem ; & eſſe legem quamdam membrorum, & legem aliam ſpiritûs : & alia hujuſmodi.

Vidiſtíne aliquando, Philothea, multas favillas & carbones cineribus coopertos; ſi quis poſt decem aut duodecim horas veniat ignem inde habiturus: nonniſi paucas aliquas in medio foci, & quidem difficilè admodum, ſcintillas reperiet. Sunt tamen, quæ inveniúntur; & per eas reliqui carbones jam, extincti rurſus accendi poſſunt. Eodem modo ſe res habet in charitate: quæ inter ingentes & vehementes tentationes ignis noſter ſpiritualis eſt. Tentatio quippè in partem animæ inferiorem delectationem ſuam immittens; animam quanta quanta eſt, cineribus obtegere videtur: divinumque amorem quaſi extinctum reddit: neque enim is uſquam quàm in cordis & mentis intimo apparet: imò nequidem ibi videtur eſſe, adeóque vix inveniri poteſt. Verè tamen ibi eſt, cùm, tametſi omnia in anima & corpore noſtro turbata ſint: propoſitum firmum habeamus nec peccato, nec tentationi conſentiendi; & delectatio, quæ homini noſtro exteriori placet, interiori diſpliceat: quæ licet circum voluntatem noſtram oberret & verſetur, in ea tamen non eſt. Unde liquet, delectationem hanc involuntariam eſſe; & cùm talis ſit: nullum peccatum involuere.

Duo inſignia, quoad hoc, referuntur exempla. Ibidem. cap. 4.

TAnti tua refert, Philothea, hoc pro ut oportet intelligere; ut in eo explicando uberior eſſe, méque diffundere: grave non ſim ductus. An non Adoleſcens ille, cujus ſanctus Hieronymus meminit, dum ſericis vinculis quàm molliſſimè molli in lectulo ſupinus conſtrictus, diverſis laſcivis contactibus & illiciis, à procaci quadam muliercula, eodem ſecum in lecto duntaxat ad illius conſtantiam & caſtitatem labefactandam, cubante, ad libidinem & nefas provocaretur; horrendos quoſdam carnis ſtimulos ſentire debebat; num ſenſus illius miro quodam modo à delectatione titillari; & imaginatio illius à præſenti hac voluptatum materia & illecebra impeti ac occupari? Haud dubiè. Nihilominus tot inter inſultus; in tam horrenda tentationum procella; & tot inter voluptates, à quibus undequaque obſidebatur & premebatur: oſtendit cor ſuum nullatenus ſubactum eſſe, nec voluntatem iis conſentire. Nam carnem rebellantem prælium ſibi movere; nulliúſque omninò membri corporis ſui, præterquam linguæ, liberum uſum ſibi videns relictum eſſe: dentibus ſuis ſibi eam præſecat, & in faciem ejus exſpuit, à qua anima ipſius longè violentius per voluptatum illecebras oppugnabatur; quàm ſuis carnifices tormentis eam unquam impetere potuiſſent. Unde etiam tyrannus, qui ſuis illam ſuppliciis ac cruciatibus expugnari poſſe diffidebat; his eam credebat voluptatibus haud dubiè ceſſuram.

Conſimili in re admirabile ſanè fuit certamen ſanctæ Catharinæ Senenſis: quod hîc tibi paucis deſcribam. Spiritus nequam diabolus poteſtatem à Deo accepit ſanctæ hujus Virginis pudicitiam, quàm poterat intenſiſſimè acerrimèque oppugnandi: eâ tamen conditione ut ipſam non contingeret. Itaque omnes, quas potuit, impudicas ſuggeſtiones & cogitationes cordi illius immiſit; quoque eam magis ad laſciviam commoveret: multis ſecum ſociis aſſumptis, qui virorum juxta ac fœminarum formam induerant, varia operum carnalium genera & geſtus illius ante oculos edebat. Addebat præterea inhoneſtiſſima verba & compellationes ac provocationes; quæ omnia licet exteriora eſſent, tamen mediantibus ſenſibus profundè ſe in cor & animum virginis puriſſimæ inſinuabant; quod, uti ipſamet confitebatur, iis pleniſſimum erat: nulla ut in ea, unica excepta pura voluntate ſuperiore, eſſet pars; quæ ab hac turpitudinis & delectationis carnalis tempeſtate non exagitaretur. Quod certè ſatis diu durabat; uſque dum quodam die Redemptor Jeſus illi ſe ſpectandum dedit. Cui illa, ubi eras, inquit, dulciſſime Domine; cùm cor meum tot tenebris & ſordibus obſitum erat? Tum Dominus, intra cor tuum eram, filia. Et illa; Quomodo in corde meo habitabas, quod tot ſpurcitiis & fœditatibus ſcatebat? habitaſne ergò in locis adeò turpibus & impuris? Petiit tum ab ea Dominus; Dic mihi, ſpurcæ illæ cordis tui cogitationes placebántne tibi, an diſplicebant? tædiúmne tibi pariebant, an delectationem? Reſpondit Catharina: imò ſummam quamdam amaritudinem & triſtitiam. Rogat tum Dominus, quis magnam hanc amaritudinem & triſtitiam cordi tuo indebat, niſi ego, qui in animæ tuæ medio abſconditus latebam? crede mihi, filia, niſi ego fuiſſem præſens; certè cogitationes illæ quæ circum voluntatem tuam errabant, eam expugnare poterant; ipſamque indubiè expugnaſſent; ſe introrſum inſinuaſſent; cum delectatione quadam à libero tuo arbitrio admiſſæ fuiſſent: itáque animæ tuæ mortem intuliſſent. Sed quia ego intùs agebam; hinc illam diſplicentiam & reſiſtentiam in corde tuo excitabam: quà fiebat, ut, quàm poterat intenſiſſimè, tentationi reſiſteret. Quod verò non poſſet tantùm quantùm volebat; hinc majorem diſplicentiam & odium tam contra illam, quam contra ſeipſum concipiebat: undè moleſtiæ illæ, magni tibi meriti & lucri ſpiritualis fuêre materia, & inſigne virtutis & roboris tui incrementum.

Viden, Philothea, quomodo ignis hic ſub cineribus latuerit, & tentatio ac delectatio ipſum cor ejus occupaſſent, & voluntatem etiam obſediſſent; quæ à Salvatore ſuo adjuta, per triſtitias, & mali ſibi ſuggeſti deteſtationem reſiſtebat: aſſiduè peccato, à quo circumdabatur, conſentire detrectans. Ah, quantam Deum diligens anima amaritudinem & tædium ſentit, quod vel neſciat num Deus intra ſe ſit, an non? & num amor divinus, pro quo illa decertat, planè in ſe exſtinctus ſit, nec

ne? ſed nôris, præcipuam eſſe amoris cœleſtis perfectionem, quaamantem ex ſolo amore pati & pugnare faciat: ita ut neſciat utrum amorem habeat, pro quo & per quem pugnat.

De vtilitate adverſitatis. lib. 1. *de Imitatione. cap.* 12.

1. BOnum eſt nobis quòd habeamus aliquando gravitates aliquas & contrarietates: quia ſæpe hominem ad cor revocant; quatenùs ſe in exilio eſſe cognoſcat, nec ſpem ſuam in aliqua re mundi ponat. Bonum eſt nobis quòd patiamur quandoque contradictores: & quòd malè atque imperfectè de nobis ſentiatur; etiam ſi bene agimus & intendimus. Iſta ſæpe juvant ad humilitatem; & à vana gloria nos defendunt. Tunc enim meliùs interiorem teſtem Deum quærimus; quando foris vilipendimur ab omnibus, & non bene de nobis creditur.

2. Ideò deberet ſe homo in Deo totaliter firmare; ut non eſſet ei neceſſe multas humanas conſolationes quærere. Quando homo bonæ voluntatis tribulatur, vel tentatur, aut malis cogitationibus affligitur: tunc Deum ſibi neceſſarium magis intelligit; ſine quo nihil boni ſe poſſe deprehendit. Tunc etiam triſtatur, gemit & orat pro miſeriis quas patitur. Tunc tædet eum diutius vivere, & mortem optat venire: ut poſſit diſſolvi & cum Chriſto eſſe. Tunc enim bene advertit, perfectam ſecuritatem & plenam pacem in mundo non poſſe conſtare.

De tentationibus reſiſtendis. Ibidem. cap. 13.

1. QUamdiu in mundo vivimus ſine tribulatione ac tentatione eſſe non poſſumus. Unde in Job ſcriptum eſt: *Tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* Ideò unuſquiſque ſollicitus eſſe deberet circa tentationes ſuas, & vigilare in orationibus: ne diabolus locum inveniret decipiendi; qui nunquam dormitat, ſed *circuit quærens quem devoret.* *Iob.* 7. 1.
Nemo tam perfectus eſt & ſanctus, qui non habeat aliquando tentationes; & plenè illis carere non poſſumus.

2. Sunt tamen tentationes homini ſæpè valde utiles, licet moleſtæ ſint & graves; quia in iis homo humiliatur, purgatur & eruditur. *1.Pet.* 5 8.
Omnes Sancti per multas tribulationes & tentationes tranſierunt? & qui bene tentationes ſuſtinere nequiverunt; reprobi facti ſunt & defecerunt. Non eſt aliquis Ordo tam ſanctus, nec locus tam ſecretus; ubi non ſint tentationes, vel adverſitates.

3. Non eſt homo ſecurus à tentationibus totaliter quamdiu vixerit: quia in nobis eſt unde tentamur; ex quo in concupiſcentia nati ſumus. Una tentatione, ſeu tribulatione recedente, alia ſupervenit: & ſemper ad patiendum aliquid habebimus: nam bonum felicitatis noſtræ perdidimus. Multi quærunt tentationes fugere; & graviùs incidunt in eas.

Per ſolam fugam non poſſumus vincere; ſed per patientiam & veram humilitatem omnibus hoſtibus efficimur fortiores.

4. Qui tantummodò exteriùs declinat, nec radicem evellit, parum proficiet; immò citiùs tentationes ad eum accedent, & peius ſentiet. Paulatim, & per patientiam cum longanimitate, Deo juvante, meliùs ſuperabis; quàm cum duritia & importunitate propria. Sæpius accipe conſilium in tentationibus, & cum tentato noli duriùs agere: ſed conſolationem ingere, ſicut tibi optares fieri.

5. Initium omnium malarum tentationum inconſtantia eſt animi; & parva ad Deum confidentia. Quia ſicut navis ſine gubernaculo hinc & inde à fluctibus impellitur; ita homo remiſſus, & ſuum propoſitum de-

Eccl. 31 31. ſerens, variè tentatur. *Ignis probat ferrum*; *tentatio hominem juſtum* Neſcimus ſæpe quid poſſimus; ſed tentatio aperit quid ſimus. Vigilandum tamen eſt præcipuè circa initium tentationis, quia tunc faciliùs hoſtis vincitur, ſi oſtium mentis nullatenus intrare ſinitur: ſed extra limen ſtatim ut pulſaverit, illi obviatur. Unde quidam dixit:

Ovid lib 1 de remed. amo.

Principiis obſta, ſerò medicina paratur;
Cùm mala per longas invaluere moras.

Nam primò occurrit menti ſimplex cogitatio, deinde fortis imaginatio; poſteà delectatio, & motus pravus, & aſſenſio. Sicque paulatim ingreditur hoſtis malignus ex toto; dum illi non reſiſtitur in principio. Et quantò diutiùs ad reſiſtendum quis torpuerit, tantò in ſe quotidie debilior fit; & hoſtis contra eum potentior.

6 Quidam in principio converſionis ſuæ graviores tentationes patiuntur: quidam autem in fine. Quidam verò quaſi per totam vitam ſuam malè habent. Nonnulli ſatis leviter tentantur ſecundùm divinæ ordinationis ſapientiam & æquitatem; quæ ſtatum & merita hominum penſat, & cuncta ad Electorum ſuorum ſalutem præordinat.

7. Ideò non debemus deſperare cùm tentamur, ſed eò ferventiùs Deum exorare, quatenus dignetur in omni tribulatione nos adjuvare:

1. Cor 10. 13. qui utique ſecundùm dictum Sancti Pauli, *Talem faciet cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere*. *Humiliemus* ergò *animas noſtras ſub potenti manu Dei* in omni tentatione & tribulatione; quia, *humiles ſpiritu ſalvabit, & exaltabit.*

Iudit. 8. 16. 1. Pet. 5 6. Pſ 33. 19.

8. In tentationibus & tribulationibus probatur homo quantum profecerit, & majus meritum ibi exiſtit; & virtus meliùs pateſcit. Nec magnum eſt, ſi homo devotus ſit & fervidus cùm gravitatem non ſentit, ſed, ſi tempore adverſitatis patienter ſuſtinet; ſpes magni profectûs erit. Quidam à magnis tentationibus cuſtodiuntur, & in parvis quotidianis ſæpe vincuntur: ut humiliati nunquam de ſe ipſis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur.

Eximiis iſtis amborum magiſtrorum documentis nihil addendum ſupereſt, quicquid enim de tentatione dicendum & ſciendum eſt: hîc breviter ac ſolidè

tradunt. Quibus ſi tractatum de modo ritè ſe gerendi in tentationibus quem habes 2. parte hujus operis, contuleris: his ampliùs non requiras.

LECTIO QUADRAGESIMA QUINTA.

Anima in tentionibus poſita animatur. Qualiter tentatio & delectatio peccatum conſtituunt: & de paucitate amatorum crucis Ieſu. Quòd nemo in hac vita à tentatione ſit liber; & de conſideratione humanæ miſeriæ.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

B*Eatus vir qui ſuffert tentationem ⁊ quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ: quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Epiſt. Jacobi. cap. 1. verſ. 12.

Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuprà id quod poteſtis ⁊ ſed etiam faciet cum tentatione proventum: ut poſſitis ſuſtinere. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 10. verſ. 13.

Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit ⁊ parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem. Epiſt. Jacobi. cap. 1. verſ. 14.

Exindè cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Ieroſolymam ⁊ & multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occîdi: & tertia die reſurgere. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens ⁊ abſit à te, Domine: non erit tibi hoc. Qui converſus, dixit Petro ⁊ vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ bominum. Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis ⁊ ſi quis vult venire poſt me: abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matt. cap. 16. verſ. 21.

Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu: ut tentaretur à Diabolo. Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: poſteà eſuriit. Matt. cap. 4. verſ. 1.

Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati ⁊ eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri: ut abſorbeatur quod mortale eſt, à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus: qui dedit nobis pignus ſpiritus. Audentes igitur ſemper, & ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Epiſt. 2. ad Cor. cap. 5. verſ. 4.

His Sacræ Scripturæ verbis multùm animari debes ⁊ quandoquidem beatitudinem, Dei auxilium ac benevolentiam iis qui in tentatione

fideles fuerint, repromittunt: & è contra Chriſtus eos qui labores & crucem ferre renuunt, longiùs à ſe repellit. Chriſto autem in carne paſſo & tentato quis à tentatione immunis eſſe prætendat? Attentis ergò hujus vitæ miſeriis; ſtrenui & generoſi militis adinſtar certare potius eligas, ac vitam ducere inter labores ſuperatos; quam ſub paſſionum jugo, otio & inertia diſſolui. Utriuſque Doctoris conſilia ex de re ſtudioſiùs auſculta.

Anima in tentationibus conſtituta animatur. lib. 4. Introduct. cap. 5

EXtraordinarias has impugnationes, & vehementes has tentationes, nullis Deus animabus immitti permittit, Philothea; quàm iis, quas ad purum & excellentem amorem ſuum ſuſtollere, vult; at non propterea ſequitur, quod poſteà certa ſint ad illum ſe perventuras. Sæpenumerò enim factum, ut, qui in tam atrocibus impugnationibus conſtantes & inſuperabiles fuerant; poſteà divinæ gratiæ & favori eâ quâ oportebat fidelitate non reſpondentes: in admodum parvis tentationibus ſuccubuerint. Quod ideò dico, ut ſi fortè te contingat à magna & attroc etentatione impeti; nôris extraordinariam quamdam tibi tunc à Deo gratiam & favorem exhiberi: quò oſtendat; velle ſe in oculis ſuis illuſtrem & eminentem te reddere, ita ut ipſa nihilominus humilis & meticuloſa ſemper maneas; non ideò te parvas tentationes ſuperare poſſe certò tibi perſuadens, quod jam ante magnas ſuperâris: ſed ideò tantùm, quòd fidelem te ſemper erga Majeſtatem ipſius præbueris.

Quæcumque ergò tibi tentationes adveniunt; & quæcumque inde delectatio oriatur: nolito turbari; dummodo nullum voluntas tua tam in tentationem, quàm in delectationem conſenſum præſtet; Deus quippè nullatenus propterea offenditur. Quando quis in animi deliquium incidit, nullamque vitæ deforis ſignum dat: adſtantes manum cordi ejus admovent; cujus ſi vel minimum ſignum percipiant, ſtatim eum vivere judicant: & alicujus aquæ pretioſæ aur epithematis adminiculo vigori & ſenſibus illum poſſe reſtitui. Ita nobis nonnunquam contingit, ut anima noſtra tentationum violentia in virium ſuarum deliquium omnino incidiſſe: ipſaque veluti defecta nullum amplius motum aut vitam ſpiritualem habere videatur. At ſi ea noſſe volumus: cordi manum admoveamus. Videamus, inquam, num cor ac voluntas ſuum motum ſpiritualem adhuc habeant; id eſt, num ita prout oportet tentationibus conſenſum præſtare: & tentationem ſimul ac delectationem ſequi renuant. Quamdiù enim diſſenſus hujus motûs adhuc in corde viget; certi eſſe poſſumus charitatem animæ noſtræ vitam in nobis ſupereſſe;

& Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, tametſi rectè & abſconditè, in anima noſtra agere ; adeò ut per continuum orationis, Sacramentorum & in Deum fiduciæ exercitium viribus paulatim reſtituendi ſimus: & integrâ ac delectabili vitâ victuri.

Quomodo tentatio & delectatio poſſint eſſe peccatum. Ibidem. cap. 6.

PRinceps fœmina, cujus ſupra meminimus, ad inhoneſtam laſcivi illius amatoris ſollicitationem nihil de ſuo contulit: quandoquidem, ut præſuppoſuimus illi invitæ facta eſt. At, ſi illa è contrà per illecebras & lenocinia quædam ſollicitationis hujus occaſionem dediſſet, ad amorem pellicere illum à quo ſollicitatur, volendo ; ipſamet ſollicitationis hujus & cauſa & rea eſſet; & quantumvis obluctaretur, indignarique ſe oſtenderet, non idcircò minus & culpanda & caſtiganda foret. Ad eumdem quoque modum aliquando contingit, ut ſola nobis tentatio peccatum ſit: eò quod cauſa ipſius ſimus. Exempli cauſa ; ſi jam ante novi, me, dum ludo, ad iram concitari, & blaſphemare ſolere, & luſum ut ad ea tenter, occaſionem mihi eſſe: toties pecco, quoties ad ludendum me applico. Pari modo, ſi nôrim, converſationem aliquam mihi ſemper tentationis & lapſûs occaſionem eſſe ; nihilominus libenter & ſponte me in illam dem: omnium, quæ inde mihi orientur, tentationum cauſa ſum & occaſio. [*Nota quòd hîc loquatur de rebus quarum periculum experientia & lapſu innotuit. Enim verò ſi periculum tantùm poſſibile attenderemus ; in eas incideremus inquietudines: quæ omnium hominum conſortium, ac vitam civilem penitùs ſubverterent. Nota inſuper quòd de rebus alicujus notabilis momenti loquatur: in quibus verum exiſtit periculum. Iungit enim blaſphemiam ludo; ac tentationi lapſum.*

Quando, quæ è tentatione ſequitur delectatio, evitari poteſt ; ſemper cum peccato conjunctum eſt illam admittere: prout quæ inde capitur, delectatio & conſenſus magnus aut parvus eſt, longus aut brevis. Princeps illa, de qua locuti ſumus, æquè reprehendi meretur, ſi non modo inhoneſtæ & fœdæ propoſitioni aurem præbeat ; verùm etiam, poſtquam eam jam audivit, in eadem ſeſe oblectet: cùm recreatione quadam animi illam mente volvens & revolvens. Licet enim conſentire nolit in ejus quod ſibi propoſitum eſt executionem ; per delectationem tamen quàm inde percipit: in ſpiritualem cordis ſui applicationem conſenſum præſtat. Porro ſemper inhoneſtum & turpe eſt, rei turpi aut animum, aut corpus applicare ; inhoneſtas verò ita in animi & cordis applicatione conſiſtit: ut ſi ea deſit, ipſa corporis applicatio peccatum eſſe nequeat.

Quando ergò ad aliquod peccatum tentaberis ; conſidera & vide;

num ſtudio & ultrò occaſionem ut ad hoc tentareris, dederis : & tunc ; ipſamet tentatio peccati te rẹam facit, ob periculum videlicet in quod te ſponté conjeciſti. [*Nota hoc verbum ſponté, id eſt cum cognitione periculi & deliberatione.*] Hoc autem ita intelligendum, ſi commodé occaſionem evitare potueris ; aut te tentandam prævideris : aut prævidere potueris. At, ſi nullam tentationi occaſionem dederis : nullatenus tibi illa ad peccatum imputari poteſt.

Quando quæ tentationem ſequitur, delectatio evitari potuit, tamen evitata non fuit ; ſemper aliquod in eo peccatum admiſſum eſt, magnum aut parvum : prout multum aut parum in ea hæſimus, & prout habitæ inde delectationis cauſa eſt. Mulier, quæ licet nullam illecebroſis blandimentis cauſam dederit, his tamen gaudet deliniri ; reprehendenda haud dubié eſt, ſi delectatio, quam hinc capit, aliam cauſam non habet : quàm ipſas voluptarias blanditias. Verbi gratia, ſi amaſius ipſam ad amorem pellicere geſtiens, ſcité teſtudinem etiam pulſaret ; & ipſa non tam ſollicitatione illâ ad amorem, quàm teſtudinis illius harmonia & dulcedine delectaretur : nullum hîc peccatum ſubeſſet, non tamen diu in illa delectatione illi hærendum eſt : ne forté ab illa ad aliam quæ ex amoroſa ſollicitatione ſequitur, fiat tranſitus.

Similiter, ſi quis ſubtilem quemdam mihi injuriam ulciſcendi modum proponat ; ego verò non tam è vindicta quæ mihi proponitur, quàm ex ſola ſubtilitate artificij delectationem ſentiam, aut conſenſum dem ; nullum hic peccatum committo ; licet conſultum non ſit diù me huic delectationi inhærere : ne illa me paulatim ad aliam quæ è vindicta ſequeretur, abripiat.

Subindé contingit hominem à quadam delectationis, quæ tentationem immediaté ſequitur, titillatione occupari prius, quàm bené advertat & reflectat ; hoc, ad ſummum, nonniſi leve peccatum veniale eſſe poteſt ; quod inde majus fit : ſi, poſtquam malum, in quo verſatur, advertit, è negligentia quadam aliquantiſper cum delectatione ipſa, eáne vel admittenda vel rejicienda ſit, velut paciſcitur. Multò verò majus, ſi, dum advertit : è mera quadam negligentia per aliquantum temporis in ea hæret, nullo ejus rejiciendæ propoſito concepto. At, cum voluntarié & animo deliberato in hujuſmodi delectationibus nobis complacere volumus & ſtatuimus ; hæc ipſa deliberata voluntas magnum, eſt peccatum : ſi objectum, circa quod delectatio verſatur, notabiliter malum ſit. Inſigne in muliere vitium eſt, inhoneſtos & illicitos amores identidem fovere velle : licet ipſa de facto amanti nunquam ſe dare velit.

Poſt tibi tradita à ſancto magiſtro introductionis documenta quæ modum & rationem tradunt te bene gerendi in tentationis exercitio ; accipe ab altero magiſtro eximia incentiva : ad ferendum animosè tentationis laborem, & ad eam cum Dei auxilio ſuperandam.

De paucitate amatorum crucis Ieſu. lib. 2. de Imitatione cap. 11.

1. HAbet Jeſus nunc multos amatores regni ſui cæleſtis; ſed paucos bajulatores ſuæ crucis. Habet multos deſideratores conſolationis; ſed paucos tribulationis. Plures invenit ſocios menſæ; ſed paucos abſtinentiæ. Omnes volunt cum Chriſto gaudere; ſed pauci pro ipſo aliquid ſuſtinere. Multi Jeſum ſequuntur uſque ad fractionem panis; ſed pauci ad bibendum calicem paſſionis. Multi miracula ejus venerantur; ſed pauci ignominiam crucis ſequuntur. Multi Jeſum diligunt quamdiu adverſa non contingunt. Multi illum laudant & benedicunt: quandiu conſolationes aliquas ab ipſo percipiunt. Si autem Jeſus ſe abſconderit, & modicùm eos reliquerit; aut in querimoniam, vel in dejectionem nimiam cadunt.

2. Qui autem Jeſum propter Jeſum, & non propter ſuam propriam aliquam conſolationem diligunt: ipſum in tribulatione, atque anguſtia cordis: ſicut in ſumma conſolatione benedicunt. Et ſi nunquam eis conſolationem dare vellet; ipſum tamen ſemper laudarent, & ſemper gratias agere vellent.

3. O quantùm poteſt amor Jeſu purus, nullo proprio commodo, vel amore permixtus? Nonne omnes mercenarij ſunt dicendi: qui conſolationes ſemper quærunt? Nonne amatores ſui magis, quàm Chriſti probantur: qui ſua commoda & lucra ſemper meditantur? Ubi invenietur talis qui velit Deo ſervire gratis?

4. Raro invenitur tam ſpiritualis aliquis qui omnibus ſit nudatus. Nam verum pauperem ſpiritu, & ab omni creatura nudum *quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus. Si dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam,* adhuc nihil eſt. Et ſi fecerit pœnitentiam magnam; adhuc exiguum eſt. *Et ſi apprehenderit omnem ſcientiam*; adhuc longè eſt. Et ſi habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem: adhuc multum ſibi deeſt: unum ſcilicet, quod ſummè ſibi neceſſarium eſt. Quid illud? Ut omnibus relictis ſe relinquat: & à ſe totaliter exeat; nihilque de privato amore retineat. Cúmque omnia fecerit quæ facienda noverit; nihil ſe feciſſe ſentiat.

Pro 31.10. Cant. 8.7. 1. Co. 13.2. Mat. 16.

5. Non grande penderet, quod grande æſtimari poſſit: ſed in veritate ſervum ſe inutilem pronunciet; ſicut veritas ait: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis; dicite, quia ſervi inutiles ſumus.* Tunc verè pauper & nudus ſpiritu eſſe poterit, & cum Propheta dicere: *Quia unicus & pauper ſum ego.* Nemo tamen iſto ditior, nemo liberior, nemo potentior; qui ſcit ſe & omnia relinquere, & ad infimum ſe ponere.

Luc. 17.10. Pſ. 24.16.

Quod non eſt ſecuritas à tentatione in hac vita lib. 3. d'Imitat. cp. 35.

1. Fili nunquam ſecurus es in hac vita; ſed quoad vixeris, ſemper arma ſpiritualia tibi ſunt neceſſaria. Inter hoſtes verſaris; & à dextris & à ſiniſtris impugnaris. Si ergò non uteris undique ſcuto patientiæ; non eris diu ſine vulnere. Inſuper ſi non ponis cor tuum fixè in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me; non poteris iſtum ardorem ſuſtinere, nec ad palmam pertingere Beatorum. Oportet te ergò viriliter omnia pertranſire; & potenti manu uti adverſus
Apoc. 2. 17. objecta. Nam *vincenti datur manna*; ſed torpenti relinquitur multa miſeria.

2. Si quæris in hac vita requiem: quomodò tunc pervenies ad æternam requiem? Non ponas te ad multam requiem; ſed ad magnam patientiam. Quære veram pacem, non in terris, ſed in cælis: non in hominibus, nec in cæteris creaturis; ſed in Dèo ſolo. Pro amore Dei debes omnia libenter ſubire: labores ſcilicet & dolores: tentationes, vexationes, anxietates: neceſſitates, infirmitates: injurias, oblocutiones, reprehenſiones, humiliationes; confuſiones, correctiones, & deſpectiones. Hæc juvant ad virtutem: hæc probant Chriſti tyronem: hæc fabricant cæleſtem coronam. Ego reddam ei æternam mercedem pro brevi labore; & infinitam gloriam pro tranſitoria confuſione.

3. Putas quòd ſemper habebis pro tua voluntate conſolationes ſpiritales? Sancti mei non habuerunt tales: ſed multas gravitates, & tentationes varias; magnáſque deſolationes. Sed patienter habuerunt ſe in omnibus: & magis confiſi ſunt Deo, quàm ſibi: ſcientes, quia
Ro. 8. 18. *non ſunt condigna paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam promerendam.* Vis tu ſtatim habere quod multi poſt lacrymas, & magnos labores vix obtinuerunt? Expecta Dominum, viriliter age, & confortare: noli diffidere; ſed corpus & animam expone conſtanter pro gloria Dei. Ego reddam pleniſſimè; ego tecum ero in omni tribulatione.

De conſideratione humanæ miſeriæ. lib. 1. de Imitatione. cap. 22.

Miſer es ubicumque fueris, & quocumque te verteris; niſi ad Deum te convertas. Quid turbaris quia non ſuccedit tibi ſicut vis & deſideras? Quis eſt qui habet omnia ſecundùm ſuam voluntatem? Nec ego, nec tu, nec aliquis hominum ſuper terram. Nemo eſt in

mundo ſine aliqua tribulatione, vel anguſtia; quamvis Rex ſit, vel Papa. Quis eſt qui meliùs habet? utique qui pro Deo aliquid pati valet.

2. Dicunt multi imbecilles & infirmi ˥! Ecce quàm bonam vitam ille homo habet, quàm dives, quàm magnus, quàm potens & excelſus? Sed attende ad cæleſtia bona ˥! & videbis quòd omnia iſta temporalia nulla ſunt; ſed valde incerta & magis gravantia, quia nunquam ſine ſollicitudine & timore poſſidentur. Non eſt hominis felicitas habere temporalia ad abundantiam; ſed ſufficit ei mediocritas. Verè miſeria eſt vivere ſuper terram. Quantò homo voluerit eſſe ſpiritualior ˥! tantò præſens vita fit ei amarior; quia ſentit meliùs, & videt clariùs humanæ corruptionis defectus. Nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quieſcere, laborare, & cæteris neceſſitatibus naturæ ſubjacere ˥! verè magna miſeria eſt & afflictio homini devoto; qui libenter eſſet abſolutus & liber ab omni peccato.

3. Valde enim gravatur interior homo neceſſitatibus corporalibus in hoc mundo. Unde Propheta devotè rogat, quatenùs liber ab iſtis eſſe valeat, dicens: *De neceſſitatibus meis erue me Domine.* Sed væ non cognoſcentibus ſuam miſeriam ˥! & ampliùs væ illis; qui diligunt hanc miſeram & corruptibilem vitam. Nam in tantum quidam hanc amplectuntur (licet etiam vix neceſſaria laborando aut mendicando habeant ˥!) ut ſi poſſent hìc ſemper vivere: de Regno Dei nihil curarent. *Pſ. 24. 17.*

4. O inſani, & infideles corde, qui tam profundè in terris jacent, ut nihil niſi carnalia ſapiant? Sed miſeri adhuc in fine graviter ſentient: quàm vile, atque nihilum erat quod amaverunt. Sancti Dei, & omnes devoti amici Chriſti non attenderunt quæ carni placuerunt ˥! nec quæ in hoc tempore floruerunt; ſed tota ſpes eorum & intentio ad æterna bona anhelabat. Ferebatur totum deſiderium eorum ſurſum ad manſura & inviſibilia; ne amore viſibilium traherentur ad infima. Noli frater amittere confidentiam proficiendi ad ſpiritualia; adhuc habes tempus & horam. [*Hæc ſequere conſilia ˥! certúmque habeas verbo piiſſimi magiſtri confiſus: auxilium ad ſalutem & ad profectum ſpiritualem neceſſarium tibi non defuturum.*]

5. Quare vis procraſtinare propoſitum tuum? Surge & in inſtanti incipe, & dic: Nunc tempus eſt faciendi, nunc tempus eſt pugnandi; nunc aptum tempus emendandi. Quando malè habes & tribularis, tunc tempus eſt promerendi. Oportet te tranſire per ignem & aquam: antequam venias in refrigerium. Niſi tibi vim feceris; vitium non ſuperabis. Quamdiu iſtud fragile corpus gerimus ſine peccato eſſe non poſſumus; nec ſine tædio, & dolore vivere. [*Divinæ diſpenſationis arcanum hìc tibi aperit ˥! quâ non vult tam efficacem gratiam nobis conferre; ut ab omni prorſus peccato immunes nos efficiat.*] Libenter habere-

mus ab omni miſeria quietem ⁊ ſed quia per peccatum perdidimus innocentiam; amiſimus etiam veram beatitudinem. Ideò oportet nos
Pſ. 56 2. tenere patientiam, & Dei expectare miſericordiam; *donec tranſeat ini-*
2. Cor. 5. 4. *quitas* hæc & *mortalitas abſorbeatur à vita.*

6. O quanta fragilitas humana, quæ ſemper prona eſt ad vitia? Hodiè confiteris peccata tua; & cras iterum perperras confeſſa. Nunc proponis cavere; & poſt horam agis quaſi nihil propoſuiſſes. Meritò ergò nos ipſos humiliare poſſumus ⁊ nec unquam aliquid magni de nobis ſentire; quia tam fragiles & inſtabiles ſumus. Citò poteſt etjam perdi per negligentiam; quod multo labore vix tandem acquiſitum eſt per gratiam. [*Hæc diligenter obſerva ⁊ inde enim apertè vides, quid negligentia poſſit efficere; poſt tot & tanta cum gratiæ auxilio perpetrata.*]

7. Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepeſcimus tam mane? Ve nobis ſi ſic volumus declinare ad quietem, quaſi jam pax ſit & ſecuritas; cùm necdum appareat veſtigium veræ ſanctitatis in noſtra converſatione. Bene opus eſſet quòd adhuc iterum inſtitueremur tanquam boni novitij ad mores optimos; ſi fortè ſpes eſſet de aliqua futura emendatione & majori ſpirituali profectu.

LECTIO QUADRAGESIMA SEXTA.

Contra graves tentationes remedia. Qualiter parvis tentationibus reſiſtendum eſt & qualiter inſtante tribulatione Deus invocandus eſt & benedicendus.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Vigilate, & orate: ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt; caro autem infirma. Matt. cap, 26. verſ. 41.

Induimini Dominum Ieſum Chriſtum: & carnis curam ne feceritis in deſideriis. Epiſt. ad Rom. cap. 13. verſ. 14.

Chariſſimi ⁊ obſecro vos tanquam advenas & peregrinos: abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam. Epiſt. 1. Petri. cap. 2. verſ. 11.

Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit. Nam & qui certat in agone: non coronatur, niſi legitimè certaverit. Epiſt. 2. ad Timot. cap. 2. verſ. 3.

Sobrij eſtote, & vigilate ⁊ quia adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide, ſcientes eam-

dem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ; qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu: modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque. Ipſe gloria, & imperium in ſeculâ ſeculorum: Amen. Epiſt. 1. Petri. cap. 5. verſ. 8.

Hæc ſacri textûs verba egregia quæque remedia præbent adverſus quaſlibet tentationes; videlicet vigilando, orando, paſſiones mortificando, occaſiones vitando, ſed & firmiter in ſpe & fiducia in Deum ſtando. Sed eorum praxim ex utriuſque Doctoris verbis excipe.

In magnis tentationibus remedia ſuggeruntur. lib. 4. Introductionis. cap. 7.

MOx ut aliquam in te tentationem ſenties, pueros imitare lupum aut urſum in agro videntes; ſtatim enim hi intra parentum brachia ſe recipiunt: aut ſaltem illorum opem & auxilium implorant. Ita tu tentata ſtatim ad Deum cónfuge: illiuſque miſericordiam & opem inclama. Hoc porrò remedium Dominus in tentationibus, tanquam præſentiſſimum nobis præſcribit dum ait: *Orate, ut non intretis in tentationem.* [*Hæc animosè, & cum animi tranquillitate exercenda ſunt: conſiderando patrem cæleſtem non quaſi longè à te diſtantem, ſed quaſi magis præſentem quam te ipſum tibi.*]

Si nihilominus tentationem adeò non recedere videas, ut etiam creſcat; in ſpiritu magno cum ardore ſanctam Domini crucem amplectere, tanquam ſi Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum crucifixum ante oculos tuos cerneres: & proteſtare, te tentationi nunquam aſſenſuram. Ejuſque opem contra eamdem invoca; & proteſtari ſemper perge, nunquam te tentationi quamdiu durabit: conſenſum præbere velle.

Verùm dum haſce proteſtationes facies, & conſentire renues; non debes tentationem: ſed Dominum Jeſum ſolùm intueri: ſi enim tentationem, præſertim cùm vehemens eſt, intuearis: tuum illa animum concutere & vacillantem reddere poterit. [*Hæc proteſtatio actuum formatorum repetitionem non exigit; ſufficit enim ſi voluntas ad Deum converſa per internum intuitum & recurſum, quo deteſtetur quicquid illum offendit, firma ſic remaneat in ſua averſione à malo; ac tentationem abſque verborum & capitis contentione contemnere aſſueſcat.*]

Per bonas & laudabiles quaſdam occupationes ſpiritum tuum aliquo modo diverte; ubi enim hæ animum tuum ingreſſæ fuerint: tentationes omnes ac ſuggeſtiones malignas â te repellent & effugabunt.

Præſentiſſimum contra quaſlibet tentationes, magnas æque ac parvas, remedium eſt, animum & cor noſtrum aperire; & quas habemus & patimur ſuggeſtiones ſenſus & affectus: cum directore noſtro com-

municare. Nam primum, quod cacodæmon cum anima, quam circumvenire & ſeducere vult, init pactum, eſt : ut ipſa ſileat, & nihil ſuggeſtorum cuipiam aperiat, ſicuti illi qui mulieres aut puellas decipere geſtiunt ; hoc ante omnia inhibent, ne, quæ ipſis proponunt : maritis aut patribus patefaciant. Deus verò è contra ſuis in inſpirationibus hoc ante omnia requirit : ut eas ſuperioribus & conductoribus noſtris declaremus.

Quod ſi nihilominus poſt hæc omnia tentatio perſeveret ; nóſque oppugnare pergat : noſtrum quoque eſt in proteſtatione ei conſentire nolendi perſtare. Nam quemadmodum virgines maritum non inveniunt, quamdiu dicunt ſe nolle ; ſic anima tametſi oppugnata & turbata : nullum detrimentum capiet, quamdiu ſe conſentire nolle dicet,

Noli cum adverſario & hoſte tuo verbis contendere ; imò nullo eum verbo dignare, præterquam illis quæ Salvator illi olim dixit, quibúsque eum confudit, dicens : *Vade Satana, ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et ſicuti caſta matrona ne verbum quidem reſpondere, aut in facie intueri debet illum, à quo pudicitia illius tentatur aut ſollicitatur ; ſed, quàmprimum ſe ab eo proripiendo, ſtatim animum ſuum marito applicare, & verſus illum convertere, quámque ei ſpopondit fidelitatem novo juramento renovare, nec multum cum ipſo altercari aut contendere ; ſic anima devota ab aliqua ſe tentatione impetitam & oppugnatam cernens ; non multùm in contendendo, reſpondendóve ſe detinere debet : ſed ſolummodo verſus Jeſum Chriſtum ſponſum ſuum ſe convertens, de novo ei fidelitatem jurare, illique ſe ſe magis ac magis inperpetuum devovere. [*Conſule tractatum de modo rectè ſe gerendi in tentationibus quem habes ſecunda parte.*]

Levioribus etiam tentationibus reſiſtendum eſt. Ibidem. cap. 8.

QUamvis, gravibus & magnis tentationibus invicto animo reſiſtendum ſit : & ea quam de iis referimus, victoria nobis ſummè ſit utilis : forſan tamen longè fructuoſius & utilius eſt parvis reſiſtere. Nam quemadmodnm majores minoribus in qualitate præſtant ; ſic in numero uſque adeò ſuperant : ut, quæ ea iis refertur victoria, illi quæ è maximis ſequitur, poſſit æquiparari. Lupi & urſi haud dubiè periculoſiores ſunt quàm muſcæ ; non ſunt tamen tam importuni & moleſti nobis : neque adeò noſtram exercent patientiam, Facilè eſt ab homicidio ſibi cavere ; at difficile eſt, à parva iracundia : cujus ſingulis prope momentis occaſiones occurrunt. Facilè eſt viro æquè ac mulieri,

evitare

evitare adulterium ; at non tam facilè eſt oculorum nutus & conjectus, reciprocam amoris admiſſionem, gratiarum & levium benevolentiarum procurationem : amatoriorum & nugacium verborum locutionem auditionémve excludere. Facilè eſt, bona aliena non diripere ; at difficile iis non inhiare, & non concupiſcere : facilè eſt, falſum in tribunalibus teſtimonium non proferre ; at difficilimum, in mutua converſatione non mentiri. Facilè eſt vino non inebriari ; at difficilè ſobrium eſſe. Facilè mortem alienam non deſiderare ; at difficilè, damnum aut incommodum cujuſpiam non optare. Facilè eſt proximi famæ, aut nomini non detrahere ; ſed difficilè, illum non vituperare. Itaque parvæ hæ tentationes choleræ, ſuſpicionum, zelotypiæ, invidiæ, amoris, nugacitatis vanitatis, duplicitatis, doli, detractionis, ſimulationis, cogitationum inhoneſtarum : continua ſunt etiam maximè devotorum & propoſiti tenaciorum exercitia. Quamobrem ſumma cura & diligentia ad hunc nos conflictum præparemus oportet, cariſſima Philóthea ; tibique perſuadeas velim, quot de parvis illis inimicis victorias referimus : tot ad coronam gloriæ, quam nobis Deus in cœleſti ſuo domicilio præparavit, margaritas & gemmas addendas. Ergò, quouſque occaſio, benè & generosè cum magnis ac gravibus tentationibus certandi occurrat : contra parvos & debiles hos inſultus magnâ contentione & ſtudio depugnemus oportet.

Quomodo parvæ tentationes ſuperandæ ſunt. Ibidem. cap. 9.

QUod autem ad parvas has tentationes, ad vanitatem, ſuſpicionem, moroſitatem, zelotypiam, invidiam, amores, & ſimiles inanias ſpectat ; quæ velut muſcæ & culices nos identidem circumvolitant, & modo genas, modo naſum compungunt : cum ab ipſarum importunitate & moleſtia prorſus liberi eſſe non poſſimus ; optima iis reſiſtendi & vincendi ratio eſt : ob ipſas minimè turbari. Etenim nocere hæc non queunt, licet poſſint moleſtiam inferre, dummodò firmum & ſolidum Deo ſerviendi propoſitum habeamus.

Itaque parvas has tentationes & inſultus contemne ; imò nequidem ad id quod tibi oggerere geſtiunt, reflectere dignare : ſed tantùm, quantùm volent, illas circum aures tuas ad inſtar muſcarum volitare, téque oberrare ſine. Cúmque te pungere volent, & ipſas in corde tuo aliquo modo habitare, & ſedem figere velle videbis ; à te tantummodo eas abige : non tam contra ipſas contendendo, ipſiſve reſpondendo, quam contrarios iis, prout quidem ipſæ erunt & in primis amoris Dei actus exercendo. [*Hæc attentè notanda ſunt ; quibus modus tibi aperitur feliciter ac facilè pertractandi arma ſpiritualia abſque interiori perturbatione.*] Etenim ſi mihi credas, non debes tentationi, quam ſenties : contrariam

& directè oppoſitam virtutem pertinaciter & expreſsè opponere. Hoc namque perinde foret: ac ſi cum ea contendere & decertare velles, at, poſtquam unum virtutis illius directè ei contrariæ actum exercuiſti : ſi otium tibi fuerit, qualis tentatio tua ſit, agnoſcendi: cor tuum verſus Jeſum Chriſtum crucifixum ſimpliciter convertes, & per quemdam amoris erga eumdem actum, ſacros illius pedes exoſculaberis. Eſt hæc optima inimici tam in parvis, quàm magnis tentationibus ſuperandi ratio. Etenim Dei amor cùm cæterarum virtutum perfectiones in ſe contineat : & quidem multò eminentius & excellentius, quàm ipſæmet virtutes: hinc optimum eſt contra vitia omnia remedium. Et animus tuus, ubi in omnibus tentationibus ſuis, ad generale hoc aſylum confugere aſſueverit : non eſt quod reſpiciat aut examinet, quales tentationes ſuæ ſint; ſed ſimpliciter ſe turbatum ſentiens, in hoc ſingulari remedio quieſcet, & opem inveniet. Præterea ſpiritui nequam & maligno iſtud ita exoſum & terribile eſt: ut, ubi per tentationes ſuas nos ad divinum hunc amorem provocari videt: eas nobis ceſſet immittere.

Et hæc quidem, quoad parvas & frequenter obvias tentationes : quas qui ſingillatim excutere & curare vellet: ſe ipſe conficeret, & nihil proficeret.

En quò confugere debet anima in tentationibus; & ad hanc praxim paulatim aſſueſcere.

Qualiter inſtante tribulatione Deus invocandus eſt. lib. 3. de Imitatione. cap. 29.

1. SIt nomem tuum, Domine, benedictum in ſæcula; qui voluiſti hanc tentationem venire ſuper me. [*En tibi præſtantiſſima ſanè formula elevandæ ad Deum mentis in tentationibus : ſed non inde debes proponere hæc eadem verba quaſi in qualibet tentatione neceſſariò exprimenda: breviores enim ad libitum proferre potes. Imò conſultiſſimum eſt tunc ſimpliciter mentem ad Deum per intuitus internos quibus plenus voluntatis jungatur aſſenſus, abſque actibus formatis erigere.*] Non poſſum eam effugere : ſed neceſſe habeo ad te confugere; ut me adjuves, & ipſam in bonum mihi convertas. Domine modò ſum in tribulatione : & non eſt cordi meo bene; ſed multùm vexor à præſenti tribulatione.
Ioh 12.27. Et *nunc*, Pater dilecte, *quid dicam*? Deprehenſus ſum inter anguſtias.
Io. 12.28. *Salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam, ut tu clarificeris*; cùm fuero valde humiliatus, & per te liberatus. *Complaceat tibi,*
Pſa 39.14. *Domine, ut eruas me.* Nam ego pauper quid agere poſſum, & quò ibo ſine te? Da patientiam, Domine, etiam hac vice. Adjuva me, Deus meus, & non timebo quantumcumque gravatus fuero.

2. Et nunc inter hæc quid dicam? Domine, *fiat voluntas tua.* Ego bene
Matt. 6.10. merui tribulari & gravari. Oportet utique ut ſuſtineam : utinam pa-

tienter : donec tranſeat tempeſtas, & melius fiat. Potens eſt autem omnipotens manus tua, etiam hanc tentationem à me auferre, & ejus impetum mitigare, ne penitus ſuccumbam : quemadmodum & priùs ſæpius egiſti mecum, *Deus meus, miſericordia mea.* Et quanto mihi difficilius; tanto tibi facilior eſt *hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

LECTIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

Quomodo animus contra tentationem ſit roborandus. De regia via Sanctæ Crucis : & de probatione veri amatoris.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

S*Piritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem : hæc enim ſibi invicem adverſantur : ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Epiſt. ad Gal. cap. 5. verſ. 17.

Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam : nam qui perdiderit animam ſuam propter me; ſalvam faciet illam. Luc. cap. 9. verſ. 24.

In diſciplina perſeverate. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus : quis enim filius, quem non corripit pater; Quod ſi extra diſciplinam eſtis : cujus participes facti eſtis omnes? ergò adulteri, & non filij eſtis. Deindè patres quidem carnis noſtræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos : non multò magis obtemperabimus patri ſpirituum, & vivemus? Epiſt. ad Hebræ. cap. 12. verſ. 17.

Si autem filij, & hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti : ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur. Epiſt. ad Rom. cap. 8. verſ. 17.

Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt : & in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in ipſo manere : debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. Epiſt. 1. Joan. cap. 2. v. 5.

Hæc ſacri textûs verba, 1. Ad pugnandum te inſtruunt; carnis deſideriis ſpiritûs deſideria opponendo. 2. Oſtendunt per crucem ſolummodò aditum patere ad regnum à Deo paratum. 3. Quòd Deus agit erga nos ut Pater; quando tribulationes & pœnas nobis immittit. 4. Denique noſtrum erga ipſum amorem non Thaboris conſolationes deguſtando; ſed operibus veſtigia exemplorum vitæ Chriſti inſequendo comprobari. Horum praxim doctor uterque in ſubditis demonſtrabit.

Quomodo animus contra tentationem ſit roborandus. lib. 4. Introductionis. cap. 10.

COnſidera identidem quales paſſiones potiſſimùm & maximè in anima tua dominentut ; ubi inveneris quænam illæ ſint : eam vivendi rationem tibi delige, quæ ipſi directè in cogitationibus, verbis & operibus ſit contraria. Exempli gtatiâ, ſi ad vanitatis paſſionem te propendére & inclinare ſentias ; ſæpè de vitæ hujus mortalis & humanæ miſeriis cogita ; quàm hæ vanitates in die mortis conſcientiæ futuræ ſint moleſtæ & graves ; quàm animo genetoſo ſint indignæ ; non eas eſſe aliud quàm puerorum crepundia & ludicra ; & alia id genus. Sæpè quoque in vanitatem invéhere ; & quamvis id non ex animo, ſed eo reluctante facere videaris : eam tamen quàm potes maximè ſugilla & contemne. Hâc namque ratione, etiam apud eos qui aliter ſentiunt, & eam ſectantur : magnum tibi nomen comparabis. Cum ènim ſæpè in rem aliquam verbis invehimur, eam odio proſequi aſſueſcimus & addiſcimus : etſi initio ſummoperè erga eamdem afficeremur. Abjectionis & humilitatis opera quàm potes plurima exerce : licet ab iis aliena eſſe & abhorrere videaris. Hoc namque modo humilitatis tibi habitum comparas : tuámque vanitatem minorem & debiliorem reddis ; adeò ut cùm ejus tentatio veniet, tanto in eam affectu inclinatura non ſis : ad eam verò oppugnandam longè potentior futura. Si verò in avaritiam feratis ; identidem peccati hujus fatuitatem animo volvas, utpote quod ejus rei nos ſervos reddit, quæ nonniſi ad nobis ſerviendum & famulandum creata eſt : & in morte omnia deſerenda & relinquenda illi, qui illa fottè diſſipabit ; aut cui ruinæ & ſempiternæ damnationis futura ſunt occaſio : & alias ejus genetis cogitationes. Avaritiam identidem inſectare & ſugilla : & è contra mundi contemptum extolle. Sæpè tibi, ad eleemoſynas erogandas, & charitatem in pauperes exercendam ; & ad aliquas lucrandi, opéſque coacervandi occaſiones omittendum vim inferas.

Si verò ad amorem dandum, recipiendúmve propendeas ; frequenter tecum perpende, quàm inane hoc ſtudium tum tibi, tum aliis periculoſum ſit : quàm item indignum, nobiliſſimum animæ noſtræ affectum inanibus oblectationibus profanare & impendere : & quàm meritò hoc maximæ cujuſdam levitatis animi ſignum ab omnibus haberi debeat. Loquere dein ſæpè in laudem puritatis & animi candoris ; & quàm potes plurimos ei confotmes actus exerce : omnes vanitates & illecebroſas blanditias à te abdicans. [*Hæc ad ſeculâres dicta ſunt. Sed Religioſus iſta omnia poteſt ſuo ſtatui applicare ; & inde diſcere modum bene certandi contra paſſiones non ſe involuendo in variis & inutilibus cogitationum pugnis.*

Denique tempore pacis, id eſt, cùm à tentationibus ad peccatum cui obnoxia es, libera eris, permultos contrariæ virtutis actus exerce ; & ſiquidem ejuſdem exercendæ occaſiones non ſe offerant: eas capta & ultrò velut iis occurre. Hâc namque ratione animum contra futuram tentationem obfirmabis & communies.

De regia via Sanctæ Crucis. lib. 2. de Imitatione. cap. 12.

Durus hic multis videtur ſermo: *Abnega temetipſum, tolle crucem tuam, & ſequere* Jeſum. [*Habes in hoc capitulo mirabilem deſcriptionem viarum Dei circa animas quas plenè vult expurgare: & quæ ſub diſciplina Chriſti in ejus ſchola conſtitutæ ſunt.*] Sed multò durius erit audire illud extremum verbum: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Qui enim modò libenter audiunt & ſequuntur verbum crucis; tunc non timebunt ab auditione damnationis æternæ. *Hoc ſignum crucis erit in cælo; cùm Dominus adjudicandum venerit.* Tunc omnes ſervi crucis, qui ſe Crucifixo conformaverunt in vita; ad Chriſtum accedent judicem cum magna fiducia. *Luc. 9. 23.* *Mat. 25. 41.* *Mat. 24 30.*

2. Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad Regnum? In cruce ſalus, in cruce vita, in cruce protectio ab hoſtibus ; in cruce infuſio ſupernæ ſuavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium ſpiritûs; in cruce virtutis ſumma, in cruce perfectio ſanctitatis. Non eſt ſalus animæ, nec ſpes æternæ vitæ; niſi in cruce. Tolle ergò crucem tuam, & ſequere Jeſum; & ibis in vitam æternam. Præceſſit ille bajulans ſibi crucem, & mortuus eſt pro te in cruce: ut & tu tuam portes crucem, & mori affectes in cruce. Quia ſi commortuus fueris, etiam cum illo pariter vives. Et ſi ſocius fueris pœnæ; ſocius eris & gloriæ.

3. Ecce in cruce totum conſtat, & in moriendo totum jacet ; & non eſt alia via ad vitam, & ad veram internam pacem; niſi via ſanctæ crucis, & quotidianæ mortificationis. Ambula quò vis, quære quodcumque volueris ; non invenies altiorem viam ſuprà, nec ſecuriorem viam infrà; niſi viam ſanctæ crucis. Diſpone & ordina omnia ſecundùm tuum velle ac videre ; nec invenies niſi ſemper aliquid pati debere aut ſponte, aut invitè: & ita crucem ſemper invenies. Aut enim in corpore dolorem ſenties; aut in anima ſpiritûs tribulationem ſuſtinebis.

4. Interdum à Deo relinquêris ; interdum à proximo exercitaberis; & quod amplius eſt, ſæpe tibimetipſi gravis eris ; nec tamen aliquo remedio, vel ſolatio liberari ſeu alleviari poteris: ſed donec Deus voluerit, oportet ut ſuſtineas. Vult enim Deus ut tribulationem ſine conſolatione diſcas pati ; & ut illi totaliter te ſubjicias; & humilior ex tri-

bulatione fias. Nemo ita cordialiter ſentit paſſionem Chriſti ; ſicut is cui contigerit ſimilia pati. Crux igitur ſemper parata eſt, & ubique te expectat. Non potes effugere quocumque cucurreris:quia quocumque veneris teipſum tecum portabis, & ſemper teipſum invenies. Converte te ſuprà, converte te infrà, converte te extrà & intrà. Et in his omnibus invenies crucem : & neceſſe eſt te ubique tenere patientiam ; ſi internam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam.

5. Si libenter crucem portas portabit te, & deducet te ad deſideratum finem: ubi ſcilicet finis patiendi erit, quamvis hîc non erit. Si invitè portas, onus tibi facis, & teipſum magis gravas ; & tamen oportet ut ſuſtineas. Si abjicis unam crucem, aliam procul dubio invenies ; & forſitan graviorem.

6. Credis tu evadere quod nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo ſine cruce & tribulatione fuit? Nec enim Dominus noſter Jesus-Christus unâ horâ ſine dolore paſſionis fuit :
Luc.24.46. quamdiù in hoc mundo vixit, *Oportebat enim Chriſtum pati ; & reſurgere à mortuis ; & ita intrare in gloriam ſuam.* Et quomodò tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam viam ſanctæ crucis?

7. Tota vita Chriſti, crux fuit & martyrium, & tu tibi quæris requiem & gaudium? Erras, erras, ſi aliud quæris quàm pati tribulationes, quia tota iſta vita mortalis plena eſt miſeriis ; & circumſignata crucibus. Et quantò altiùs quis in ſpiritu profecerit, tantò graviores ſibi cruces inveniet: quia exilij ejus pœna magis ex amore creſcit.

8. Sed tamen iſte ſic multipliciter afflictus non eſt ſine levamine conſolationis: quia fructum magnum ſibi ſentit accreſcere ex ſufferentia ſuæ crucis. Nam dum ſponte illi ſe ſubjicit ; omne onus tribulationis in fiduciam conſolationis divinæ convertitur. Et quantò caro magis per afflictionem atteritur ; tantò ſpiritus ampliùs per internam conſolationem roboratur. Et nonnunquam in tantum confortatur ex affectu tribulationis & adverſitatis, ob amorem conformitatis crucis Chriſti, ut non ſine dolore ac tribulatione eſſe vellet : quoniam tantò ſe acceptiorem Deo credit, quantò plura & graviora pro eo perferre potuerit. Non eſt iſtud virtus hominis, ſed gratia Chriſti, quæ tanta poteſt & agit in carne fragili, ut quod naturaliter ſemper abhorret & fugit ; hoc fervore ſpiritûs aggrediatur & diligat.

9. Non eſt ſecundùm hominem crucem portare, crucem amare, corpus caſtigare, & ſervituti ſubjicere, honores fugere, contumelias libenter ſuſtinere, ſeipſum deſpicere, & deſpici optare ; adverſa quæque cum damnis perpeti, & nihil proſperitatis in hoc mundo deſiderare. Si ad teipſum reſpicis ; nihil hujuſmodi ex te poteris. Sed ſi in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cælo, & ſubjicientur ditioni tuæ mundus & caro. Sed nec inimicum diabolum timebis ; ſi fueris fide armatus, & Jeſu cruce ſignatus.

10. Pone ergò te ſicut bonus & fidelis ſervus Chriſti ad portandam viriliter crucem Domini tui; pro te ex amore crucifixi. Præpara te ad toleranda multa adverſa, & varia incommoda in hac miſera vita : quia ſic tecum erit ubicumque fueris; & ſic reverà invenies ubicumque latueris. Oportet te ita eſſe; & non eſt remedium evadendi *à tribulatione malorum, & dolore,* quàm ut patiaris. Calicem Domini affectanter bibe; ſi amicus ejus eſſe & partem cum eo habere deſideras. Conſolationes Deo committe: faciat ipſe cum talibus ſicut ſibi magis placuerit. Tu verò pone te ad ſuſtinendum tribulationes : & reputa eas maximas conſolationes; quia *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam promerendam,* etiamſi ſolus omnes poſſes ſuſtinere. *Pſ.106.39.* *Rom.8.18.*

11. Quando ad hoc veneris, quòd tribulatio ſit tibi dulcis, & ſapiat pro Chriſto : tunc bene tecum æſtima eſſe; quia inveniſti paradiſum in terra. [*Hæc ſecundum interiorem hominem ſunt intelligenda.*] Quamdiù verò pati grave tibi erit, & fugere quæres; tamdiù malè habebis, & ſequetur te ubique fuga tribulationis.

12. Si ponis te ad quod eſſe debes : videlicet ad patiendum & moriendum; fiet citò meliùs, & pacem invenies. Etiamſi raptus fueris uſque ad tertium cælum cum Paulo; non es proptereà ſecurus de nullo contrario ſuſtinendo. *Ego* (inquit Jeſus) *oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Pati ergò tibi remanet: ſi Jeſum diligere, & perpetuò illi ſervire placet. *Act.9.16.*

13. Utinam dignus eſſes pro nomine Jeſu aliquid pati : quàm magna gloria remaneret tibi : quanta exultatio omnibus Sanctis Dei; quanta quoque ædificatio eſſet proximi? Nam patientiam omnes commendant; quamvis pauci tamen pati velint. Meritò deberes libenter modicùm pati pro Chriſto; cùm multi graviora patiantur pro mundo.

14. Scias pro certo quia morientem te oportet ducere vitam. Et quantò quiſque plus moritur ſibi; tantò magis Deo vivere incipit. Nemo aptus eſt ad comprehendendum cæleſtia; niſi ſe ſubmiſerit ad portandum pro Chriſto adverſa. Nihil Deo acceptius, nihil tibi ſalubrius in mundo iſto; quàm libenter pati pro Chriſto. Et ſi eligendum tibi eſſet : magis optare deberes pro Chriſto adverſa pati: quàm multis conſolationibus recreari. Quia Chriſto ſimilior eſſes; & omnibus ſanctis conformior. Non enim ſtat meritum noſtrum, & profectus ſtatûs noſtri in multis ſuavitatibus & conſolationibus: ſed potiùs in magnis gravitatibus, & tribulationibus perferendis. [*Hinc ergò collige quid ſentire debeas de ſubtractione ſenſibilis gratiæ : ac gratiam illam, quam fortem nomino, quia ad tribulationes Dei amore tolerandas animum accendit & roborat; ei omninò eſſe præferendam quæ ejuſmodi devotionis ſenſum imprimit.*]

15. Si enim melius aliquid aliud & utilius ſaluti hominum quàm pati fuiſſet; Chriſtus utique verbò & exemplo oſtendiſſet. Nam & ſequentes

ſe diſcipulos, omnéſque eum ſequi cupientes, manifeſtè ad crucem portandam hortatur, & dicit: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Omnibus ergo perlectis & ſcrutatis, fit iſta concluſio finalis: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.*

De Probatione veri amatoris. lib. 3. de Imitatione. cap. 6.

1. FIli non es adhuc fortis & prudens amator.

DISCIPULUS.

Quare Domine?

SALVATOR.

Quia propter modicam contrarietatem deficis à cœptis; & nimis avidè conſolationem quæris. Fortis amator ſtat in tentationibus; nec callidis credit perſuaſionibus inimici. Sicut ei in proſperis placeo; ita nec in adverſis ei diſpliceo.

2. Prudens amator non tam donum amantis conſiderat; quàm dantis amorem. Affectum potiùs attendit, quàm cenſum; & infra dilectum omnia data ponit. Nobilis amator non quieſcit in dono; ſed in me ſuper omne donum. Non eſt ideò totum perditum; ſi quandoque minùs bene de me vel de Sanctis meis ſenſeris, quàm velles. Affectus ille bonus & dulcis, quem interdum percipis, effectus gratiæ præſentis eſt, & quidam prægustus patriæ cæleſtis: ſuper quo non nimium innitendum eſt, quia vadit & venit. [*Hic habes mirabilem expreſſionem & explicationem veritatum ex quibus ingentem conſolationem haurire debent animæ, quas gratia ſenſuum & naturæ contradictionibus impugnari permittit: atque inde inter anguſtias debent animari.*] Certare autem adverſus incidentes malos animi motus ˥ & ſuggeſtiones ſpernere diaboli; inſigne eſt virtutis & magni meriti. [*Obſerva hic præcellentem modum certandi contra tentationes: in illatum contemptu conſiſtere.*]

3. Non ergò te conturbent alienæ phantaſiæ de quacumque materia ingeſtæ. Forte ſerva propoſitum, & intentionem rectam ad Deum. Non eſt illuſio quòd aliquando in exceſſum ſubitò rapiaris; & ſtatim ad ſolitas cordis ineptias revertaris. Illas enim magis invitè pateris quàm agis ˥ & quamdiù diſplicent ac reniteris; meritum eſt & non perditio.

4. Scito quòd antiquus inimicus omninò nititur impedire deſiderium tuum in bono ˥ ab omni devoto exercitio evacuare: à Sanctorum ſcilicet cultu, à pia paſſionis meæ memoria ˥ à peccatorum utili recordatione, à proprij cordis cuſtodia; & à firmo propoſito proficiendi in virtutibus. Multas malas cogitationes ingerit ut tædium tibi faciat & horrorem;

horrorem; ut ab oratione revocet atque à ſacra lectione. Diſplicet ipſi humilis confeſſio; & ſi poſſet à communione ceſſare faceret. [*Hic nota quis ſit ſenſus eximij hujus S. Auguſtini diſcipuli circa ſacram communionem, certúmque habeas quòd qui à ſenſus hujus ſanctiſſimi Doctoris intelligentia noluerint deflectere: ſenſum hujus egregij ejus diſcipuli ſectari debeant.* Non credas ei, neque cures illum; licet ſæpius tibi deceptionis tetenderit laqueos. Ipſi imputa cùm mala ingerit & immunda. Dicito illi, Vade immunde ſpiritus, erubeſce miſer; valde immundus es tu, qui talia infers auribus meis. Diſcede à me, ſeductor peſſime, non habebis in me partem ullam; ſed Jeſus mecum erit, tanquam bellator fortis, & tu ſtabis confuſus. Malo mori, & omnem pœnam ſubire; quàm tibi conſentire. *Tace & obmuteſce*; non audiam te ampliùs licet Marc. 4.
mihi plures moliaris moleſtias. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea,* 36.
quem timebo? Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: Do- Pſ 26.1.
minus adjutor meus, & redemptor meus. & 3.
Pſ.18.15.

5. Certa tanquam miles bonus; & ſi interdum ex fragilitate corrueris, reſume vires fortiores prioribus confidens de ampliori gratia mea: & præcave à vana complacentia & ſuperbia. Propter hoc in errorem ducuntur multi; & in cæcitatem penè incurabilem quandoque labuntur. Sit tibi in cautelam & perpetuam humilitatem ruina hæc ſuperborum; de ſe ſtultè præſumentium.

Perlectis hiſce duobus capitulis, movemur ad proferenda eadem verba, quæ olim admiratores doctrinæ Chriſti exclamando protulerunt: nunquam ſic locutus eſt homo. Nec certè magiſtri honori quicquam inde detrahimus, cùm quicquid in diſcipulo miramur de magiſtri fontibus hauſerit: & ejus ſpiritus calamum hujus fidelis diſcipuli direxerit, cujus verba mentes ad ſe rapiunt. O animæ Chriſtianæ ac religioſæ, ut quid aliunde tot varia documenta exquiritis ad tentationes debellandas, ad interiores mentis angores ſublevandos, ad virtutis viam animosè percurrendam, ac demum ad internoſcenda divinæ diſpenſationis arcana in eas animas, quas ab humanis ad ſupernaturalia & divina vult elevare? venite & videte hominem qui dicet vobis quicquid in corde veſtro verſatur: non tantum in præſenti ſed etiam in futuro. Ad Crucifixi pedes in ſpiritu humilitatis procumbentes, dum in tribulatione & afflictione conſtituti eſtis, lectionem hanc perlegite, ac velut emplaſtrum vulneri imponite: Pretioſiſſimi hujuſce unguenti vim & efficaciam patienter ſuſtinete, ibi invenietis ſolida principia ſcientiæ ſpiritus, internæ conſolationis, ac chriſtianorum virtutum: quibus deguſtatis in hæc Samaritanorum verba prorumpere placebit, ipſi audivimus & ſcimus quia hi ſunt Salvatoris mundi veri diſcipuli: ipſiúſque ſpiritu animati. Quod equidem ſequentes lectiones amplius confirmabunt, in quibus S. Franciſcus Saleſius omnia cordium veſtrorum arcana aperiet, ut ad ea penitiùs capienda quæ magiſter Imitationis mox ſuggeſſit: diſponantur.

LECTIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

De inquietudine & triſtitia, De divino auxilio petendo: & confidentia recuperandæ gratiæ.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

OPeram detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis: & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis. Epiſt.1. ad Theſ.cap. 4. verſ. 11.

Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus. Omnis autem diſciplina, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. Propter quod, remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Epiſt. ad Hebræ. cap. 12. verſ. 10.

Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur: & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Epiſt. ad Hebræ. cap.4.verſ. 16.

Hæc ſacri textûs verba edocent. 1. Inquietudinem vitandam, ac naturalis triſtitiæ, quæ animam in via Dei impugnat: cauſas ac remedia. 2. Egregium tibi oſtendunt modum ad Deum confugiendi, inter hujuſce triſtitiæ impulſus, ut illos vincas: & divinæ gratiæ conſolationem obtineas. Sed utriuſque magiſtri documenta præcellentia ſtudioſiùs attende.

De inquietudine. lib. 4. Introductionis. cap. 11.

ANimi anxietas ſimplex tentatio non eſt: ſed fons & origo, è quia & per quam, permultæ tentationes proveniunt, aliquid ergò de ea dicturus ſum. Triſtitia nihil eſt aliud, quàm quidam animi dolor de malo, quod nobis invitis nobis ineſt, ſive ipſum externum ſit, uti paupertas, morbus, contemptus; ſive internum, uti ignorantia, ariditas, repugnantia, tentatio. Cùm ergò aliquod ſe malum habere percipit, hoc ipſum ei diſplicet: & ſic in ea naſcitur triſtitia, ſtatimque ab eo liberati cupit, & illius à ſe abdicandi modum mediáque conquirit. Nec immeritò quidem, naturaliter namque bonum quiſque deſiderat: & quod malum eſſe cogitat, deteſtatur & fugit.

[*Hic audis loquelam & verba ſanctiſſimi medici ; qui modum tractandi & curandi ſpirituales infirmitates apprimè novit : morbóſque per proprias ipſorum cauſas detegit. Sed efficaciam remediorum ejus : experientia adhuc melius quam verbis intelliges. Vide in ſecunda parte tractatum de pace animæ.*

Si, ut à malo ſuo anima liberetur ex ſolo Dei intuitu media conquirit ; conquiret ea, cùm patientia, ſuavitate, humilitate, & tranquillitate; liberationem ſuam magis à Dei bonitate & providentia, quàm à labore, induſtria ac diligentia propria exſpectans. Si verò ex amore proprio ſuam liberationem procuret ; admodum anxiè in mediis conquirendis laborabit & ſollicita erit : tanquam ſi bonum id ab ipſa potius, quàm à Deo dependéret. Non dico, ipſam id de facto cogitare : ſed ita ſollicitam eſſe ac ſi cogitaret. Quod ſi interdum quod deſiderat, non inveniat ; in magnas incidit inquietudines, & impatientiam; quæ præcedens malum adeò non auferunt aut leniunt: ut etiam faciant ingraveſcere & adaugeant. Unde anima in immoderatam quamdam anxietatem, preſſuram & mœrorem incidit ; & ita penitus animo & viribus cadit: ut nullo malum ſuum modo curari poſſe putet. Vides ergò triſtitiam quæ initio æqua & juſta erat, inquietudinem progignere ; ab hac verò pejorem triſtitiam inaugeri : quod certè valde periculoſum eſt.

Inquietudine nullum, unico excepto peccato : accidere gravius malum poteſt. Nam quemadmodum reip. ſeditiones & inteſtini tumultus prorſùs eam deſtruunt & evertunt, atque impedimento ei ſunt, ut externis hoſtibus reſiſtere non valeat ; ſic ubi animus noſter in ſeipſo turbatus & inquietus eſt : vires ad virtutes, quas jam ſibi comparârat, conſervandas, nec non ad inimici ſui tentationibus reſiſtendum neceſſarias amittit. [*Hinc ergo diſce, animi turbationem, ſive inquietudinem æquè fugiendam eſſe ac tentationis occaſionem, cum ea ſit dæmonis aſtutia, ut quos pravis ſuggeſtionibus ad ſe trahere nequeat, inquietudine laſſare conetur. Nihil enim refert, an faſtidio vel laſſitudine animi, vel ſenſuum illecebris decipiat dummodo in lapſum inducat. In eo igitur directionis & diſcretionis ſumma conſiſtit, ut difficultates quantum fieri poteſt complanentur, & rerum intelligentia tradatur eo modo, quo occaſiones dubiorum & inquietudinum longiùs poſſint arceri.*]

Naſcitur autem inquietudo ex inordinato quodam, ut à malo quod quis ſentit, liberetur, aut ut bonum, quod ſperat conſequatur, deſiderio ; nihil tamen eſt quod magis malum adaugeat, aut bonum ſperatum magis recedere faciat : quàm inquietudo & ſollicita illa anxietas. Aviculæ ideò retibus & laqueis captæ manent, quod, cùm iiſdem ſe implicatas ſentiunt, nimio quodam corporis motu & agitatione ſeſe explicare & extricare geſtiant ; quod cùm faciunt : ſemper magis magiſque iis ſe induunt. Cùm ergò ardenter aliquo liberari malo, aut bonum aliquod habere, deſiderabis ; ante omnia operam da, ut animum ſerenes & tranquilles : judicium & voluntatem tuam ad moderationem

componas ; ac deinde ſuaviter & leniter deſiderium tuum executioni mandare ſatagas : convenientia ad hoc media modóſque idque certo quodam ordine, adhibendo. Cùm autem dico, leniter ; non id ita intelligo, quaſi negligenter in eo te gerere debeas : ſed, ut id ſine anxietate, & inquietudine animi fiat. Alioquin adeò optatum deſiderij tui effectum & finem non conſequêris : ut potius omnia deſtructura, teque magis & magis ſis intricatura.

Dixit olim Pſaltes ; *Anima mea in manibus meis ſemper, Domine : & legem tuam non ſum oblitus.* Sæpius per diem, ſaltem veſperè & manè, examina, num animam in manibus tuis habeas : an non verò aliqua eam paſſio & inquietudo tibi abſtulerit. Conſidera, num cor morigerum tibi & obediens habeas ; an verò tuis id manibus ſeſe ſubducendo effugerit : quò ſe inordinato alicui affectui amoris, odij, invidiæ, cupiditatis, timoris, tædij, gaudij applicaret. Si ergò à debita via deflexerit ; ante omnia ipſum quære ; & ſuaviter ad Dei præſentiam reducere conare : omnes affectus, voluntates, & deſideria tua ſub divinæ ejus voluntatis & beneplaciti obedientiam directionemque redigens. Nam ſicuti qui rem ſibi caram & pretioſam amittere verentur, ſuis eam manibus arctè concluſam tenent ; ita nobis, ad magni illius Regis imitationem, & exemplum ſemper dicendum eſt : anima mea præſenti periculo expoſita eſt Domine ; hinc eam ſemper in manibus meis geſto : itáque legem ſanctam tuam non ſum oblita.

Ne permittas unquam, ut deſideria tua, quantumvis parva, & parvi momenti ſint, te inquietent ; nam poſt parva illa, ea quæ majora & majoris momenti ſunt : animum tuum perturbationibus admittendis magis diſpoſitum inveniunt. Ubi ergò inquietudinem aliquam in corde tuo ſenties ; Deo te commenda, & firmiter tecum ſtatue, nihil penitus exequi eorum, quæ ut facias, deſiderium tuum à te requirit, priuſquam inquietudo tua prorſus evanuerit : niſi fortè res hujuſmodi foret, quæ commodè differri non poſſet. Tunc quippe ſuavi & tranquillâ quadam violentiâ deſiderij tui impetus & curſus tibi inhibendus eſt : ita ut tantùm ipſum temperes & modereris, quantùm tibi erit poſſibile. Ac dein rem non pro deſiderij tui impulſu : ſed ex rationis præſcripto ductúque exequâtis. [*Hæc de ratione ſunt intelligenda ; non verò ſemper de motu ſenſibili.*]

Si inquietudinem tuam animæ directori, aut ſaltem alicui fido ac devoto amico detegere poſſis : certa eſto te quam primum ſerenandam ac tranquillandam. Etenim dolorum cordis communicatio eoſdem in anima effectus operatur : quos ſanguinis emiſſio & venæ inciſio in corpore illius qui continuâ febri æſtuat. Hoc namque omnium eſt remediorum præſtantiſſimum. Unde S. Ludovicus Rex inter alia multa documenta etiam hoc filio ſuo præſcripſit ; *Si quam in corde preſſuram aut inquietudinem ſentias : confeſſori tuo aut alteri cuipiam viro bono quamprimum*

mum eum detege. Ita fiet, ut per illud quod ille tibi ſuggeret conſilium : malum tuum æquanimius & levius portes.

Hæc ſunt intelligenda de gravioribus quæ per te ſolvere nequeas; ſi enim de quacumque inquietudinis cauſa intelligerentur animus adeo delicatus & imbecillus fieret, ut nihil omninò digerere, nec ſe determinare valeret.

De triſtitia. Ibidem. cap. 12.

T*Riſtitia quæ ſecundum Deum eſt*, inquit Apoſtolus; *pœnitentiam in ſalutem operatur : ſeculi autem triſtitia mortem operatur.* Triſtitia ergò poteſt eſſe, & bona, & mala, pro varietate affectuum & motuum, quos in nobis cauſat : quanquam fatendum ſit, plures eam malos quàm bonos effectus producere. Nam duos tantùm bonos producit, miſericordiam videlicet & pœnitentiam ; ſex, autem malos, anxietatem, acediam, indignationem, zelotypiam, invidiam & impatientiam. Unde dicit Saqiens : *Multos occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa.* Nam, cùm nonniſi duo boni à triſtitiæ fonte manent rivuli : ſex ex eo malos enaſci videmus.

Triſtitiâ velut inſtrumento cacodæmon utitur ad tentandos & exagitandos bonos; ſicut enim omni ope connititur, ut improbos ſuo in peccato exultare & gaudere faciat: ſic bonos ut in bonis operibus ſuis contriſtentur animumque dejiciant, inducere allaborat. Et ſicuti malum non aliter procurare & cauſare poteſt, quàm ſuggerendo ipſum dulce & ſuave eſſe : ſic nec à bono aliquem poteſt divertere, aut retrahere, quàm ipſum inſipidum, & injucundum eſſe oſtendendo. Cacodæmon triſtitiâ & melancholiâ delectatur; quòd triſtis ipſe ac melancholicus & modo ſit, & æternùm futurus ſit : unde neminem non ſibi ſimilem eſſe vellet.

Triſtitia mala animam turbat & inquietat; inordinatos ei injicit timores; orationem inſipidam reddit; cerebrum conſopit & obruit : animam privat conſilio, judicio, animo, & vires ac robur illius eripit. Eſt denique ceu rigens quædam bruma, omnem terræ pulchritudinem demetens & animalia omnia torpida reddens : omnem namque animæ ſanitatem tollit, eámque impotentem facit. [*Triſtitia conſiderari debet quaſi tentatio cui anima pro poſſe reſiſtere debet; at non poteſt præſtare ut natura ſuis privata commodis : eâ non afficiatur. Sufficit igitur ſi eam quantùm in te eſt abjicias; quódque penitus rejici non poteſt : tanquàm probationem à Deo tibi immiſſam patienter feras.*]

Si ergò contingat, Philothea, à mala hac triſtitia occupari : hæc remedia adhibe. *Triſtatur aliquis veſtrum*, inquit S. Jacobus, *oret.* Oratio quippe præſentiſſimum illius curandæ remedium eſt : ſpiritum namque ſuſtollit in Deum, qui unicum noſtrum gaudium & conſolatio eſt. Sed vide, ut inter orandum iis affectibus & verbis, tam mentalibus, quàm

exterioribus utaris, qui fiduciam quamdam & Dei amorem ſpirent; uti ſunt, ô Deus miſericordiæ, clementiſſime Deus, benigniſſime Redemptor, Deus cordis mei, gaudium & ſpes mea, ſponſe dulciſſime, animæ meæ dilecte, & alia ejus notæ.

Inclinationibus ad triſtitiam magnâ animi contentione te objicito & quamvis omnia quæ tunc facies, tibi frigidè cùm triſtitia, & negligenter fieri videantur: noli tamen ab iis faciendis deterreri. Etenim inimicus, qui per triſtitiam languidos nos & torpidos bonis in operibus reddere conatur; ubi videt illa aliqua cum reſiſtentia & animi averſione peracta longè majoris eſſe meriti: ulteriùs nos vexare & affligere ceſſabit.

Ad hæc cantica cane ſpiritualia; per hæc quippe factum non tarò, ut quod intendebat cacodæmon, perficere intermiſerit: ut videre eſt in ſpiritu, qui Saulem poſſidebat, cujus violentia per pſalmodiam fuit repreſſa.

Conſultum prætereà, exterioribus operibus bonis intendere; eáque quàm potes diverſiſſima obire: ut hâc ratione anima à triſti illo objecto divertatur; ſpiritus vitales purificentur & incaleſcant: cùm ipſa triſtitiæ paſſio frigidæ & aridæ ſit complexionis. [*Hæc juxta uniuscujuſque ſtatim, ejúſque regulas ſunt intelligenda.*]

Exteriora illa opera ferventer perage, etſi nullum in iis guſtum ſentias; cruxifixi Domini imaginem complectendo, & pectori applicando; pedes manúſque ei exoſculando: oculos manúſque tuas in cœlum ſuſtollendo; & Dominum verbis amorem & fiduciam inſignem ſpirantibus identidem compellando, qualia ſunt: *Dilectus meus mihi, & ego illi. Faſciculus myrrhæ, Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur; Oculi mei ſemper ad te Domine, dicentes, quando conſolaberis me?* O Jeſu! eſto mihi Jeſus: veniat Jeſus, & anima mea vivet. *Quis me ſeparabit à charitate Dei?* & alia id genus.

Moderata flagellatio bonum in triſtitia remedium eſt; quod voluntaria illa afflictio exterior, interiorem impetret conſolationem; & anima dolores ſentiens exteriores: internis minus attendat. [*Hoc remedio tamum utendum eſt, quando & quantùm à Superioribus expedire videbitur.*]

Sanctæ Communionis frequentatio huc quàm maximè conducit; hic quippè cœleſtis panis animam corroborat: & ſpiritum exhilarat.

Omnes triſtitiæ tuæ ſenſus, affectus & ſuggeſtiones humiliter, & fideliter Confeſſario, aut animæ tuæ directori communica; hominum ſpiritualium conſortia quære: eóſque tunc temporis potiſſimùm, & quàm potes maximè, frequenta.

Denique reſigna te in manus Dei: diſponens te ad moleſtam & tædioſam hanc triſtitiam magna cum patientia, ceu ob juſtam vanorum tuorum gaudiorum punitionem, tolerandam. Et noli dubitare, quin

Deus, poſtquam aliquantiſper te probaverit; ab hoc ſit malo te liberaturus.

De divino petendo auxilio & confidentia recuperandæ gratiæ. lib. 3. de Imitatione. cap. 30.

1. Fili *ego Dominus, confortans in die tribulationis.* Venias ad me cùm tibi non fuerit bene. Hoc eſt quod maximè impedit conſolationem cæleſtem; quia tardiùs te convertis ad orationem. Nam antequam me intentè roges ꝰ multa interim ſolatia quæris; ut recrees te in externis. Ideóque fit, ut parum proſint omnia ꝰ donec advertas, quia *ego ſum qui eruo ſperantes in me*: nec eſt extra me valens conſilium neque utile, ſed neque durabile remedium. Sed jam reſumpto ſpiritu poſt tempeſtatem reconvaleſce in luce miſerationum mearum ꝰ quia propè ſum ego Dominus ut reſtaurem univerſa; non ſolùm integrè, ſed & abundanter & cumulatè. *Nah.1.7.* *Pſ.11.6.*

2. *Numquid mihi quidquam eſt difficile*, aut ero ſimilis dicenti, & non facienti? Ubi eſt fides tua? Sta firmiter & perſeveranter. Eſto longanimis & fortis vir; veniet tibi conſolatio in tempore ſuo. Expecta me, expecta: veniam, & curabo te. Tentatio eſt, quæ te vexat: & formido vana, quæ te exterret. Quid importat ſolicitudo de futuris contingentibus ꝰ niſi *ut triſtitiam ſuper triſtitiam habeas*? *Sufficiat diei malitia ſua.* Vanum eſt & inutile de futuris contingentibus conturbari, vel gratulari; quæ fortè nunquam evenient. *Ier.32.27.* *Phi.2.27.* *Mat.34.*

3. Sed humanum eſt hujuſmodi imaginationibus illudi: & parvi adhuc animi ſignum tam leviter trahi à ſuggeſtione inimici. Ipſe enim non curat utrùm per verum, an falſum illudat & decipiat; utrùm præſentium amore, aut futurorum formidine proſternat. *Non ergò turbetur cor tuum, neque formidet. Crede in me*, & *in miſericordia mea habeto fiduciam.* Quando tu putas te elongatum à me; ſæpe ſum propinquior. Quando tu æſtimas penè totum perditum: tunc ſæpe majus merendi inſtat lucrum. Non eſt totum perditum quando res accidit in contrarium. Non debes judicare ſecundum præſens ſentire ꝰ nec ſic gravitati alicui undecumque venienti inhærere; & accipere, tanquam omnis ſpes ſit ablata emergendi. *Io.14.1. & 17.* *Pſ.11.6.*

4. Noli putare te relictum ex toto ꝰ quamvis ad tempus tibi miſerim aliquam tribulationem, vel etiam optatam ſubtraxerim conſolationem: ſic enim tranſitur ad regnum cælorum. [*Hic habes fidelitatem Dei in præſtandis auxiliis evidenter & clarè expreſſam.*] Et hoc ſine dubio magis expedit tibi & omnibus ſervis meis, ut exercitemini adverſis; quàm ſi cuncta ad libitum haberetis. Ego novi cogitationes abſconditas ꝰ quia multùm expedit pro ſalute tua ut interdum ſine ſapore relinquaris;

ne fortè eleveris in bono ſucceſſu, & tibiipſi placere velis in eo quod non es. Quod dedi auferre poſſum; & reſtituere cùm mihi placuerit.

5. Cùm dedero, meum eſt; cùm ſubtraxero, tuum non tuli: quia meum eſt omne datum bonum, & omne donum perfectum. Si tibi immiſero gravitatem, aut quamlibet contrarietatem : ne indigneris, neque concidat cor tuum; ego citò ſublevare poſſum, & omne onus in gaudium tranſmutare. Verumtamen juſtus ſum, & commendabilis multùm: cùm ſic facio tecum.

6. Si rectè ſapis, & in veritate aſpicis : nunquam debes propter adverſa tam dejectè contriſtari, ſed magis gaudere, & gratias agere; immò
Iob.6 10. hoc unicum reputare gaudium, quòd *affligens te doloribus, non parco tibi.*
Io. 15. 9. *Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos*, dixi dilectis meis Diſcipulis :
quos utique non miſi ad gaudia temporalia, ſed ad magna certamina :
non ad honores, ſed ad deſpectiones : non ad otium, ſed ad labores:
Io.15.16. non ad requiem, ſed *ad afferendum fructum multum in patientia.* Horum
Luc.8.15. memento, fili mi, verborum.

Hic apertè habes quid ſibi velit piiſſimus auctor per recuperationem gratiæ.

LECTIO QUADRAGESIMA NONA.

De ſpiritualibus & ſenſibilibus conſolationibus : & quomodo ſe in iis gerere homo debeat. De gratitudine pro gratia Dei : & quod homo nihil boni à ſe habet & de nullo gloriari poteſt.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Ego didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare : ubique & in omnibus inſtitutus ſum : & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo qui me confortat. Epiſt. ad Philip. cap. 4. verſ. 11.

In omnibus gratias agite : hac eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu : in omnibus vobis. Epiſt. 1. ad Theſſa. cap. 5. verſ. 18.

Ego ſum minimus Apoſtolorum : qui non ſum dignus vocari Apoſtolus: quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit : ſed abundantius omnibus illis laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Epiſt. 1. ad Cor. cap. 15. verſ. 9.

Quid autem habes, quod non accepiſti : ſi autem accepiſti, quid gloriari quaſi non acceperis? Epiſt. 1. ad Cor. cap. 4. verſ. 7.

Hæc

Hæc Sacri textûs verba docent. 1. Quale eſſe debeat animæ tuæ ſtudium, propoſitum & intentio inter varios hujus vitæ ſtatus, ubi non magis adhærendum eſt his quæ placent, quàm quæ diſplicent ꝰ & utroque utendum cum animi reſignatione divino beneplacito. 2. Omni tempore gratias Deo eſſe referendas & recognoſcendum quid ab eo & quid à te habeas. Sed eorum praxim uterque magiſter in ſequentibus edocebit.

De ſpiritualibus & ſenſibilibus conſolationibus & quomodo ſe in his homo gerere debeat. lib. 4. Introduct. cap. 13.

MUndum hunc Deus in perpetua quadam conſervat viciſſitudine ꝰ ita fit, ut dies ſemper in noctem tranſeat, & hyems in ver perpetuâ quadam alternatione convertatur:& dies unus alteri per omnia nunquam ſit ſimilis. Hos enim videre eſt nebuloſos, illos pluvios, alios aridos, alios denique ventoſos: quæ certè varietas & viciſſitudo inſigne huic univerſo addit ornamentum. Idem omninò in homine, qui juxta veterum ſententiam, quoddam mundi compendium eſt; videre licet ꝰ nunquam enim is in eodem ſtatu permanet:& vita ejus ſuper terram velut aqua fluit, in perpetua quadam motuum varietate & diverſitate fluctuans & refluctuans. Modo namque ſpe ſuſtollitur, modo timore dejicitur ꝰ modo per conſolationes in dexteram, modo per afflictionem in ſiniſtram vergit: & nunquam vel unus vitæ illius dies, imò nec hora quidem, per omnia & totaliter priori & alteri ſimilis eſt.

Egregium hoc documentum eſt. Demus ergò operam, ut continuam & inviolabilem quamdam, in tanta accidentium & caſuum inæqualitate, æquabilitatem cordis habeamus; & licet omnia diverſimodè circa nos vertantur & volvantur, nos nihilominus conſtanter immobiles maneamus in Deo ſemper intuendo, ſpectando, & ad eum tendendo. Navis eum curſum teneat quem voluerit ꝰ in Orientem & Occidentem, Meridiem aut Septentrionem, aut quocumque libuerit, feratur; nunquam tamen nautica ejus acus aliud ſpectabit quàm polum ſuum & cynoſuram. Etſi omnia, non dico circa nos, ſed intra nos, id eſt, anima noſtra contriſtetur aut gaudeat ꝰ dulcedine repleta ſit vel amaritudine ꝰ in pace agat, aut bello ꝰ claritas eam illuſtret, vel tenebræ obnubilent ꝰ tentationibus exagitetur, aut quieta ſit; conſolationibus perfundatur, aut deſolationibus dejiciatur ꝰ in ariditate vivat, vel teneros quoſdam ſentiat affectus ꝰ ſol eam exurat, vel ros refrigeret; ſemper tamen & inceſſanter cordis, ſpiritus, & voluntatis noſtræ ſuperioris (quæ noſtra velut acus nautica eſt) apex ad Dei Creatoris, Salvatoris, atque unici &

ſupremi boni ſui amorem reſpiciat, & perpetuò tendat. *Sive morimur, ſive vivimus*, inquit Apoſtolus: *ſemper Domini ſumus. Et quis nos ſeparabit à charitate Dei?* nihil certè nos unquam ab hac charitate ſeparabit; non tribulatio, non anguſtiæ, non mors, non vita; non dolor præſentium, non futurorum accidentium timor: non conſolationum altitudo, non afflictionum profunditas; non teneritudo, non ariditas poterit nos ſeparare à charitate: quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Solidum & infractum hoc nunquam Deum deſerendi, aut dulcem ejus amorem repudiandi propoſitum animabus noſtris velut æquipondium eſt: ad eas in ſancta æquabilitate & juſto pondere. in tanta diverſorum motuum, quos vitæ hujus conditio, in ipſis cauſat, inæqualitate, conſervandas. Sicut enim apes, cum ventus ipſas derepentè occupat; lapillos & calculos quoſdam velut libramentum quoddam arripiunt: ut per aëra volantes, non tam citò & facilè huc & illuc à ventorum turbine abripiantur. Sic anima noſtra poſtquam per propoſitum generoſum pretioſum Dei amorem apprehendit; inter conſolationum ac deſolationum, tam ſpiritualium, quàm corporalium, tam exteriorum, quàm interiorum inconſtantiam ac viciſſitudinem: conſtans & firma permanet.

Sed præter doctrinam hanc generalem: particularibus quibuſdam documentis & præceptis opus habemus.

Dico ergo primò, devotionem non in ſenſibili quâdam cordis dulcedine, ſuavitate, & conſolatione quæ lacrymas & gemitus eliciat; & neſcio quem gratum & ſapidum in exercitiis quibuſdam ſpiritualibus guſtum nobis det: conſiſtere. Neque enim hæc, & devotio, cariſſima Philothea, unum ſunt. Siquidem multæ ſunt animæ, quæ has quidem conſolationes habent; interim tamen valdè vitioſæ ſunt: ac proinde verum Dei amorem, multò etiam minùs veram aliquam devotionem, non habent. Saul miſerum Davidem quo eum neci daret, qui proinde per deſerta Engaddi à facie ejus fugiebat, perſequens; ſolus in eam ſpeluncam, in qua David cum ſociis ſuis latebant: ingreſſus eſt. David, qui millies eum hic interficere potuiſſet, ejus vitæ pepercit; imò ne timorem quidem ullum ei incuſſit: ſed eum liberum abire paſſus, poſtea ei inclamavit, quò ſuam ei ſinceritatem oſtenderet, & ſuam vitam ipſius in poteſtate fuiſſe declararet. Quid non deindè fecit Saul, quò animum ſuum erga Davidem jam mitiorem eſſe factum oſtenderet? filium eum vocat; in lachrymas & fletum elatiorem prorumpit; illius clementiam & manſuetudinem celebrat; Deum pro ipſo rogat; futuram ipſius magnitudinem præſagit: denique quos poſt ſe relicturus erat filios & nepotes, ei commendat. Majoremne Saul lenitatem & animi affectum teſtari poterat? attamen animum & mentem ſuam non mutaverat: tam inſensè & atrociter poſtea Davidem perſequens, quàm perſecutus

erat prius. Conſimili modo quidam ſunt, qui cùm Dei bonitatem, & paſſionem Domini conſiderant, inſigni commiſeratione permoventur ⁊ quæ ipſos ſuſpirare, lachrymari, orate ⁊ & in valdè ſenſibiles gratiarum actiones prorumpere facit; adeò magnâ cor eorum devotione æſtuare quis diceret. Sed accedente tentatione ⁊ facilè videre eſt, quod ſicut tranſitorius æſtatis cujuſdam æſtuantiſſimæ imber, magnis guttis in terram decidens, ipſam non penetrat, & nonniſi ad fungos producendos conducit; ſic haſce lachrymas, & hos miſerationis ſenſus in animum vitioſum delabentes, non ipſum penetrantes, prorſus ei inutiles eſſe, nec ad aliquid boni conducere. Si quidem ne minimam partem reſtituere eorum quæ iniquè poſſident ⁊ pravis ſuis affectibus non renunciare ⁊ ne vel minimum propter Dominum Jeſum, cujus cauſa ante paulò lachrimati ſunt, ſubire incommodum vellent. Adeò ut boni illi, quos habuêre, motus, nonniſi velut fungi quidam ſpirituales ſunt, qui non ſolùm vera non ſunt devotio; ſed ſæpe inſignis cacodæmonis impoſtura. Hic enim animas parvis hiſce conſolatiunculis demulcens & illiciens, facit ⁊ ut iis prorſus contentæ maneant: maximéque ſibi in iis complaceant. Idque, ne veræ & ſolidæ devotioni, quæ in conſtanti, firma & prompta faciendi, quicquid Deo placere novimus, voluntate conſiſtit: quærendæ inſiſtant.

Puer tenerrimè & affectuoſiſſimè plorabit, ſi matri ſuæ venam à chirurgo incidi videat; at ſi mater, cujus cauſa flebat, eo ipſo tempore. pomum aut ſacchareos globulos quos ipſe manibus tenet, ab illo petat: nullatenus ei cedet. Tales ut plurimum ſunt teneræ devotiunculæ ⁊ namque à lancea Jeſu Chriſti crucifixi cor confoſſum videntes: amariſſimè flemus. Benè quidem ſe habet, Philothea, quod ob doloroſam patris & Redemptoris noſtri mortem ac paſſionem ploremus ⁊ ſed, cur non cedimus ei libenter pomum, quod in manu habemus, quodque ipſe tam inſtanter à nobis poſtulat ⁊ cor inquam noſtrum, quod amantiſſimus ille Redemptor à nobis requirit? quin ei cedimus & tradimus tot parvas affectiunculas & complacentias, quas ille nobis è manibus eripere quidem vellet, at non poteſt, quòd iis fortiùs adhæremus quam gratiæ illius cæleſti? Sunt hæ, nonniſi puerorum amicitiæ ⁊ teneræ quidem ſed debiles: ſed vanæ, ſed nullius omninò effectûs. Non ergò in hiſce ſenſibilibus affectibus, qui ſæpè ab ipſa natura, aliquando etiam ab ipſo cacodæmone cauſantur, deuotio conſiſtit.

Hæ tamen affectus ſuavitates aliquando & optimæ, & utiliſſimæ ſunt: quod animæ appetitum excitent, animam corroborent, & ad ipſam devotionis promptitudinem ſanctam quamdam addant hilaritatem, quæ actiones noſtras & decorat, & gratas etiam quoad exteriora reddit. Atque hic eſt ille rerum divinarum guſtus & ſapor, quem David vates, ſentiens exclamabat, *Quam dulci a faucibus meis eloquia tua ſuper mel & favum ori meo.* Et ſanè, vel minima devotionis conſolatio quâ perfundi-

mur : per omnia exquiſitiſſimis mundi conſolationibus & recreationibus præponderat & potior eſt. *Ubera & lac*, id eſt ſponſi cæleſtis recreationes : *meliora ſunt* animæ pretioſiſſimo voluptatum terrenarum *vino*. Illa enim qui guſtavit, reliquas omnes conſolationes fellis & abſynthii inſtar reputat. Et quemadmodum qui herbam Scythicam ore continent ; tam ſingularem ex ea dulcedinem ſentiunt, ut nullam aut famem aut ſitim ſentiant: ſic ii quibus Deus cæleſte hoc dulcedinum & conſolationum internarum manna impertivit ; nullas omninò mundi hujus conſolationes deſiderare aut admittere poſſunt: ſaltem ad guſtum aliquem ex iis percipiendum, aut affectu illis adhærendum. Sunt hæc quippe prægustus & promulſides quædam dulcedinum & voluptatum illarum immortalium, quas Deus dat animabus quærentibus ſe : ſunt item ſaccharum,quod parvulis ſuis dat,ad illos alliciendum & attrahendum ; ſunt aquæ cardiacæ, quas ad ipſos confortandos Deus propinat & dat :ſubinde quoque ſunt quædam divinarum retributionum arrhæ. Dicitur Alexander Macedo, eminùs & in mari adhuc navigans ; primus felicem Arabiam, ex odorum ſuavium quos aura ei afflabat, olfactu detexiſſe & percepiſſe : unde & ſeipſum & ſuos omnes, ad eam adeundam animavit. Pari modo & nos, in hoc vitæ mortalis & ærumnoſæ pelago, ſubinde quaſdam dulcedines & ſuavitates ſentimus ; quæ patriæ illius cæleſtis, ad quam omnes tendimus, aſpiramus, & navigamus; delicias & recreationem haud dubiè prælibare & præſentire nos faciunt. Sed inquies, cùm quædam ſenſibiles conſolationes bonæ ſint, & à Deo proveniant ; & aliæ vice verſâ inutiles, periculoſæ, imò & pernicioſæ ſint, aut à natura, aut ab ipſo ſalutis noſtræ adverſario cauſatæ, ; quomodo has ab illis diſcernere potero, & malas inutilésve à bonis diſtinguere ? communis doctrina eſt, cariſſima Philothea, animarum noſtrarum affectus & paſſiones è fructibus ſuis nobis eſſe cognoſcendos. Animi noſtri velut arbores ſunt, affectus & paſſiones eorum ſunt rami; eorum denique opera & actiones fructus. Animus ille bonus eſt, qui bonos habet affectus ; affectus illi & paſſiones boni ſunt : qui bonos in nobis effectus & ſanctas actiones producunt. Si ergò ſuavitates illæ & conſolationes nos faciant humiliores, patientiores, benigniores affabiliores ; & rebus proximi compatientiores ; in concupiſcentiis & pravis inclinationibus noſtris mortificandis ferventiores ; in exercitiis noſtris ſpiritualibus conſtantiores ; erga eos quibus obedientiam debemus, obſequentiores ; denique in omni vitæ noſtræ ratione ſinceriores : certiſſimum ſignum eſt, Philothea, eas à Deo provenire.

At ſi ſuavitatum illarum dulcedo nonniſi circa nos verſatur ; ſi nos curioſos, moroſos, aſperos, impatientes, pervicaces, arrogantes, præſumptuoſos, erga proximum immites faciat ; denique ſi nos ob eaſdem velut quaſi ſanctos circumſpicientes aliorum directioni & correctioni ſubeſſe nolimus; falſæ & pernicioſæ conſolationes indubiè ſunt. Arbor bona namque non niſi bonos profert fructus.

Primò ergò, quando id genus dulcedinis & conſolationis ſentiemus ; inſigniter nos coram Deo humiliemus: caveamúſque ne propter illas dicamus. Hem quàm ſum bonus? Nequaquam, Philothea ; bona quippe ea ſunt, quæ nos non faciunt meliores. Sicut enim dixi, in hoc vera devotio ſita non eſt. Sed dicamus ; Quàm bonus Iſraël Deus iis qui ſperant in illum: animæ quærenti illum. Qui ſaccharum in ore haber, dicere nequit os ſuum dulce eſſe, ſed ſaccharum ; pari modo, etſi hæc ſpiritualis dulcedo valdè bona ſit, & Deus eam dans ſit optimus; inde tamen non ſequitur, eum qui ipſam ſentit, bonum eſſe.

Secundò, agnoſcamus nos adhuc velut infantes eſſe, qui lacte habeamus opus ; & ideò nobis ſaccharum hoc datum, quod ſpiritum adhuc tenerum habeamus & delicatum: qui illiciis & adeſcationibus quibusdam opus habet quibus ad Deum amandum moveatur.

Tertiò, generaliter & prout plerumque contingit, loquamur ; has gratias magna cum animi humilitate recipiamus, eaſque plurimi faciamus, non tam ob id quod in ſe ſunt: quàm quod à manu Dei nobis ſuppeditentur. Non ſecùs ac ſi mater, quò infantem ſuum placaret & leniret: ſuamet manu ſacchareos paſtillos unum poſt alium ori illius ingereret. Si enim infans ſenſu & ratione uteretur ; pluris certè dulcedinem blanditiarum quas ſibi mater oſtendit, faceret: quàm ipſum ſaccharum aut tragemata. Eodem modo, multùm quidem eſt, Philothea, conſolationes & dulcedines habere ac ſentire ; verùm dulcedo dulcedinum eſt: conſiderare Deum ipſum amoroſâ & paternâ ſuâ manu eas nobis in os, in cor, in animam, in ſpiritum ingerere.

Quartò, poſtquam jam eas cum hac animi demiſſione admiſerimus ; ſolicitè & debitè juxta intentionem ejus à quo eas recepimus; illas uſurpemus. Ad quid enim putamus has nobis Deum dulcedines immittere? ut nimirum per eas erga unumquemque nos benignos reddat: & ſimul in ſui amorem rapiat. Ideò mater filio ſuo ſaccharum dat, ut ipſi det oſculum. Illum ergò Salvatorem oſculemur, qui tot nobis ſuavitates, delicias & tragemata elargitur. Salvatorem verò oſculari, eſt illi obedire ; mandata ejus ſervare, voluntatem ejus exequi ; deſideriis illius per omnia acquieſcere; denique tenerè cum obedientia & fidelitate eum amplecti. Ubi ergò conſolationem aliquam ſpiritualem recepimus ; danda eo die opera eſt; ut in bonis operibus faciendis, noſque humiliando, ſolitò ſimus diligentiores.

Quintò, præterea hujusmodi ſuavitatibus, & conſolationibus ſubinde renuntiare nos oportet ; cor noſtrum ab illis avocando; & affirmando, quod, quamvis illas cum humilitate recipiamus, & adeò illas caras habeamus, quòd à Deo veniant, & ad eum amandum nos provocent; tamen non tam eas, quàm Deum & ſanctum amorem ejus quæramus ; non tam conſolationem quam conſolatorem ambiamus ; non tam dulcedinem, quàm dulcem Salvatorem: non tam amorem, quàm eùm qui cœli ſimul

& terræ delicium eſt. Et hoc in affectu ,ſtatuamus firmi & conſtantes in ſancto Dei amore perſeverare, nec eum unquam dimittere ; licet, quamdiu vivimus , nullam unquam ſentire conſolationem & dulcedinem deberemus ; & æquè , tam in monte Calvariæ, quàm in Tabor, dicere : Bonum eſt me eſſe tecum Domine , ſive in cruce moriaris , ſive gloriâ refulgeas.

Sextò, hoc demum te monitam volo , ut, ſi notabilis quædam hujusmodi conſolationum , lachrymarum & ſuavitatum abundantia te circumflueret , aut inſolitum quid in illis tibi accideret ; fideliter id directori & conductori tuo aperias : ut diſcas & intelligas , quo in iis modo te gerere ;¦ & quàm moderatè procedere debeas. Scriptum eſt enim : *Inveniſti mel ? quantum tibi ſatis eſt, ex eo comede.*

De gratitudine pro gratia Dei lib. 2. de Imitatione cap. 10.

1. CUr quæris quietem cùm natus ſis ad laborem ? Pone te ad patientiam magis , quàm ad conſolationem ; & ad crucem portandam magis, quàm ad lætitiam. Quis enim ſæcularium non libenter conſolationem & lætitiam ſpiritalem acciperet , ſi ſemper obtinere poſſet ? Excedunt enim ſpirituales conſolationes ; omnes mundi delicias & carnis voluptates. Nam omnes deliciæ mundanæ : aut turpes , aut vanæ ſunt. Spirituales verò deliciæ ſolæ jucundæ & honeſtæ ; ex virtutibus progenitæ ; & à Deo puris mentibus infuſæ. Sed iſtis divinis conſolationibus nemò ſemper pro ſuo affectu frui valet : quia tempus tentationis non diù ceſſat.

2. Multùm contrariatur ſupernæ viſitationi falſa libertas animi ; & magna confidentia ſui. Deus bene facit conſolationis gratiam dando ; ſed homo malè agit non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo. Et ideò non poſſunt in nobis dona gratiæ fluere ; quia ingrati ſumus auctori , nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia dignè gratias referenti ; & auferetur ab elato, quod dari ſolet humili.

3. Nolo conſolationem , quæ mihi aufert compunctionem ; nec affecto contemplationem ; quæ ducit in elationem. Non enim omne altum, ſanctum ; nec omne deſiderium , purum ; nec omne dulce, bonum ; nec omne carum, gratum Deo. Libenter accepto gratiam unde humilior & timoratior inveniar ; atque ad relinquendum me paratior fiam. [*Hic attentiùs obſerva quales ſint gratiæ quas pluris æſtimare debeas ; & quæ ſit divina diſpenſationis ratio erga pias animas cum gratias concedit , quarum poſteà privationem vult eas ferre & experiri per illarum ſubſtractionē. Hæc enim privatio eſt lectio magni magiſtri & optimi patris correctio.*] Doctus

dono gratiæ, & eruditus ſubtractionis verbere non ſibi audebit quidquam boni attribuere: ſed potiùs ſe pauperem & nudum confitebitur. Da Deo quidquid Dei eſt; & tibi adſcribe quod tuum eſt: hoc eſt, Deo gratias pro gratia tribue, tibi autem ſoli culpam & dignam pœnam pro culpa deberi ſentias.

4. Pone te ſemper ad infimum, & dabitur tibi ſummum; nam ſummum non ſtat ſine infimo. Summi Sancti apud Deum minimi ſunt apud ſe. Et quantò glorioſiores; tantò in ſe humiliores. Pleni veritate & gloria cæleſti non ſunt vanæ gloriæ cupidi. In Deo fundati & confirmati: nullo modo poſſunt eſſe elati. Et qui totum Deo adſcribunt quidquid boni acceperunt, gloriam ab invicem non quærunt ⁊ ſed gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, volunt: & Deum in ſe & in omnibus Sanctis laudare ſuper omnia cupiunt, & ſemper in idipſum tendunt.

5. Eſto igitur gratus pro minimo; & eris dignus majora accipere. Sit tibi minimum etiam pro maximo; & magis contemptibile pro ſpeciali dono. Si dignitas datoris inſpicitur; nullum datum parvum, aut munus vile videbitur. Non enim parvum eſt quod à ſummo Deo donatur. Etiam ſi pœnas & verbera donaverit, gratum eſſe debet: quia ſemper pro ſalute noſtra facit quidquid nobis evenire permittit. Qui gratiam Dei retinere deſiderat ⁊ ſit gratus pro gratia data; patiens pro ablata. [*Hic ſole clarius vides hanc gratiæ ſubſtractionem; de conſolatione ſenſibili à piiſſimo authore intelligi.*] Oret, ut redeat; cautus ſit & humilis ne amittat.

Ne amittat; videlicet ſuâ culpâ. Quidquid enim ex te præſtare potueris ⁊ non poteſt impedire, quin à te ſubtrahatur ſecundum Dei beneplacitum: prout tibi dicetur primo ſequentis capituli articulo.

Quod homo nihil boni ex ſe habet & de nullo gloriari poteſt. lib. 3. de Imitatione. cap. 40.

1. D*Omine, quid eſt homo quòd memor es ejus ⁊ aut filius hominis, quia viſitas eum?* Quid promeruit homo, ut dares illi gratiam tuam? Domine, quid poſſum conqueri ſi deſeris me? aut quid juſtè obtendere poſſum, ſi quod peto non feceris? Certè hoc in veritate cogitare poſſum, & dicere ⁊ Domine nihil ſum, nihil boni ex me habeo; ſed in omnibus deficio, & ad nihil ſemper tendo. Et niſi à te fuero adjutus, & interiùs informatus; totus efficior tepidus & diſſolutus. Pſ. 8. 5.

2. *Tu autem, Domine, ſemper idem ipſe es*, & permanes in æternum ⁊ Pſ. 101. 13.
ſemper bonus, juſtus & ſanctus: bene, juſtè ac ſanctè agens omnia, & diſponens in ſapientia. Sed ego qui ad defectum magis pronus ſum, quàm ad profectum ⁊ non ſum ſemper in uno ſtatu perdurans: quia ſeptem tempora mutantur ſuper me. Verumtamen citò meliùs fit

LECTIO QUINQUAGESIMA.

De Spiritualibus ariditatibus & ſterilitatibus ; & de carentia omnis ſolatij ; aliiſque ad hunc animæ ſtatum ſpectantibus.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

Nos ipſi primitias ſpiritûs habentes ; & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes : nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. Similiter autem & ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtram ; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus : ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda ; ſcit quid deſideret ſpiritus : quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ; iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Epiſt. ad Rom. cap. 8. verſ. 23.

Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu : perſecutionem patientur. Epiſt. 2. ad Timot. cap. 3. verſ. 12.

Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora ejus ; cum autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium : quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis ; iterùm autem videbo vos : & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis Joan. cap. 16. verſ. 21.

Hæc Sacri textûs verba innuunt interiores anxietates in hac vita ab anima neceſſariò eſſe ferendas ; ſentiendo oppoſitiones & contradictiones ſenſuum & cogitationum : quæ adverſus ſpiritum concupiſcunt eique reluctantur. Et ideò determinet ſe ad perſecutiones ſuſtinendas, & quaſi parturitionem ſpiritûs faciendam : à qua obſtetricante manu Dei liberabitur & conſolatione perfundetur. Hoc arcanum uterque doctor in ſequentibus aperiet.

De ſpiritualibus ariditalibus & ſterilitatibus. lib. 4. Introductionis. cap. 14.

Cum ergò conſolationibus perfunderis, Philothea ; id quod jam conſului & præſcripſi, tibi erit obſervandum : at amica &

optabilis illa ſerenitas non diu durabit. Quin è contra ita te continget nonnunquam omni devotionis ſenſu privari, & deſtitui: ut animam tuam ſicut terram deſertam & ſterilem putatura ſis, in qua nulla vel ſemita, vel via ad Deum inveniendum appareat ⌐ neque ulla gratiæ aqua à qua irrigetur: idque ob nimias ariditates, quæ eam totaliter ſilveſcentem & incultam ſunt reddituræ. Eheu! quàm anima hæc quæ hoc in ſtatu verſatur, digna compaſſione eſt: & maximè, cùm malum hoc vehemens & intenſum eſt. Tunc quippe ei, ad imitationem Davidis, lachrymæ ſunt panes die ac nocte. Interim inimicus ſexcentas per ſuggeſtiones, quò eam ad deſperationem adigat, ei inſultat, dicens ⌐ miſella, ubi eſt Deus tuus? quâ eum viâ invenies? quis reddet tibi ſanctæ illius gratiæ lætitiam?

Quidergò tunc facies, Philothea mea? Nota & vide, undenam malum ortum ſuum habeat? ſæpe namque ipſimet noſtrarum ariditarum cauſa ſumus.

Primò, ſicut mater tum puello ſuo ſaccharum dare renuit, dum eum vermibus obnoxium novit ⌐ ſic ſæpe tunc nobis Deus conſolationes aufert, cùm vanè in iis nobis complacemus: & arrogantiæ ac vanæ gloriæ vermes ex illis excreſcunt. Bonum mihi, Domine, quia humilias me: nam antequam humiliarer, te offenderam.

Secundò, cùm ſuo in tempore amoris divini ſuavitates colligere negligimus: tunc ipſe, in negligentiæ noſtræ caſtigationem, à nobis recedit ac ſe ſubducit. Iſraëlitæ, qui ſummo mane colligere manna negligebant ⌐ ſole jam exorto, ipſum colligere non poterant, tunc quippe liquefactum velut cera diffluxerat.

Tertiò, nonnunquàm in ſenſualium deliciarum, & periturarum conſolationum lecto molliter recumbimus, uti ſacra illa Canticorum ſponſa ⌐ & ecce, animarum noſtrarum ſponſus, ad cordis noſtri januam pulſat, nobis inſpirans, ut ſpiritualia exercitia noſtra reſumamus: nos verò ei aperire tergiverſamur, quod permoleſtum nobis ſit vanas illas recreationes amittere, & falſis illis delectationibus nuntium remittere. Unde ipſe, velut indignabundus, pertranſit: noſque in noſtra miſeria agere & repere ſinit. Hinc, cùm rurſum quærere eum volumus: nonniſi poſt ſummam difficultatem eum invenire poſſumus. Et certè non immeritò ⌐ quòd in illius amore ita infidi & perfidi fuerimus: ut, quò rebus mundanis frueremur, illum exercere noluerimus. Habes itaque farinam Ægyptiam, quamobrem manna cælicum non habebis. Odores compoſitos & artificiales apiculæ fugiunt & abhorrent: ſic Spiritus ſancti ſuavitates cum adulterinis mundi deliciis ſimul nequeunt conſiſtere. [*Quicquid hîc à S. Doctore dicitur pro ſecularibus ⌐ à Religioſis poſſunt applicari delectationibus ſenſibilibus: quæ cum aliqua adhæſione ſtudioſius exquiruntur.*]

Quartò, ipſa duplicitas ſpiritûs, & ſubdola in confeſſionibus & com-

municationibus ſpiritualibus cum animæ directore factis procedendi ratio ariditates & ſterilitates cauſant ⁊ cùm enim Spiritui ſancto mentiaris: mirùm certè non eſt ſuam illum tibi denegare conſolationem. Non vis eſſe ſimplex & ſincerus ad inſtar parvuli: parvulorum ergò ſaccharum tibi non dabitur.

Quintò, mundanis ad os uſque recreationibus & voluptatibus repleta es. Minimè ergò mirum ſpirituales tibi delicias deſipere. Aſinus ſatur, ut proverbio dicitur, non edit carduos, & ventri pleno deſipiunt tragemata. *Eſurientes*, ait B. Virgo, *replevit bonis, & divites dimiſit inanes.* Et qui voluptatibus mundanis pleni & ſaturi ſunt: ſpiritualium minimè ſunt capaces.

Sextò, ſi receptarum conſolationum fructum ſedulò conſervâris: novas mereberis recipere. Habenti enim omni dabitur ⁊ ab eo autem qui quod recepit, non habet, ſed ſuâ id culpâ amiſit: etiam id auferetur quod non habet. Id eſt, gratiis quæ ei præparatæ erant privabitur. Pluvia, uti videmus, plantas adhuc virentes vivificat ⁊ at non virentibus & virorem non habentibus, illam quoque vitam aufert quam habent: quia per illius humorem penitus computreſcunt.

Ob tales, & alias id genus cauſas, non paucas internas mentis conſolationes amittimus: & in ſpiritûs ariditatem & ſterilitatem incidimus. Examinemus itaque conſcientiam, num hujuſmodi in nobis defectum aliquem notemus. At nôris, cariſſima Philothea, non eſſe hoc examen aliqua cum inquietudine & nimia curioſitate inſtituendum ⁊ at poſtquam omnes noſtros nutus, & actus quoad hoc, fideliter excuſſerimus: ſi mali hujus cauſam in nobis ipſis conſiſtere deprehenderimus, gratias Deo agamus. Tunc quippe malum noſtrum media eſt ex parte curatum: cùm ejus cauſa deprehenſa eſt & patuit. At ſi è contra nihil in particulari notas, ac deprehendis, quod hujus ariditatis tibi cauſa fuiſſe videatur ⁊ ulterius in ea curioſius inquirenda progredi noli; ſed, omni cum candore & ſinceritate, ſine ulteriori particularitatis alicujus indagine, facito quod tibi hîc præſcribam.

Primò, quàm potes maximè coram Deo de te, in nihili & miſeriæ tuæ cognitione humilia. Ah, quid ſum, Domine, cùm mea ſum? non aliud certè, quàm terra arida quæ omni ex parte rimas agens, ſatis oſtendit quàm pluvia cæleſti opus habeat. eamve ſitiat: & interea ventus eam diſſipat, & in pulverem redigit.

Secundò, Dei opem invoca, ejuſque ſanctam lætitiam expoſce. *Redde mihi lætitiam*, Domine, *ſalutaris tui. Pater ſi poſſibile eſt, transfer à me calicem iſtum.* Surge aquilo infructuoſe, qui animam meam arefacis ⁊ & veni ſuaviſſime conſolationum Zephyre: perfla hortum meum, & boni affectus ejus odorem ſuavitatis efflabunt.

Tertiò, Confeſſarium tuum adi, & animum tuum planè ei aperi ⁊ omnes illius receſſus & ſinus illi detegendo; ea quæ tibi ſuggeret con-

ſilia gratanter admitte, idque quàm maximâ potes ſinceritate & humilitate. Deus quippe qui obedientiam ſummoperè diligit, & caram cumprimis habet, ſæpè facit: ut quæ ab aliis ſuggeruntur conſilia, & imprimis ab animarum directoribus, etſi aliàs non magnoperè in ſe utilia videantur, fructuoſa evadant. Sicuti Naaman Syro aquas Jordanis ſalubres reddidit: quarum ei Heliſæus, etſi ratio humana reclamare & aliud ſuadere videretur, uſum præſcripſerat.

Quartò, nihil porrò in hujuſmodi ariditatibus & ſterilitatibus utilius, fructuoſius nihil, quàm contentiosè & efflictim non deſiderare, ut ab iis liberemur; non quaſi non poſſimus ſimpliciter deſiderare ab iis liberari: ſed non perditè & magnâ cum contentione. Quod ad Dei nutum nos totos accommodare & fingere debeamus: ut, quamdiu illi placuerit, noſtrâ ille operâ has inter ſpinas & intenſa deſideria utatur. Illi ergò tunc temporis dicamus; *Pater mi, ſi poſſibile eſt, transfer calicem hunc à me*; ſed ſimul magna cum generoſitate & reſignatione addamus, *Verùmtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et quàm poſſumus maximâ animi quiete in hoc nos detineamus. Deus quippe ſanctam hanc noſtram indifferentiam videns, per plurimas nos gratias & favores conſolabitur; ſicuti, dum Abrahamum Patriarcham jam paratum ad filium ſuum Iſaac immolandum vidit: ſatis ei fuit puram hanc in ipſo reſignationem & indifferentiam vidiſſe. Unde, ſuaviſſimâ deinde viſione, & dulciſſimis benedictionibus eum eſt conſolatus. Itaque in omni afflictionum tam corporalium quàm ſpiritualium genere, & in ipſis ſenſibilis devotionis ſubſtractionibus & diſtractionibus, quæ nobis ſubinde contingent; ex toto nos corde, & profundâ quadam cum noſtri ipſorum ſubmiſſione dicere oportet; *Dominus dedit mihi conſolationes, Dominus eaſdem mihi abſtulit, ſit ſanctum ejus nomen benedictum.* Si enim in ſancta hac humilitate perſeveremus; conſolatorias ſuas gratias nobis reddet; ſicuti olim Job, qui in omnibus ſuis afflictionibus eadem verba aſſiduè conſtanterque repetebat, eas reſtituit.

Quintò, in omnibus ariditatibus noſtris animum non deſpondeamus, Philóthea; ſed patiente r exſpectantes, uſque quo conſolationes redeant, ſolitum noſtrum agendi modum ſemper retineamus: neque ullum illarum causâ devotionis exercitium omittamus. Imò, ſi fieri poteſt, bona opera noſtra inaugeamus & multiplicemus; cùm ſalgama liquida cariſſimo ſponſo noſtro dare nequeamus: demus ſicca. Perinde enim id ei eſt, dummodo cor, à quo hæc illi offeruntur: illum perfectè amorem ſtatuerit. Si quando amœnum & gratum eſt ver, plus apes mellis progignunt, & apiculas pauciores. Nam ſereniore illa aura illectæ; uſque adeò mellis per flores collectioni incumbunt; ut nymphularum ſuarum productionis propemodum obliviſcantur. At, ubi ver immite & procelloſum eſt: nymphulas plures, & mellis minùs conficiunt. Quod enim ad mellilegium foras provolare nequeant, ſuæ ſpe-

cici propagationi ſeſe applicant. Sic ſæpe fieri videmus, Philothea; ut, cùm anima ſe in amœno conſolationum ſpiritualium vere agere videt: tota eiſdem colligendis & exſugendis incumbat, at in ſuavium deliciarum ſuarum abundantia pauciora bona opera faciat. E' contrario, mediis in ariditatibus, cùm ſe ſuavibus devotionis ſenſibus privatam videt; ſolida pietatis opera eò magis multiplicat: & in interiore verarum virtutum, puta patientiæ, humilitatis, ſuiipſius abjectionis, reſignationis, & amoris proprij abnegationis generatione, productionéque abundantior eſt.

Errant ergò multi, & præſertim fœminæ, dum putant, quod Deo ſine cordis intimo affectu & ſenſu, impendimus obſequium: divinæ illius Majeſtati minùs gratum eſſe: cùm è contrario, actiones noſtræ ſint adinſtar roſarum, quæ cùm recentes ſunt: plus quidem præferunt elegantiæ & nitoris; at cùm areſactæ plus odoris & virium exerunt. Pari modo licet opera noſtra in ſenſuali cordis affectu facta nobis ſint gratiora, magisque placeant (nobis inquam, qui nonniſi propriam delectationem & recreationem ſpectamus;) in ariditate tamen & ſterilitate obita: plus in Dei conſpectu odoris & valoris continent. Verè, Philothea, cùm in tempore ariditatis noſtræ nos voluntas velut vi quadam compulſos abripiat ad Deo ſerviendum; neceſſe proinde eſt magis ea hinc vigoris & conſtantiæ præferat, quàm in tempore conſolationum. Multùm certè is non pollet, qui pacis tempore & medias inter aulæ oblectationes Principi famulatur; at verè is ſe conſtantem & fidelem erga eum oſtendit: qui duriſſimo belli tempore, medios inter tumultus & perſecutiones ab ejus obſequio non recedit. Unde B. Angela de Foliniaco illam Deo orationem dicebat acceptiſſimam eſſe, quæ vi & coacta fit: id eſt ad quam nos non tam propter guſtum aliquem quem inde habere ſperamus néve ex affectu & inclinatione erga eamdem; ſed purè ad Deo placendum applicamus; quò noſtra nos voluntas velut invitos & coactos impellit, ariditates & impugnantias in hoc occurrentes fortiter perfringens & ſuperans. Idem de reliquis omnibus bonis operibus cenſeo; quò enim majores in iis obeundis contradictiones ac repugnantias, tam exteriores quàm interiores ſentimus: eò illa pluris à Deo fiunt, majorémque mercedem habebunt. Quod in virtutum proſecutione & exercitio minùs proprij commodi à parte noſtra apparet: eò divini amoris puritas magis in ipſa relucet. Tunc matrem puellus libenter oſculatur, cùm hæc illi ſaccharum dedit; ſed, ſi poſt datum abſinthium eam oſculetur: ſignum eſt, magno hunc in illam amore ferri.

Superiùs dicta illuſtri quodam exemplo confirmantur & illuſtrantur. Ibidem. cap. 15.

VErùm ut omnis hæc doctrina fiat evidentior & manifeſtior, quamdam hîc è vita S. Bernardi hiſtoriæ partem viſum eſt aſcribere: quam in docto æquè ac prudenti ſcriptore reperi. Sic igitur ea habet: omnibus propè Deo primùm ſervire incipientibus, & qui nondum per experientiam edidicerunt quid ſint illæ gratiæ ſubtractiones, ac viciſſitudines ſpirituales, non rarò contingit ut, ſenſibilis devotionis ſapore & guſtu, nec non jucundo illo lumine, quod ut in via Domini feſtinent, ipſos invitat & allicit, ipſis deficiente: ſtatim animo penitus cadant, puſillanimes fiant, & quamdam cordis triſtitiam ſentiant. Cujus rei hæc a peritis ſpiritualium redditur ratio: quod natura ratione prædita diu famem pati: & diu ſine aliqua delectatione cæleſti æquè ac terrena, vivere nequeat. [*cauſa & arcana doloris ſenſibilis quem ariditas imprimit: hîc tibi aperiuntur.*] Porrò ſicut animæ, quæ per ſuperiorum delectationum experimentum & ſenſum ſuper ſe evectæ ſunt, viſibilia objecta nullo negotio contemnunt: ita, dum divina providentia ſic diſponente, gaudium ſpirituale ab illis aufertur; nec aliunde quasdam conſolationes terrenas habeant, atque nondum longo uſu didicerint: veri ſolis reditum in patientia exſpectandum eſſe, ipſis videtur quod nec in cœlo, nec in terra agant, & perpetua quadam in nocte, velut ſepultæ, manſuræ ſint. Unde ad inſtar parvulorum ablactatorum, à ſuis uberibus avulſæ, languent, dolent, gemunt, moleſtæ & importunæ redduntur: ac maximè erga ſeipſas. Hoc ipſum contigit cuidam e comitibus nomine Gaufredo Peronenſi, qui non ita pridem Dei ſeſe obſequio mancipârat. Hic ergo derepentè redditus aridus, conſolatione ſpirituali deſtitutus, & tenebris interioribus obſeptus, in memoriam ſibi reducere incepit amicos quos in mundo habuerat: conſanguineos item, & facultates quas jam nuper repudiârat: unde tam gravis eum tentatio cœpit invadere: ut, cùm eam exteriori vultûs & corporis compoſitione celare non poſſet: amicorum ejus intimus illam facilè perceperit. Unde blando ſermone & compellatione in ejus ſe colloquium inſinuans: ſic eum ſecretò allocutus eſt. Quid hoc eſt Gaufrede frater? cur præterquam ſoles, ita cogitabundus & contriſtatus es? Cui Gaufredus, alto ex animo ductis ſuſpiriis nunquam, inquit, quamdiu vivam, perfectè lætabor frater. Alter hæc audiens ſortem ejus miſeratus, & fraterno motus zelo: communem utriuſque patrem adiit S. Bernardum rem omnem ex ordine ei referens. Bernardus Gaufredi viſo diſcrimine, proximam eſt Eccleſiam ingreſſus: quò Deum pro ipſo deprecaretur. Intereà Gaufredus triſtitiâ cor ejus premente & obſidente: caput in lapidem reclinans obdormivit. Non multò poſt uterque ſur-

rexerunt ⁊ ille ab oratione votorum factus compos ⁊ hic à ſomno' ſed facie adeò hilari & ad lætitiam compoſita: ut amicus ille tam evidentem & repentinam in eo mutationem miratus,non potuerit eum non amicè reprehendere ob ea quæ paulo ante illi dixerat. Tum Gaufredus, ſi ante paulò nunquam me quoad vivam gaviſurum dixi ⁊ jam è contra aſſero: nullam me unquam poſthac triſtitiam ſenſurum.

Is fuit tentationis pii hujus viri eventus. Qua in hiſtoria notare te velim, Philothea mea ⁊ primò Deum, ut plurimum iis qui obſequio ſuo primùm ſe dedicant: quemdam cæleſtium deliciarum prægustum & promulſidem dare ſolere ⁊ quo eos & à terreſtribus voluptatibus avocet; & ad divinum amorem conſectandum exſtimulet. Sicuti mater,quò parvulum ſuum ad ubera ſugenda pelliciat: papillas illice melle illinire conſuevit. Secundò, hunc ipſum bonum Deum ſubinde pro ſapienti diſpoſitione & providentia ſua, conſolationum nobis lac & mel auferre ⁊ ut hâc ratione velut ablactati aridum & ſolidiorem virilis cujuſdam devotionis,quæ tentationes ferre didicerit:panem comedere aſſueſcamus. Tertiò, nonnunquam vehementes quaſdam tentationum tempeſtates, medias inter ariditates exoriri ſolere ⁊ ac tum viriliter contra ipſas decertandum eſſe cum illæ à Deo non proveniunt:ariditates tamen magna ſunt cum conſtantia & generoſitate ferendæ,quod ad noſtri exercitium Deus nobis eas immittere ſoleat. Quartò, non debere nos unquam, quantumvis interna tædia & preſſuræ intenſa ſint: prorſus animum abjicere, nec cum Gaufredo illo dicere: *Nunquam exinde ullam amplius lætitiam ſentiam.* Siquidem tenebroſa durante nocte exſpectanda lux eſt: & vice verſâ quantumlibet purâ ſerenitate ſpiritus gaudeat, nunquam dicere debere, *Nunquam contriſtabor, nec animum contraham*: quia, ut monet Sapiens, in die bonorum non debemus immemores eſſe malorum. In adverſis & laboribus ſemper ſperanda meliora ⁊ in proſperis verò timendum: unde tam in illis, quàm in his, nos coram Deo humiliare debemus. Quintò, ſingulare cùmprimis remedium eſſe, amico cuipiam ſpirituali à quo ſolatium & ſubſidium exſpectemus: morbum & malum quo premimur, detegere.

Denique ut huic doctrinæ adeò neceſſariæ finem imponam ⁊ hoc animadverti, quemadmodum omnibus in rebus, ita & in his, Deum Opt. Max. & cacodæmonem inimicum noſtrum diverſa prorſus ſpectare: & diſcrepantes intentiones habere. Deus quippe per has ad inſignem cordis puritatem ⁊ ad totalem proprij noſtri commodi, quantùm ad obſequium ipſius attinet, abnegationem: ad perfectam noſtri ipſorum renuntiationem nos conatur perducere. At diabolus ad hoc connititur, ut animum nos deſpondere ⁊ & ad ſenſuales delectationes propendere & inclinare faciat, atque tam nobis ipſis, quàm aliis moleſti & tædioſi ſimus: ut hâc ratione ſancta devotio traducatur & infametur. At, ſi quæ tibi tradidi documenta, obſerves ⁊ perfectionem tuam,

in eo quod durantibus hiſce afflictionibus internis facies, exercitio tunc maximopere inaugebis. Antequam verò huic tractatui finem imponam ꝉ unum hoc addam, nimirum, ipſas ariditates, faſtidia & tædia ſpiritualia: interdum ab ipſa corporis indiſpoſitione locum habere. Uti dum quis ob nimias vigilias, labores, jejunia exhauſtus, corporis debilitate, capitis gravedine, & aliis id genus infirmitatibus oppreſſus gemit ꝉ quæ licet propriè à corpore dependeant: ſpiritui tamen & animo, quod ſumma ſit inter utrumque conjunctio & vinculum, etiam nocent. Hoc ubi contingit, meminerimus plurimos virtutum actus, ſpiritûs & voluntatis ſuperioris adminiculo exercere ꝉ nam licet anima noſtra dormire, & ſopore & laſſitudine penitus oppreſſa tunc videatur: non tamen ideò ſpiritûs noſtri actiones Deo quàm maximè placere deſinunt. Ideóque tunc temporis cum ſponſa ſacra dicere poſſumus: *Ego dormio, ſed cor meum vigilat.* Et quemadmodum ſupra monui, licet hoc in exercitio, & ſic faciendo, minus ſaporis & guſtûs ſentiamus: plus tamen in eo meriti eſt, & virtutis majoris occaſio. Sed optimum tum remedium: eſt legitimâ aliquâ recreatione & oblectatione honeſtâ corpus reſtaurare, & ſe ſibi quodammodo reſtituere. Quapropter S. Franciſcus ita fratres ſuos laboribus & auſteritatibus corporalibus voluit incumbere, & talem in iis moderationem adhibere: ut per eaſdem ſpiritûs fervorem & vigorem non obruerent. [*Hic clarè perſpicis quoslibet ſanctos diſcretionem ſervaſſe & commendaſſe.*]

Et certè ſanctus hic Pater Franciſcus, (quod optime huic meo propoſito quadrat) ter aliquando tam gravi ſpiritûs triſtitiâ, tædio & melancholia obrutus fuit: ut non poſſet illam exterius non prodere. Si enim cum Religioſis ſuis converſari volebat, minimè ad hoc ſe inducere poterat ꝉ ſi ab iis ſe ſubducebat: malum ſuum & tædium tunc ſentiebat inaugeri ꝉ abſtinentia & carnis maceratio ſpiritum obruebant; nullum denique oratio ei dabat alleviamentum. Biennio toto hoc in ſtatu egit: adeò ut planè à Deo ſuo derelictus videretur. Sed tandem poſtquam magnâ animi humilitate gravem hanc concuſſionem & vexationem pertuliſſet: optatam animi ſerenitatem & quietem in momento ei Dominus reſtituit. Quod ideò retuli, ut hinc appareat, etiam maximos & ſingulares Dei famulos hujuſmodi vexationibus & afflictionibus interdum exagitari: ac proinde minores mirari non debere, ſi ſubinde in hujuſmodi amaritudines & deſolationes ſpiritûs incidant.

De carentia omnis ſolatij. lib. 2. de Imitatione. cap. 9.

1. NOn eſt grave humanum contemnere ſolatium; cùm adeſt divinum. Magnum verò eſt & valde magnum tam humano, quàm

quàm divino poſſe carere ſolatio : & pro honore Dei libenter exilium cordis velle ſuſtinere ˥ & in nullo ſeipſum quærere ; nec ad proprium meritum reſpicere. [*Obſerva majorem fidelitatis animæ probationem in ariditate fieri : & quod in eo ſtatu Deus poſſit puriùs diligi atque ei fidelius ſervitium exhiberi.*] Quid magni eſt ſi hilaris ſis & devotus adveniente gratia ? Optabilis cunctis hæc hora. Satis ſuaviter equitat ; quem gratia Dei portat. Et quid mirum ſi onus non ſentit ˥ qui portatur ab omnipotente, & ducitur à ſummo Ductore.

2. Libenter habemus aliquid pro ſolatio ; & difficulter homo exuitur à ſeipſo. Vicit ſanctus Martyr Laurentius ſeculum cum ſuo Sacerdote ˥ quia omne, quod in mundo delectabile videbatur, deſpexit : & ſummum Dei Sacerdotem Sixtum, quem maximè diligebat, pro amore Chriſti etiam à ſe tolli clementer ferebat. Amore igitur Creatoris amorem hominis ſuperavit ; & pro humano ſolatio divinum beneplacitum magis elegit. Ita & tu aliquem neceſſarium & dilectum amicum pro amore Dei diſce relinquere. Nec graviter feras cùm ab amico derelictus fueris ; ſciens quoniam oportet nos omnes tandem ab invicem ſeparari.

3. Multùm & diù oportet hominem in ſeipſo certare antequam diſcat ſeipſum plenè ſuperare ; & totum affectum plenè in Deum trahere. Quando homo ſtat ſuper ſeipſum ; facilè labitur ad conſolationes humanas. Sed verus amator Chriſti, & ſtudioſus ſectator virtutum non cadit ſuper conſolationes ˥ nec quærit tales ſenſibiles dulcedines ; ſed magis fortes exercitationes, & pro Chriſto duros ſuſtinere labores.

4. Cùm igitur ſpiritualis conſolatio à Deo datur ˥ cum gratiarum actione accipe eam ; ſed Dei munus intellige eſſe, non tuum meritum. Noli extolli, noli nimiùm gaudere, nec inaniter præſumere ˥ ſed potiùs eſto humilior ex dono, cautior quoque ac timoratior in cunctis actibus tuis : quoniam tranſibit hora illa, & ſequetur tentatio. Cum ablata fuerit conſolatio, non ſtatim deſperes ˥ ſed cum humilitate atque patientia expecta cæleſtem viſitationem ; quoniam potens eſt Deus ampliorem tibi redonare gratiam, & conſolationem. Iſtud non eſt novum, nec alienum viam Dei expertis : quia in magnis Sanctis, & in antiquis Prophetis fuit talis ſæpe alternationis modus.

5. Unde quidam, præſente jam gratia, dicebat : *Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum.* Abſente verò gratia quid in ſe fuerit expertus, adjungit dicens : *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Inter hæc tamen nequaquam deſperat ˥ ſed inſtantiùs Dominum rogat, & dicit : *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.* [*Hîc clariùs vides quàm alibi, quid ſibi velit magiſter Imitationis per præſentiam & abſentiam ˥ deſtitutionem & reſtitutionem ; acceſſum & receſſum gratiæ.*] Denique orationis ſuæ fructum reportat, & ſe exau-

Pſal. 29.7. *Ibid.* 8. *Ibid.* 9.

Ibid. 11. ditum teſtatur, dicens ; *Audivit Dominus, & miſertus eſt mei: Dominus* Ibid. 12. *factus eſt adjutor meus.* Sed in quo? *Convertiſti*, inquit, *planctum meum in gaudium mihi; & circumdediſti me lætitia.* Et ſi ſic actum eſt cum magnis Sanctis ; non eſt deſperandum nobis infirmis & pauperibus, ſi interdum in fervore, & interdum in frigiditate ſumus; quoniam Spiritus venit & recedit ſecundùm ſuæ voluntatis beneplacitum. Unde beatus Iob. 7. 18. Job ait: *Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum.*

6. Super quid igitur ſperare poſſum, aut in quo confidere debeo ; niſi in ſola magna miſericordia Dei, & in ſola ſpe gratiæ cæleſtis? Sive enim adſint homines boni, ſive devoti fratres, & amici fideles ; ſive libri ſancti, vel tractatus pulchri ; ſive dulcis cantus & hymni ; omnia hæc modicùm juvant, modicùm ſapiunt; quando deſertus ſum à gratia, & in propria paupertate relictus. Tunc non eſt melius remedium, quàm patientia; & abnegatio mei in voluntate Dei. [*Pro certo habeas, quod ſi tunc gratia animæ ſenſibus non apparet ; in ipſius fundo reſidet: ut adjuvet ad reſignationis & patientiæ actus producendos. Si enim hujuſcemodi auxilio forti & intimo & occulto auxilio deſtitueretur: tales virtutis actus exercere non valeret. Illud ergò eſt forte gratiæ auxilium de quo alibi egimus: quod certè pluris æſtimandum eſt quàm aliud dulce & conſolatorium.*]

7 Nunquam inveni aliquem tam religioſum, qui non habuerit interdum gratiæ ſubtractionem; aut non ſenſerit fervoris diminutionem. Nullus Sanctus fuit tam altè raptus & illuminatus; qui priùs, vel poſteà non fuerit tentatus. Non enim dignus eſt alta Dei contemplatione; qui pro Deo non eſt exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim ſequentis conſolationis: tentatio præcedens eſſe ſignum. Nam tentationibus probatis cæleſtis promittitur conſolatio. *Qui vicerit*, Apoc. 2. 7. inquit, *dabo ei edere de ligno vitæ.*

8. Datur etiam conſolatio divina ut homo fortior ſit ad ſuſtinendum adverſa. Sequitur etiam tentatio; ne ſe elevet de bono. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua eſt; ideò non ceſſes præparare te ad certamen, quia à dextris & à ſiniſtris ſunt hoſtes qui nunquam quieſcunt.

LECTIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

De modo renovandi ſingulis annis bona propoſita ; & de gratiis Deo agendis pro vocatione noſtra ad ſuum ſervitium. De examine animæ in ordine ad Deum : & ad proprium profectum ſpiritualem.

Textus è Sacris Scripturis deſumpti.

P*Ropter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te : per impoſitionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus, ſpiritum timoris : ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.* Epiſt. 2. ad Timot. cap. 1. verſ. 6.

Deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem : qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ ; & induite novum hominem : qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis. Epiſt. ad Epheſ. cap. 4. verſ. 22.

Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide : ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis. Epiſt. 2. ad Cor. cap. 13. verſ. 5.

Ex his ſacræ Scripturæ verbis ſatis intelliges, opus eſſe ut præter conſueta pietatis exercitia certum tempus aſſumendum ſit : ad ſuiipſius inſpectioni ac diſcuſſioni incumbendum : & ad animæ ſtatum quoad ipſius propoſita, progreſſum ac deffectus examinandum ; quo viribus de novo collectis quæ deſunt acquirere : ea verò in quibus excedimus emendare valeamus. Sed eorum praxim S. Franciſcus Saleſius fuſiùs edocebit.

Bona propoſita per ſequentia exercitia ſingulis annis ſunt renovanda. lib. 5. Introductionis. cap. 1.

PRimum exercitiorum horum punctum circa hoc verſatur : ut cognoſcamus & noverimus quanti illa ſint momenti. Etenim natura noſtra humana, ob carnis noſtræ fragilitatem, & in malum inclinationem, quæ nimirum animam aggravat & illam ſemper ad inferiora vergere facit ; niſi illa quâdam bonorum quæ concipit propoſitorum violentiâ ſæpè ſe in altum efferre conetur : facilè negotio bonos ſuos

affectus obliviſcitur, & ab iiſdem decidit. Quemadmodum & aves ſtatim in terram delabuntur, niſi alarum ſuarum libramenta & motus, ut hâc ratione volare pergant: identidem iterent ac multiplicent. Quapropter neceſſe eſt, cariſſima Philothea, bona quæ ad Deo ſerviendum feciſti propoſita, ſæpè repetere, & ſubinde renovare; ne fortè, ſi id facere negligas: ad priorem ſtatum tuum, aut alium etiam multò pejorem relabaris. Nam ſpirituales lapſus, ut plurimùm, ad inferiorem ac profundiorem locum dejiciunt; quàm erat is ex quo ad devotionem aliàs aſcendimus. Nullum eſt horologium quantumvis benè libratum, quod non bis quotidiè, manè nimirum & veſperi, intendi & reſtitui ponderibus ſuis debeat; neceſſe præter hoc eſt, ut ad minimum ſemel in anno ipſum penitus & per omnia membra diſſolvatur, ad rubiginem ſi quam contraxit, auferendam: ferramenta ſi laxata confractaque, reſtituenda: & ea quæ continuo uſu detrita ſunt, reſtauranda. Pari modo quiſquis ſedulò carum ſuum cor curare vult, & verè de eo ſollicitus eſt: manè & veſperi in Deum illud per ea quæ ſupra notavi exercitia debet intendere; præterea ſtatum illius ſæpius examinare; ipſum reſtituere ac reſarcire; denique ſaltem ſemel in anno illud quodammodo per partes diſſuere ac diſſolvere & eas ſingulas accuratius inſpicere, omnes ſcilicet illius affectiones & paſſiones: ut, quotquot in eas irrepſêre defectus reſtauret ac reparet. Et ſicuti horologij opifex omnes horologij ſui rotas, foramina, ceteráſque partes ungit, aut detergit, ut motus illius fiat ſuaviùs, & minùs rubiginem ferramenta contrahant; ſic devotus, poſtquam cor ſuum hoc pacto per partes excuſſerit & inſpexerit: quò benè ipſum renovet, ſacramentis Confeſſionis & diviniſſimæ Euchariſtiæ illud oportet inungat. Hoc quippe exercitium vires tuas diuturnitate temporis nonnihil collapſas reſtituet & reparabit; cor calefaciet; ac bona tua propoſita revireſcere: & ſpiritûs tui vires faciet refloreſcere.

Priſci Chriſtiani eo die quo Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti baptiſmus anniverſariâ celebritate in Eccleſia recolitur, hoc facere quàm diligentiſſimè ſolebant; tum quippe, ut ſanctus Gregorius Nazianzenus teſtatur, profeſſionem & proteſtationes hoc in Sacramento fieri ſolitas: ſolemni ritu renovabant. Idem & nos faciamus, cariſſima Philothea, quàm lubentiſſimè ad hoc nos prius diſponentes: & dein quàm diligentiſſimè hoc exercitium obeuntes.

Poſtquam ergò, & patris tui ſpiritualis præſcripto, conveniens & idoneum ad hoc tempus delegeris; ac ſolitudinem, ſive ſpiritualem, ſive etiam realem, majorem ſolito elegeris: ſuper ſequentia puncta, juxta modum & methodum, quam in ſecundi Libri parte tibi præcripſi, unam, duas, ſive etiam tres meditationes inſtitues.

Expenditur quantum Dei ſit beneficium quòd nos ad ſuum ſervitium vocârit, juxta proteſtationem ſuperius poſitam: & habetur Lectione duodecimâ. cap. 2.

CONſidera primò proteſtationis tuæ puncta. Primum eſt, quòd peccatum mortale in perpetuum deſerveris ꝰ rejeceris, deteſtata ſis & renuntiaris. Secundum, quod animam, cor, corpus tuum, & quidquid ad illa ullo modo pertinet: Dei amori & obſequio dedicâris & conſecrâris. Tertiùm, quod ſi fortè in aliquod opus malum te contingeret labi: mediante Dei gratiâ quamprimùm reſurgeres. An non hæc pulchra, juſta, & generoſa ſunt propoſita? Intra temetipſam ergò cogita, quàm hæc proteſtatio ſancta: rationi conſentanea & optabilis ſit.

Secundò conſidera, cuinam hanc ſponſionem & proteſtationem feceris: Deo, inquam. Si enim ſponſio æqua cum ratione coincidens homini facta ad fidem præſtandam & liberandam nos obligat ꝰ quantò magis illa quæ facta eſt Deo? Dicebat David: *Tibi dixit cor meum ꝰ eructavit cor meum verbum bonum tibi: non obliviſcar tui in æternum.*

Tertiò perpende, coram quibus ſponſionem hanc feceris: videlicet coram univerſa curia cæleſti. Etenim Beatiſſima Virgo, ſanctus Joſeph, Angelus tuus Cuſtos, S. Ludovicus Rex, omnis illa Beatorum multitudo te intuebatur ꝰ & ſuper verba tua ſpiritum gaudij & aprobationis aſpirabant: & ineffabilis cujuſdam amoris oculis, cor tuum carum Salvatoris Jeſu pedibus proſtratum, quod illius ſeſe obſequio mancipabat reſpiciebant. Unde peculiari quodam gaudio omnes cœleſtis Jeruſalem cives tunc plaudebant & exultabant ꝰ cujus ipſi hodie etiam commemorationem & memoriam facient: ſi ſincerè & ex corde bona tua propoſita renoves.

Quartò, conſidera, quibus proteſtationem tuam modis feceris. Quam ergò tibi Deus Opt. Max. illo in tempore benignus fuit ꝰ ſed dic mihi in veritate, an non dulcibus Spiritus S. provocationibus & invitationibus ad hoc faciendum pellecta fuiſti ꝰ an non funes, quibus cymbulam tuam Deus ad ſalutarem hunc portum attraxit, fuêre amoris & charitatis? quomodo divino ſaccharo ſuo, ſacramentis inquam, piâ lectione, & oratione, ipſe te adeſcavit & allexit? Dormiebas, ah! Philothea mea, & Dominus ſuper te excubabat ꝰ cogitationes pacis ſuper cor tuum cogitabat: & meditationes amoris propter te meditabatur.

Quintò conſidera, quo te Deus tempore ad ſingula hæc propoſita facienda attraxerit; ſcilicet in ætatis tuæ flore. Hem, quanta felicitas

tempeſtivè; & citò addiſcere id, quod non poſſumus ſcire niſi nimis ſerò: S. Auguſtinus cùm anno ætatis trigeſimo à Deo vocatus eſſet, hoc modo exclamabat; *O antiqua pulchritudo, quàm te ſerò cognovi? Eheu! videbam te, & tamen non conſiderabam te?* Tu vero meritò dicere poteris; O antiqua dulcedo, cur te citius non guſtavi aut cognovi? Et tamen, ne tum quidem fortè eam nôſſe promerebaris; ac proinde agnoſcens, quantam tibi Deus gratiam, te à juventute tua ad ſe trahendo fecerit: dicito cum Davide. *Deus docuiſti* & illuſtraſti *me à juventute mea: & uſque nunc pronuntiabo* miſericordiam tuam. Sin autem in ſenectute tua te vocaverit, Philothea; gratia Dei eſt: quod poſtquam annos tuos priores ita perperam & pravè traduxiſti; nihilominus ante mortem tuam te vocaverit, & miſeriæ tuæ curſum inhibuerit: tunc, cùm ſi in eodem ulterius perrexiſſes, in æternùm perjiſſes miſera & miſerabilis.

Sextò conſidera vocationis hujus effectus; reperies haud dubiè egregias & ſalutares in te mutationes: ſi quod modò es, cùm eo quod olim fuiſti, compares. An non felicitatis cujuſdam in numero reponis, quod per orationem cum Deo jam colloqui nôris; quod eum amandi deſiderium ac propenſionem habeas; quod multas à quibus oppugnabatis & inquietabaris, paſſiones edomueris, & ad quietem compoſueris; quod multa peccata & conſcientiæ anxietates evitaveris; quod denique toties ſacræ ſis communionis facta particeps: & ad ſupremum æternarum gratiarum fontem, unione quâdam intimâ cum eo factâ, acceſſeris; quod anteà toties non feciſti. An non hæ eximiæ & ſingulares quædam gratiæ ſunt: quæ pondere ſunt ſanctuarij ponderandæ, Philothea? Etenim manus Domini fecit hæc omnia. *Dextera Domini*, ait Pſaltes: *fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, ſed vivam, & narrabo* corde, ore & operibus mirabilia bonitatis ejus.

Poſt omnes has conſiderationes, quæ, uti vides, plurimos bonos & pios affectus ſuggerunt; cum gratiarum actione & ferventi quâdam oratione; quâ profectum noſtrum inaugeri petamus, finiendum eſt; & ſumma cum humilitate & in Deum fiducia inde ſurgendum. Hoc obſervando ut propoſitorum renovationem & vim poſt ſecundum exercitij hujus punctum faciamus.

Animæ noſtræ ſtatus examinandus; & videndum: quem in vita devota progreſſum fecerit. Ibidem. cap. 3.

SEcundum hoc exercitij punctum paulò longius eſt. Non autem id totum ſimul, & continuato actu peragendum: ſed per partes & diviſim. Ut nimirum primò examines quomodo te geſſeris erga Deum; ſecundò, quomodo erga te ipſam; tertiò quomodo erga proximum;

quartò denique, quomodo ſeſe habeant paſſiones & affectus. Opus præterea non eſt, uti nec expediens, ut flexo genu examen hoc inſtituas: niſi fortè ſub ejus initium, & in fine, cùm de affectibus agitur. Alia ejus puncta utiliter facere potes obambulando [illegible] quin etiam utilius, in lecto decumbẽdo: ſi aliquantiſper ibi inſomnis agere & vigilare poſſis. Sed ut prout oportet id facias: ea ante diligenter prælegeris neceſſe eſt. Requiritur tamen, ut totum hoc ſecundum punctum, ad ſummum tribus diebus & duabus noctibus abſolvas: ex unaquaque die & nocte horam aliquam, id eſt, aliquantum temporis, prout tibi commodum erit & expediens, tibi ſeligendo. Si enim hoc exercitium non niſi temporibus valdè disjunctis, & à ſe nimiùm remotis fieret: robur ſuum amitteret: & nimiùm languidas operationes ederet. [*Hæc ad ſeculares dicta ſunt: qui tempus ut libet poſſunt expendere. At verò Religioſus qui ex Regula præſcripto ſtatis horis certis exercitiis adſtringuntur: eas ſolummodò quæ ſpiritualibus dicata ſunt, iis impendat.* [Poſt ſingula examinis puncta notabis qua in re te defeciſſe deprehendes, & ubinam erres & impingas [illegible] & quæ præcipuè impedimenta hactenus ſenſeris: quo te deinde, ad conſilium capiendum, propoſitum bonum faciendum, & ſpiritum tuum corroborandum, alteri declarare poſſis. Etſi neceſſe non ſit ut quibus diebus hoc exercitium & alia obibis: penitus & abſolutè te ab omni hominum converſatione ſequeſtres. Aliquo modo tamen ab illa te avoces oportet [illegible] maximè circa veſperam: quò & tempeſtiviùs cubitum concedere, & corporis æquè ac ſpiritûs quietem, conſiderationi pernéceſſariam captare queas. Per diem verò frequentes ad Deum, Beatam Virginem, Angelos & univerſos cœli cives aſpirationes identidem faciendæ ſunt. Neceſſe denique eſt, ut omnia ex corde, Dei & perfectionis propriæ amante fiant. Ut autem examen hoc benè debitoque modo inſtituatur.

Conſtitue te primò coram Deo [illegible] Secundò, Spiritus ſancti opem invoca: lumen & claritatem ab eo, ad te ipſam cognoſcendam, poſtulans, unâ cum ſancto Auguſtino, qui in ſpiritu humilitatis ſæpe ad Deum clamabat. *Domine noverim te, noverim me.* Et cum ſancto Franciſco, qui Dominum interrogabat dicens [illegible] *Qui es tu Domine & quis ſum ego?*

Proteſtare quoque ideò te profectum tuum inquirere & notare nolle, ut intra temetipſam ob eum ſtolidè tibi complaceas & gaudeas [illegible] ſed tantùm ut in Deo exultes; neque ut inde glorieris, ſed gloriam omnem Deo aſcribas, eique propterea gratias agas.

Proteſtare te, ſi (uti præſumis) parùm te profeciſſe & aut potiùs defeciſſe receſſiſſe deprehendas [illegible] propterea animum nullatenus abjicere: vel per aliquam puſillanimitatem, aut inertiam nolle refrigeſcere. Imò è contra, animum majorem te capere [illegible] magis te animare, teque humiliare: & mediante Dei gratiâ defectibus mederi velle.

Hoc facto, ſuaviter & tranquillè conſidera & examina: quomodo uſque in præſentem horam, erga Deum, proximum, & temetipſam te geſſeris.

Animæ ſtatus examinatur: quomodo ſe erga Deum geſſerit. Ibidem. cap. 4.

QUomodo eſt cor tuum erga peccatum mortale diſpoſitum? firmúmne & ſolidum propoſitum feciſti ad nunquam ipſum, quacunque demum de cauſâ admittendum? Hóccine propoſitum duravit jam inde à prima proteſtatione tua uſque ad tempus præſens? In hoc autem propoſito vitæ ſpiritualis fundamentum conſiſtit.

Secundò, quo eſt cor tuum modo erga Dei mandata affectum? eáne tibi videntur bona, ſuavia, grata? Cujus, ô filia, guſtus bonus eſt, & ſtomachus ſalubris: bonos is cibos quærit, & noxios rejicit.

Tertiò, quo eſt cor tuum modo erga peccata venialia affectum? non poſſumus quidem planè iis carere? ſed eſtne aliquod erga quod ſpeciali modo inclines? quod autem longè foret deterius? eſtne aliquod erga quod affectu & amore feraris?

Quartò, qualiter eſt cor tuum [*cordis nomine rationem ac voluntatem intelligit,*] erga exercitia ſpiritualia diſpoſitum? eáne amas & magni facis? an non illa tibi tædioſa & gravia ſunt? non alieniore ab iis es animo? Erga quod magis, aut minùs propendes? Verbum Dei audire vel legere, de Deo loqui, meditari, & ad eum aſpirare, peccata confiteri, ad ſacram ſe communionem diſponere, & eam adire, affectus reprimere? quidnam ex illis eſt, quod animo & affectui tuo repugnet? Et, ſi quid deprehendas, erga quod cor tuum minorem inclinationem ſentiat? examina, unde prava illa inclinatio & averſio veniat: & quænam illius ſit cauſa.

Quintò, quale eſt cor tuum erga ipſum Deum? anne gratum ei eſt, Dei ſui recordari? *memor*, inquit Propheta, *fui Dei, & delectatus ſum.* Sentíſne in corde tuo quamdam ad Deum diligendum facilitatem, nec non peculiarem quemdam guſtum in amore hoc deguſtando? An non gaudet cor tuum & exultat, dum de Dei bonitate, immenſitate & dulcedine recogitat? num etiam medias inter mundi occupationes & vanitates, Dei tibi memoria nonnunquam occurrat, & an tunc reliquæ cogitationes ei non cedant? num cor tuum ipſa occupet? num cor tuum in partem illius tibi videatur propendere, & ei quodammodo obviam procedat? Sunt quippe animæ, quibus hoc ſolitum & commune eſt,

Si cujuſpiam uxoris maritus è longa peregrinatione domum redeat? mox ut illa illius reditum percipit & vocem audit, etſi variis tunc occupa-

cupationibus diſtineatur, atque etiam vehemens aliqua earum cogitatio & reflexio mentem illius tum occupet; cor tamen ejus liberum retineri nequit, ſed reliquas omnes cogitationes à ſe excludit, ut de marito cogitet, Simili modo animæ Deum perfectè amantes, licet dum Dei recordatio illis incidit, impeditiſſimæ per alia negotia ſint: nihilominus ad reliqua omnia vix advertunt, & eorum ſenſum propè omnem omittunt ⁊ idque præ gaudio quod ex eo quod amicam illam recordationem ſibi rediiſſe vident, in animo ſentiunt. Et eſt hoc valdè bonum ſignum.

Sextò, quale eſt cor tuum erga Jeſum Chriſtum Deum & hominem? ànne jucundum tibi eſt apud illum verſari? Apes libenter circa mel agunt: & veſpæ circa ſordes. Ad eumdem modum ſanctæ piæque animæ gaudent apud Dominum Jeſum verſari, tenerrimóque quodam erga eumdem amore feruntur: at improbæ & negligentes, vanitatibus intereſſe amant.

Septimò, qualiter erga Beatam Virginem, Sanctos & Angelum tuum cuſtodem affecta es? valdéne eos diligis? peculiarémne in favore illorum fiduciam ponis? placéntne tibi eorum imagines, vitæ, & præconia?

Octavò, quod ad linguam attinet, de Deo quo modo loqueris? ànne tibi jucundum & placet bene de eo, pro conditione & talento tuo, loqui? volupéne tibi eſt hymnos & cantica ſpiritualia canere?

Nonò, quod ad opera, cogita, num exteriorem Dei gloriam cordi habeas ⁊ gaudio tibi ſit aliquid ad honorem ipſius facere: qui enim Deum amant, unà cum Deo domûs illius decorem diligunt.

Vide, an notare poſſis, aliquem te propter Deum affectum reliquiſſe ⁊ & rei alicui renuntiâſſe: etenim bonum amoris ſignum eſt, aliqua ſe re in gratiam illius quem diligimus privare. Quid ergò propter Deum hactenus deſeruiſti & renuntiaſti?

LECTIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De Examine ſtatûs animæ erga ſeipſam & erga proximum: & de actibus poſt illud examen producendis.

NUlli ſacræ Scripturæ textus nec in hac, nec in ſequenti lectione proferuntur ⁊ quia ibi tantùm agitur de exercitiis practicis, quæ ex principiis ſuprà poſitis & prudentiâ practicâ S. Doctoris Franciſci Saleſij originem ducunt: & ideò documenta S. Magiſtri hîc tibi proferre ſufficit.

Examinatur animæ ſtatus erga ſeipſam. lib. 5. Introductionis. cap. 5.

PRimò, quomodo amas teipſam? an non plus æquo propter hunc mundum te amas? Id ſi fiat ; ſemper in eo remanere deſideras, & ſummâ contentione conniteris: ut hac in terra rem tuam conſtabilias? at ſi ames propter cœlum ; deſiderabis aut ſaltem facilè annues, nec abnues hinc excedere: eo tempore & horâ qua Deo te videbitur ex hac vita & mundo educere.

Secundò, rectúmne in amore tui ordinem ſervas? Nam per ſolum inordinatum noſtri ipſorum amorem deſtruimur. Porrò ordinatus amor exigit, ut plus animam diligamus quàm corpus ; plus virtutibus, quàm alteri rei cuipiam comparandæ inſiſtamus: majorem denique honoris cæleſtis, quàm terreni & caduci rationem habeamus. Cor benè rectéque ordinatum ſæpius intra ſemetipſum dicit ; Quid dicent Angeli ſi tali de re cogitem, quàm, quid de eo dicent homines?

Tertiò, quomodo cor tuum diligis? ánne grave tibi eſt illi in ſuis ægritudinibus inſervire? Illi ſuccurrere, & ut ei ſuccurratur curare teneris, quando ipſum ſuis à paſſionibus exagitatur & opprimitur: & propterea cætera omnia negligere.

Quartò, quam te coram Deo facis? nihili certè: neque enim magna eſt in muſca humilitas, quod ſeſe intuitu montis nihili faciat; uti nec in aquæ guttula, quod parvi ſe ducat cum oceano comparata ; uti nec in ſcintilla: quod pro nihilo ſe reputet cum ſole collata. Verùm in hoc ſita humilitas eſt, quod aliis nos minimè anteponamus, aut digniores æſtimemus: imò nec aliis anteferri velimus. Quomodo verò hac in re te geſſiſti?

Quintò, quoad linguam ; an non hac re te jactas, aut alia? an non, dum de teipſa ſermo incidit, tibimet adularis & plaudis?

Sextò, quoad opera ; an non recreationes eas conſectaris quæ valetudini tuæ contrariæ ſunt, & noxiæ? recreationes, inquam, vanas & inutiles; item nimias vigilias ſine cauſa & alia id genus.

Examinatur animæ ſtatus erga proximum. Ibidem cap. 6.

AMore dulci, tranquillo, forti, conſtanti & continuo, & quidem ante & ſuper omnia, amandus eſt maritus & uxor: quod hunc Deus amorem præcipiat & id fieri jubeat. Idem de prolibus, cognatis, & conſanguineis ; quin & amicis: pro graduum & ordinum proximitate, dicendum eſt.

Sed ut in genere loquar ; qualiter cor tuum, erga proximum diſpoſi-

tum & affectum eſt? amâsne illum toto ex corde, & quidem propter Deum? Quod ut benè internoſcas: tibi proponas oportet quoſdam valdè tetricos, moroſos & moleſtos. Erga hos namque ipſe in proximum amor exercetur; & magis adhuc erga eos qui malum nobis faciunt & inferunt, ſive facto id fiat, ſive verbis. Vide & examina, num cor tuum quoad illos nullius ſit culpæ conſcium: & num magnam in illis diligendis intra teipſam repugnantiam & contradictionem ſentias.

Es-ne proclivis & facilis ad ſiniſtrè de proximo loquendum. atque inprimis de iis qui te non diligunt? num proximo, ſive directè, ſive indirectè, damnum aut injuriam ullam infers? dummodò vel parum rationis & judicij habeas; ſtatim id advertes.

Examinantur ipſius animæ affectus. Ibidem. cap. 7.

Puncta hæc, in quorum examinatione ſpiritualis quem fecimus profectus cognitio ſita eſt, ſic explicando difuſius extendi ⁊ nam quod ad examen peccatorum ſpectat: id proprium eſt eorum qui de progreſſu in ſpiritu non admodum ſolliciti ſunt, dum confeſſionem inſtituere volunt.

Non eſt porrò neceſſe, ut anxiè in ſingulis his articulis diſquirendis nos torqueamus ⁊ ſed ſuaviter hoc examen fiat; conſiderando quo in ſtatu cor noſtrum quoad illa, jam inde à poſtremo noſtro propoſito fuerit, & quoſnam notabiles defectus in ipſis commiſerimus.

Sed ut omnia illa velut in compendium redigantur: examen hoc ſolùm circa paſſionum noſtrarum ſtatum inſtitui poteſt. Et ſi fortè grave & moleſtum nobis ſit, ita ſigillatim omnia (uti dictum eſt) excutere & conſiderare ⁊ ſic nos examinare poſſumus; quales fuerimus, & qualiter nos geſſerimus

In amore noſtro, erga Deum, proximum, & erga nos ipſos.

In odio noſtro, erga peccatum quod in nobis deprehendimus, & erga id quod in aliis apparet: nam tam hujus quàm illius exterminationem velle debemus.

In deſideriis noſtris, quibus aut facultates & opes, aut voluptates, aut honores habere deſideramus.

In timore periculorum peccati, & jacturarum bonorum hujus mundi ⁊ ſi nimirum plus æquo hujus jacturam timuerimus: & illius æquò minus.

In ſpe, fortaſſe plus æquò in hoc mundo & in creaturis: & minùs in Deo ac rebus æternis collocata.

In triſtitia: ſi ea nimia fuerit propter res vanas & tranſitorias.

In gaudio: ſi nimium illud fuerit, & pro rebus indignis gaviſi fuerimus.

Quales demum affectus cor noſtrum præpediant ⁊ quæ ipſum paſſiones occupent: in qua potiſſimum defecerit aut impegerit.

Ex animæ namque paſſionibus de illius ſtatu optima fieri poteſt conjectura: unam poſt aliam inquirendo & excutiendo. Nam ſicuti fidicen omnes teſtudinis ſuæ chordas digitis explorans; eas quas diſſonas & diſcrepantes reperit, reliquis attemperat, illas vel intendendo, vel remittendo: ſic ſi poſtquam amorem, odium, deſiderium, ſpem, triſtitiam, gaudium animæ noſtræ exploravimus, eas pro carmine quod modulari volumus, gloriæ inquam Dei, diſſonantes compererimus; mediante illius gratiâ, & bono Patris noſtri ſpiritualis accedente conſilio: ad concordiam & harmoniam eas adducere poterimus.

Affectus quidam ſunt poſt hoc examen excitandi & producendi. cap. 8.

UBi ergo ſedato animo unumquodque examinis punctum examinaveris; & quomodo in ſingulis conſtituta fueris deprehenderis: affectus hoc modo excitabis.

Gratias age Deo de aliquantula illa emendatione, quam in vitæ tuæ ſtatu jam inde ab ultimo tuo propoſito deprehendiſti; & fatere, ſolum miſericordiæ illius eam aſcribendam eſſe: qua in te, & pro te, eam eſt operata.

Valde te coram Deo humilia; & agnoſce, quod ſi forte non multùm progreſſa fueris, ex tuo id defectu, accidiſſe; eò quod nec fideliter, nec generosè, nec conſtanter, iis quas tibi tum in oratione, tum alibi, dedit: inſpirationibus, illuſtrationibus & inſtinctibus reſponderis.

Promitte te illum quamdiu vixeris laudaturam ob gratiam ab illo tibi præſtitam; qua te ab illa pravà propenſione retraxit: & ad hanc licet exiguam, emendationem perduxit.

Veniam illum roga, quod tam infidam & perfidam te illius inſpirationibus reſpondendo exhibueris.

Offer illi cor tuum, ut plenum in illud ſibi jus & imperium vendicet.

Illum ora, ut exinde te per omnia fidelem faciat.

Sanctorum, Beatæ Virginis, Angeli Cuſtodis, Patroni tui, B. Joſephi, & aliorum patrocinium implora.

LECTIO QUINQUAGESIMA TERTIA.

De exercitiis ad internam renovationem conducentibus per varias conſiderationes. De animæ & virtutum excellentia ; de exemplis Sanctorum ; de Chriſti erga nos amore ; de æterno Dei erga nos amore : & de affectibus inde formandis.

Conſiderationes quædam ad bona noſtra propoſita renovanda accomoda proponuntur. lib. 5. Introductionis. cap. 9.

Poſtquam examen hoc debitè peregiſti ; & cum perito prudentique conſultore de defectibus tuis, déque eorum remediis conſuluiſti ; ſequentes conſiderationes uſurpabis. Et quidem ſingulis diebus unam, per modum meditationis, dedicatum orationi tuæ tempus ei impendendo & dedicandò ; & eamdem ſemper methodum, quoad præludia & affectus, ſervando: quam in primæ partis meditationibus adhibuiſti & ſecuta es. Ante omnia porrò in Dei præſentia te conſtituendo, illius gratiam implorabis : quò te in ſancto ejus amore & obſequio conſtabilias.

Conſideratio prima de animarum noſtrarum dignitate. Ibidem. cap. 10.

Perpende animæ tuæ dignitatem & eminentiam ; utpote quæ intellectum habet, qui non ſolùm mundum hunc viſibilem, quantus, quantus eſt, cognoſcit : verùm etiam novit & intelligit, & Angelos, & cœlum, & Deum eſſe, eúmque ſupremum, optimum ac ineffabilem. Item æternitatem eſſe ; inſuper quidnam ad benè in viſibili hoc mundo vivendum, ad Angelorum in cœlo contubernium acquirendum, Deoque in æternum fruendum : neceſſarium eſt.

Habet prætereà anima tua voluntatem planè liberam & nobilem ; utpote quæ Deum amare poteſt : & eum in ſeipſo non odiſſe. Vide quàm cor tuum ſit generoſum ; & quod ſicut apes in nulla re putrida pedem figunt, at ſolos flores conſectantur ; ita cor tuum nullam niſi in ſolo Deo habere requiem poſſit, & nulla creatura ipſum ſatiare queat.

Repete tecum ipſa audacter cogitatione cariſſimas & dulciſſimas recreationes & oblectationes, quibus aliquando perfuſa es, & in quibus cor tuum requiem invénit : & ſincerè verèque judica : an non hæ moleſtiſſimam quamdam inquietudinem, ſolicitas cogitationes, & importunas anxietates & curas in ſe continuerint; quibus cor tuum undique anguſtiatum & lancinatum verè miſerabile erat.

Cor noſtrum, eheu, creaturas impensè,& avidè conſectatur : efflictim & anxiè in illas ruit, ſuo in illis deſiderio & appetitui planè ſatisfieri poſſe putans : ſed, mox ut eas invénit : videt omnia vana eſſe, ac nullâ omninò re poſſe ſatiari. Deo minimè permittente ut nullum cor noſtrum locum inveniat in quo ſecurè requieſcat : uti columbæ ex arca Noë egreſſæ olim contigit :quò ad Deum ſuum, à quo egreſſum eſt, denuò revertatur. Ah, quàm naturalis & nativa cordis noſtri pulchritudo eſt? cur ergo ipſum invitum & reluctans creaturis famulari compellimus.

Sic ergo animam tuam compellare poteris : Potes, ô anima mea, Deum intelligere & velle : cur ergo rei alicui quæ eo minor ſit, conſectando & appetendo incumbes? æternis, & æternitati potes intendere : cur ergò momenta & momentanea avidè adeò captabis? unde hoc inter alia filius prodigus deplorabat, quod cùm in domo & menſa paterna affluere deliciis, & lautè refici poſſet : ſiliquas comederet cum ſuibus. Tu es,anima mea Dei capax: cumque comprehendere & habere potes. Væ ergò tibi, ſi quâ re, quæ eo minor ſit, contenta ſis. Animam tuam in hac conſideratione quàm maximè exſuſcita & æſtimula : oſtende illi, quod æterna & æternitate digna ſit: ac proinde hujus occaſione ei animam quidquid ſibi ineſt roboris & virtutis ad tantum bonum poſſidendum impendat, neceſſe eſt.

Conſideratio ſecunda de virtutum præſtantia. Ibidem. cap. 11.

CONſidera, virtutes & devotionem plenum & perfectum, hoc in mundo, animæ tuæ afferre gaudium poſſe, & ipſum ſatiare. Vide, quàm ſint pulchræ. Virtutes ergò cum vitiis, quæ ipſis contraria ſunt, velut in bilance appende & compara : quanta eſt in patientia ſuavitas, intuitu & reſpectu vindictæ : quanta in benignitate, ſi cum ira & indignatione comparetur : quanta in humilitate, ſi arrogantiam & ambitionem intuearis : quanta in liberalitate, avaritiam ſi inſpicias : quanta in charitate, injuriæ collata: quanta in ſobrietate denique, ſi luxum & crapulam ei opponas.

Hoc quippe virtutes admirabile & conſideratione dignum habent : quod incredibili quadam ſuavitate animam repleant; cum vitia è con-

tra eam triſtem & malè habitam relinquant. Cur ergo hanc nobis dulcedinem comparare non ſtudebimus?

Qui paucis vitiis obnoxius eſt, is contentus non eſt: qui vero multis, is nulla pace perfruitur. At è virtutibus qui vel modicum habet, quietem etiam ac recreationem habet; & quò longius progreditur, ſemper ſentit majorem. Quàm, ô vita devota pulchra, jucunda, grata & ſuavis es? Tu tribulationes dulcoras, & deſolationes etiam ſuaves, ſapidas & optabiles reddis: ſine te bonum fit malum, & voluptates plenæ inquietudine, moleſtia ac defectibus. Qui te noſſet, dicere cum Samaritana poſſet: *Domine da mihi hanc aquam.* Quàm aſpirationem S. Mater Tereſia de Jeſu, & ſancta Catharina Genuenſis, diverſo licet intuitu ac occaſione ſæpius in ore habebant.

Conſideratio tertia ab exemplo Sanctorum. Ibidem. cap. 12.

Conſidera Sanctorum exemplum; quid hi non fecêre quo Deum diligerent, ejuſque clientes & amici fierent? Conſidera Martyres illos invictos? quos hi ut in ejus amore permanerent, cruciatus ac tormenta ſubiêre? atque imprimis illuſtres & inclytas illas virgunculas ſuper lilia puritate candidas, ſuper roſas charitate rubicundas; quarum hæ duodecimo, & quintodecimo; illæ vigeſimo quinto ætatis anno ſexcenta ſuppliciorum genera perpeti maluêre; quàm à ſuo non fidei modo profitendæ, ſed devotionis etiam ſuæ exercendæ propoſito, vel latam unguem deflectere; dum hæ, ne virginitatis florem amitterent, illæ, quod afflictis Chriſtianis obſequium præſtando, ſuppliciis affectos conſolando, & vita defunctos ſepulturæ tradendo ceſſare nollent: mortem non dubitarunt oppetere. Quantam, Deus bone ſexus hic fragilis ſimilibus in rebus & occaſionibus conſtantiam & generoſitatem prætulit?

Intuere tot Confeſſorum millia; quanta illi conſtantia & robore mundum hunc contempſere; quàm ſuis in propoſitis invincibiles extitère? nihil quidem eos ab iiſdem divertere, aut avocare potuit; ſine ulla reſtrictione & limitatione eadem ſunt amplexi: ac ſine ulla exceptione ad finem uſque in iiſdem perſeverârunt. Quid non ſanctus Auguſtinus de matre ſua Monica ſcribit? qua illa conſtantia & intenſione, ſuum Deo in conjugali æquè ac viduali ſtatu ſerviendi propoſitum eſt proſecuta? quid non ſanctus Hieronymus de cariſſima filia ſua Paula, idque tot inter caſus, tot adverſitates, & rerum humanarum viciſſitudines? Quid autem ipſi, tam præclara ante oculos habentes exempla, non præſtemus? Erant id quod ſumus; ejuſdem Dei causâ id faciebant, & eaſdem propter virtutes; quid ergo idem in noſtro ſtatu, & juxta vocationem noſtram, quo propoſitum & ſanctam proteſtationem noſtram conſtanter urgeamus, non præſtamus?

Conſideratio quarta de amore quo Redemptor noſter Ieſus nos eſt proſecutus. Ibidem. cap. 13.

CONſidera amorem, quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus, tam multa & varia in hoc mundo pertulit, ſed præcipuè in horto olivarum, & monte Calvariæ. Amor hic te unam reſpiciebat ; & omnibus illis cruciatibus & laboribus bona à Deo patre cordi tuo obtinebat propoſita & proteſtationes, ſimul quoque quidquid tibi eſt ad propoſita illa conſervanda, fovenda, corroboranda, & perficienda neceſſarium. Quam ô propoſitum, res es pretioſa, cùm tali ſis matre, paſſione inquam Domini mei Jeſu Chriſti progenita? quàm te anima mea charam habere debet & complecti ; cùm Jeſu meo tam chara exſtiteris? Tu, ô Salvator animæ meæ mortuus es, quò mihi propoſita mea comparares. Gratiam ergò mihi præſta, ante ut moriar quàm eis vel minimùm excidam.

Vides, Philothea, nec dubitare licet Domini noſtri Jeſu Chriſti cor, jam inde ab arbore crucis tuum intuitum eſſe & dilexiſſe: & per hanc dilectionem omnia illi bona obtinuiſſe, quæ unquam es habitura, atque in primis illum amandi, illique obſequendi propoſitum. Unde, quotquot ſumus, dicere cum Jeremia Propheta, Philothea, poſſumus: *Antequam eſſem, Domine, videbas me, & nomine meo apellabas me.* Quod divina illius bonitas, in amore & miſericordia ſua, verè omnia tam generalia, quàm particularia ſalutis noſtræ media & conſequenter propoſita noſtra diſponeret & præpararet. Rectè quidem ; nam quemadmodum mulier prægnans, cunas, faſcias, quin & nutricem proli quam ſperat, præparat, etſi ea nondum in lucem edita ſit: ad eumdem modum Redemptor noſter Jeſus, cùm antequam naſcereris, ſua ineffabili miſericordia ſaluti te parere, ac filiam ſuam facere vellet ; jam inde in arbore crucis præparabat, quidquid tibi & cunis tuis ſpiritualibus neceſſarium erat, linteamina & faſcias tuas; nutricem quoque tuam & quidquid ad beatitudinem & felicitatem tuam ullo modo expediebat. Omnia inquam media, invitationes, & gratias, quibus animam tuam allicit, provocat: & ad perfectionem ſuam perducere conatur.

Quàm hoc, Deus bone, profundè memoriæ noſtræ deberemus inſculpere? Fierine poteſt, me à Domino meo Jeſu derelictam fuiſſe, & quidem tam ſuaviter, ut mei ſpeciatim, & in omnibus illis modis & caſibus quibus me ad ſe invitavit & allexit, recordari non ſit dignatus? quàm ergo & quomodo omnia illa diligere, complecti, & in noſtram nos utilitatem convertere oportet? Eſt hoc certè cogitatu quàm ſuaviſſimum: benigniſſimum & amantiſſimum Dei mei cor, Philotheæ recordabatur ; eam diligebat ; milléque ei ſalutis media & vias procurabat ; tanquam ſi nulla in mundo anima extitiſſet: cujus is memoriam haberet & curam

curam. Perinde ac ſol unam terræ partem illuſtrando non minus illam illuſtrat, quàm ſi nullam aliam, & non niſi illam ſolam illuſtraret. Eodem modo Redemptor noſter Jeſus ita omnium filiorum curam habebat: déque iis ſolicitus erat ꟸ ut de unoquoque noſtrûm ita cogitaret: tanquam ſi de reliquis omnibus non cogitaſſet, *Dilexit me*, inquit, Apoſtolus, *& tradidit ſemetipſum pro me*: quaſi dicat, pro me ſolo ita impensè, tanquam ſi pro reliquis omnibus nihil penitus præſtitiſſet. Hoc animæ tuæ inſculptum eſſe debet, Philóthea ꟸ ut, quod feciſti propoſitum, utpote quod Salvatoris noſtri cordi adeo carum extitit & pretioſum, diligas; carum habeas, & foveas.

Conſideratio quinta de æterno Dei erga nos amore. Ibidem. cap. 14.

CONſidera æternum, quo te Deus Opt. Max. proſecutus eſt amorem ꟸ nam etiam antequam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in quantum homo, in cruce pateretur: diviná illius Majeſtas in ſuprema ſua bonitate te ſibi proponebat, & ſummo te amore proſequebatur. At quando primùm te amare incepit? Tum, cùm cœpit eſſe Deus. Quando autem incepit eſſe Deus? nunquam. Semper quippe fuit, ſine principio, & ſine fine: proinde etiam ſemper, ab omni æternitate te dilexit. Hinc jam inde ab eo tempore quas tibi præſtitit, gratias & favores, præparabat. Quamobrem per Prophetam ait ꟸ *Charitate perpetuâ dilexi te, & ideo attraxi te miſerans*: quod tam tibi in particulari, quàm aliis omnibus in genere ait. Ergò inter alia, cogitavit & præparavit, ut quæ ad illi ſerviendum concepiſti propoſita: te concipere faceret.

Qualia ergò, Deus bone, ſunt hæc propoſita, quæ Deus jam inde à ſua æternitate decrevit, & præmeditatus eſt? quàm ergò nobis illa debent eſſe chara & pretioſa? quid non ſubire nos oporteat potiùs, quàm vel latum ab illis unguem recedere? licet totum terrarum orbem intercidere oporteret ꟸ nam ne totus quidem orbis quantus quantus eſt, cum animæ unius valore & pretio poteſt æquiparari: anima porrò ſine ſanctis iſtis propoſitis nihil omninò eſt.

Generales ſuper præcedentibus conſiderationibus affectus: ac ſimul exercitii hujus concluſio. Ibidem. cap. 15.

VOs, ô illuſtria & chara propoſita, eſtis præſtans illa vitæ arbor, quam ſuâ Deus meus manu in cordis medio plantavit ꟸ quámque ſuo Redemptor meus ſanguine, quò fructum aliquem producat: irrigare cupit. Sexcentas potius perferam mortes, quàm ut ab ullo vos turbine, ventóve eradicari ſinam. Certè nec ... vanitas, neque deliciæ, non

divitiæ, non tribulationes: à meo me propoſito facient recedere. [*Voluptatum ac divitiarum loco quibus Religioſus renunciavit ⁊ propriam voluntatem, aut adhæſionem alicui creaturæ: ſicque cætera ad tui ſtatûs uſum converte.*]

Sed tu, ô Domine, arborem hanc pulchram plantaſti, & in paterno ſinu tuo pro horto meo reſervaſti. Ah quam multæ ſunt animæ quibus hanc tu benevolentiam & beneficium non exhibuiſti? quomodo me ergò unqam ſatis coram tua miſericordia humiliem?

Si vos, ô illuſtria & ſancta propoſita, ego conſervem, vos me conſervabitis ⁊ ſi in anima mea vivatis: anima vivet in vobis. Æternum ergò vivite, ô ſancta propoſita quæ in Dei mei miſericordia fuiſtis æterna ⁊ æternum in me manete & vivite: & nunquam ego vos deſeram.

Poſt hos affectus excitatos, diſquire & diſpone in particulari apud te ipſam media, quæ ad chara hæc propoſita conſervanda requiruntur ⁊ & coram Deo proteſtare & propone, fideliter te iis uti velle: uti ſunt frequens orationis, ſacramentorum, bonorum operum uſurpatio ⁊ defectuum in ſecundo puncto perſpectorum emendatio ⁊ pravarum occaſionum evitatio ⁊ eorum, quæ tibi quo ad hoc ſuggerentur bona conſilia: amplexatio.

Hoc peracto, tanquam ſi novum ſpiritum jam attraxiſſes, novúmque robur collegiſſes ⁊ millies proteſtare te in propoſitis tuis remanere velle ⁊ & tanquam ſi cor, animam, & voluntatem tuam in manibus haberes: Deo illam dedica, conſecra, ſacrifica & immola ⁊ nunquam exinde amplius eam te repetituram proteſtans: ſed in divinæ ipſius Majeſtatis manu eam relicturam: quò illius præcepta & voluntatem in omnibus & per omnia exequaris. Deum roga, ut te planè innovet & totam renovet ⁊ tuæque novæ proteſtationi benedictionem ſuam addat: ipſamque corroboret. Invoca quoque patrocinium & opem B. Mariæ Virginis, Angeli Cuſtodis, S. Ludovici: & aliorum Sanctorum.

Corde ſic excitato & inflammato, ad Patris tui ſpiritualis pedes te abjice ⁊ & præcipua quæ te jam inde ab ultima confeſſione tua commiſiſſe deprehendes, peccata confitere; & eodem modo eorumdem abſolutionem admitte, quo priorem. Proteſtationem quoque tuam coram eo pronuntia, & manu tuâ ſigna. Denique cor tuum jam renovatum principio & Salvatori ſuo, ſanctiſſimo inquam Euchariſtiæ Sacramento, fac unias.

Quales poſt hoc exercitium peractum, ſenſus & motus ſint in anima conſervandi. Ibidem cap. 16.

EO, quo hanc ſpiritûs renovationem feciſti, die, nec non aliis ſequentibus, ſæpius tum apimo, tum etiam ore ardentia illa S. Pauli,

S. Auguſtini, S. Catharinæ Genuenſis, & aliorum verba repetas oportet; jam non ſum amplius mea, ſive vivam, ſive moriar. Salvatoris mei ſum. Non habeo amplius Ego vel Meum. Meum Ego eſt Jeſus: Meum Meum eſt, quod ipſius ſim. Tu, ô munde ſemper es tu, & ego ſemper fui ego; at poſt hac non amplius ero ego. Non amplius erimus noſtri ⁊ habebimus quippe cor immutatum: & mundus qui uſque adeò nos decepit, jam decipietur & falletur. In nobis etenim mutationem noſtram non niſi paulatim percipiens ⁊ putabit nos ſemper eſſe Eſaü: & inveniemur eſſe Jacob.

Neceſſe autem eſt, ut omnia exercitia in corde requieſcant ⁊, ut, jam à conſideratione & meditatione ſurgentes, paulatim ſenſimque in negotia & converſationes cum hominibus nos ingeramus: ne fortè collectus propoſitorum noſtrorum liquor ſubitò effundatur. Etenim per omnes animæ partes benè is penetret & ſe diffundat oportet: attamen ſine ulla id violentia aut ſpiritûs, aut corporis fiat neceſſe eſt.

Vides in his ultimis verbis mentem ac ſpiritum ſancti hujus magiſtri ⁊ qui divinam ſapientiam imitatur in eo quod quemque ferat & provocet ad pietatem & ſui ſtatûs munia adimplenda fortiter: ſuaviter vero & tranquille quoad modum & praxim. Perfectiori ſanè modo procedere non potes: quam ipſum Dei agendi modum imitando. Hujuſce igitur ſancti viri ſpiritum ſequere: qui Dei ſpiritum tam perfectè imitatur.

HVIVS OPERIS CONCLVSIO.

Quicquid in Chriſtiana perfectione ſolidum ⁊ quicquid ad eam animosè amplectendam, & ad eam cum amore, diſcretione, animi tranquillitate & patientia exercendam requiritur; in hac collectione reperies.

Ibi diſces qualiter animam repleas firma ſpe vitam feliciter conſummandi in diſpoſitione & ſtatu veri Chriſtiani ⁊ quorum ſumma & poſſeſſio in perfecta charitate conſiſtunt: cujus quidem charitatis initium, *viam purgativam* ⁊ ipſius profectûs, *viam illuminativam*; ac ejus demum conſummatio, *viam unitivam conſtituunt.*

De lege divina loquens Moyſes, mandatum hoc inquit, non ſupra te " *Deuter. cap. 30. v. 11.*
eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere ⁊ quis "
noſtrûm valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus "
atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, ut cauſeris & "
dicas ⁊ Quis ex nobis poterit transfretare mare ⁊ & illud ad nos uſque "
deferre ut poſſimus audire & facere quod præceptum eſt? ſed juxta te "
eſt ſermo valde, in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. De hac Lectionum ſpiritualium Epitome idem omninò libet affirmare. Quinquaginta tribus Lectionibus univerſam Chriſtianam perfectionem expreſſam exhibet, à duobus eximiis vitæ Chriſti practicæ interpretibus

ſic explicatam,ut & ſolida documenta tradant,& periculum à te propellant vagandi & aberrandi inter ſpeculationum difficilium anfractus, te intricandi in novis methodis, ſubtilitatibus & lectionibus à communi ſenſu abſtractis, & te exponendi inquietudinibus, deceptoriis opinionum novitatibus: ac directionum ſæpius inter ſe pugnantium varietati. Habes inquam, in hac Epitome quicquid agere debeas ut Deum cognoſcas, ut ei cum animi tranquillitate ſervias, eum quantum hujus vitæ fert ſtatus perfectè diligas: & omnes quæ in via occurrere poſſunt difficultates cum profectu ſuperes. Verùm cum præſens vita militia ſit & laboribus dedita, quorum defatigationes ſola charitate poſſint leniri: noſtri ſtudij ſumma in hoc conſiſtere debet ut diſcamus amare laborando & certando. Illud autem eſt quod ambo ſancti Magiſtri & Sanctus Sanctorum in hoc libro, facili & ſolido, ſed ſublimi modo te edocebunt. Tradita tibi in prima lectione documenta libenter ſequere, continua & iterata lectione, ſed maxime adjuncta praxi hæc ſolida documenta menti altius infige: ac toto vitæ ſpatio ad ea recurre. His ergò, fili mi, amplius ne requiras. Hæc ſapientis verba ſunt quæ coronidis loco hîc adhibere liceat, ac iterùm aſſerere, quod ſi juxta conſilium initio hujus operis tibi traditum, mentis curioſitati, circa librorum ſpiritualium varietatem aditum obſtruxeris, ſummâ cum animi conſolatione in dies amplius ampliúſque perſpicies fruſtrà quæri in pluribus, quod in uno poteſt inveniri. Si vero labor hîc noſter ad pietatem in tuo ſtatu aſſequendam & ad Deum in ſpiritu & veritate adorandum tibi quidquam contulerit (hi enim tantùm inter veros adoratores numerantur & admittuntur) votorum meorum compos efficiar. Tu verò Deum optimum maximum deprecare, ut aliorum ſaluti intentus, mei ipſius immemor non efficiar.

ERRATA,

In Appendice corrigenda.

	Dele.	*Lege.*
Pagina 1. linea 19.	diximus,	duximus.
Pag. 9. lin. 25.	nimis	minus
Pag. 11. lin. 16.	affectus	effectus
Pag. 12. lin. 2.	cæleſti	cæleſtis
Pag. 13. lin. 24	Deo totum	à Deo totum
Pag. 22. lin. 2.	pervenire	prævenire
Ibidem lin. 8.	id eſt	&

APPENDIX.

EPISTOLA MONITORIA ET ADHORTATORIA, *R. P. Prioris Cartuſiæ ad omnes Superiores Cartuſienſis Ordinis pro ſollicitudine adhibenda contra libros ſuſpectos & colloquia Novatorum.*

FRater Innocentius humilis Prior Cartuſiæ, Ordinis Cartuſienſis Generalis Miniſter Vener. Patribus Viſitatoribus & Prioribus, Rectoribus & Vicarijs Monialium Ordinis noſtri ſalutem in Domino ſempiternam. Jam quidem habetis in calce libri Introductionis ad vitam perfectam latinè editi Appendicem, in qua clarè perſpicere licet, quid incomparabilis liber Imitationis Jeſu Chriſti doceat de gratia Chriſti eſſe ſentiendum. Sed quia experientia teſte didicimus, quæ & qualia damna inferre poſſint perſonis Ordinis quidam libri tacitis Autorum nominibus, & non ſervatis ſervandis impreſſi, qui quaſi furtivè in Cellas quorumdam Monachorum irruduntur: in quibus libris Dogmata jam olim à ſancta ſede Apoſtolica damnata; ſed adinventa ſubtili vocum novitate palliata, novarúmque rationum fuco obtecta recuduntur; itémque quid parere poſſint quorumdam hominum colloquia, qui ſub ſpecioſis majoris pietatis prætextibus, ſolitariorum animos in dubia, aut errores eò faciliùs adducere poſſunt, quò purioris & ſublimioris viæ ſpecimen ex eorum ſermonibus apparet: ideò operæ pretium duximus rem de qua agitur in Appendice, hîc vobis latiùs exponere & explicare, ut veſtro regimini ſubditos ad ejuſmodi librorum, colloquiorum, & novitatum damnis ſervare, aut retrahere faciliùs valeatis, & Doctrinæ in illo incomparabili libro de Imitatione circa iſtam materiam expreſſæ firmiùs adhærere.

Ex damnis autem inde obvenientibus, hæc pauca mihi experientia edocto liceat hîc referre. Inde ergò naſcuntur incuria vim ſibi inferendi juxta Chriſti verbum, *Regnum cælorum vim patitur, &c.* Audacia regulas & Superiores carpendi, præſumptio judicandi, contemptus obediendi, fiducia ad libitum agendi ex prætenſo defectu gratiæ ſenſibilis, quam ſolam eſſe reputant; tum demum obſtinatio, & obduratio mentis in proprio ſenſu ſectando. Ex quibus malis effectibus cùm ruina diſciplinæ regularis immineat, hoc quaſi antidoto per præſentem Epiſtolam munire vos volui, ut quod meum eſt in hac parte faciam, vobíſque ad tot damna eliminanda meam miniſtrem operam. Sed fuſis ad Deum precibus ſimul gratiam ejus & benedictionem imploremus, ut tùm oppella mea, tùm veſtra ſollicitudo, zelus & induſtria optatum habeant effectum. Et ne ad librum recurrere opus ſit, hîc iterum vobis referre placuit, quæ ibi ex libro de Imitatione Chriſti collecta habentur.

Ut autem perſpiciatur quantum illius eximij libri Doctrina cum S. Concilij Tridentini Decretis bene concordet, illa etiam vobis ob oculos ponemus, ut nemini unquam dubitare liceat de plena quam probare intendimus conformitate ſenſûs pijſſimi autoris libri de Imitatione cum almæ Matris Eccleſiæ fide & Doctrina, in Concilio Tridentino determinata & promulgata, nec non cum ſuo Patre & Magiſtro S. Auguſtino, cujus ideò varia loca hìc vobis proferemus. His de meo propoſito vobis declaratis ad rem veniamus.

SENTENTIÆ

Libri de Imitatione circa gratiam Chriſti in unum quaſi Capitulum collectæ; & in tres Paragraphos diviſæ.

§. I.

Gratiæ neceſſitas exponitur & qualia ſint ejus auxilia.

DISCIPULUS.

Lib. 3. cap. 55. n. 2. 1. OPus eſt gratia tua, & magna gratia: ut vincatur natura ad malum ſemper prona ab adoleſcentia ſua. Nam per primum hominem Adam lapſa & vitiata per peccatum, in omnes homines pœna hujus maculæ deſcendit ⁊ ut ipſa natura, quæ bona & recta à te condita fuit, pro vitio jam & infirmitate corruptæ naturæ ponatur: eò quod motus ejus ſibi relictus ad malum & inferiora trahat. Nam modica vis quæ remanſit: eſt tanquam ſcintilla quædam latens in cinere. Hæc eſt ipſa ratio naturalis circumfuſa magna caligine ⁊ adhuc judicium habens boni & mali, veri falſique diſtantiam, licet impotens ſit adimplere omne quod approbat: nec pleno jam lumine veritatis, nec ſanitate affectionum ſuarum potiatur.

Hic graphicè depingitur ſtatus naturę lapſę, licet per Chriſtum reparatę ⁊ cujus vis ſcintillę latenti in cinere bene comparatur, quę flatu cęleſtis ſpiritûs excitata adhuc valet in magnam flammam ſuccreſcere. Hęc ſcintilla eſt libertas humana ⁊ quę ſauciata quidem eſt & impotens ad bonum per ſe; ſed adhuc valens conſenſum prębere gratię Chriſti ⁊ ejúſque auxilio accepto ſpiritualiter vivere; ſicut corpus accepto cibo & potu & aëris continuo adminiculo vivit & valet, quę ſi ei deeſſent abſque cunctatione moreretur. Ibi ergò piiſſimus Magiſter neceſſitatem gratię exprimit, & tibi manifeſtat.

SALVATOR.

Lib. 3. cap. 9. n. 2. 2. FIli, ex me puſillus & magnus, pauper & dives, tanquam ex fonte vivo aquam hauriunt vivam ⁊ & qui mihi ſponte & liberè deſerviunt gratiam pro gratia accipient. Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo privato bono delectari ⁊ non ſtabilietur in vero gaudio, neque in corde ſuo dilatabitur: ſed multipliciter impedietur, & anguſtiabitur. Nihil ergò tibi de bono adſcribere debes: nec alicui homini virtutem attribuas; ſed totum da Deo, ſine quo nihil habet

homo. Ego totum dedi; ego totum te habere volo : & cum magna diſtrictione, gratiarum actiones requiro.

Per hæc pauca Chriſti verba omnia gratiæ ejus myſteria tibi exprimuntur: quidve de ea ſentire debeas. Ad ſponte & liberè deſerviendum te attrahit: nullâque inde tibi infertur neceſſitas. Totum Deo debes, qui gratiam ad malum fugiendum & bonum faciendum: & facultatem gratiâ bene utendi tribuit. Non eſt ergò mirum ſi homo ſuperbiendo, & ſenſim ſibi aliquid tribuendo; & inde gloriando: ſenſim etiam decidat & tandem totum amittat. Deus enim ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam. Primus lapſus in ſuperbiam; eſt primus gradus in culpam.

DISCIPULUS.

3. NUlla eſt ergò ſanctitas; ſi manum tuam, Domine, ſubtrahas. Nulla ſapientia prodeſt; ſi gubernare deſiſtas. Nulla juvat fortitudo, ſi conſervare deſinas. Nulla ſecura caſtitas : ſi eam non protegas. Nulla propria prodeſt cuſtodia : ſi non adſit tua ſacra vigilantia. Nam relicti mergimur & perimus; viſitati vero vivimus, & erigimur. Inſtabiles quippè ſumus, ſed per te confirmamur : tepeſcimus, ſed à te accendimur. *Lib. 3. cap. 14. n. 2.*

Neceſſitas & effectus gratiæ hic tibi exprimuntur; & quid nobis eveniat ſi exigentibus ſuperbiâ, culpa aut negligentiâ deſeramur ope gratiæ, ut loquitur D. Leo : & remaneamus in infirmitate naturæ. Sed cauſæ, rationes, modus, gradus & effectus hujuſmodi deſertionis gratiæ tibi infra explicabuntur; & videbis quid ſibi velit piiſſimus Author per verbum illud deſertionis : quæ ſit vel ad probationem & incrementum virtutis, vel ad punitionem ſuperbiæ, præſumptionis, & culpæ.

4. QUomodo poſſum me tolerare in hac miſera vita; niſi me confortaveris miſericordiâ & gratiâ tuâ? Noli avertere faciem tuam à me, noli viſitationem tuam prolongare; noli conſolationem tuam abſtrahere : ne fiat anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Domine doce me facere voluntatem tuam; doce me coram te dignè & humiliter converſari : quia ſapientia mea tu es, qui in veritate me cognoſcis; & cognoviſti antequam fieret mundus : & antequam natus eſſem in mundo. *Lib. 3. cap. 3. n. 6.*

Hic teipſum depictum videre licet; Quid de te ſentire debeas : & qualiter ad Deum recurrere; in omnibus de teipſo diffidere : ſed plenam fiduciam & ſpem in Deo collocare, atque ab ipſo petere auxilium ut in omnibus vias tuas dirigat. Quia ſapientia mea tu es : *O Deus meus. Nota hæc verba ſancti hujus authoris : & illa Pſalmiſtæ, Deus meus, miſericordia mea.*

5. O quàm maximè eſt mihi neceſſaria, Domine, gratia tua : ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum. Nam *Lib. 3. cap. 55. n. 4.*

ſine ea nihil poſſum facere: omnia autem poſſum in te confortante me gratiâ. O verè cæleſtis gratia, ſine qua nulla ſunt propria merita: nulla quoque dona naturæ ponderanda. Nihil artes, nihil divitiæ, nihil pulchritudo vel fortitudo, nihil ingenium vel eloquentia: valent apud te, Domine, ſine gratia. Nam dona naturæ bonis & malis ſunt communia, electorum autem proprium donum eſt gratia ſive dilectio: quâ inſigniti digni habentur vitâ æternâ. Tantùm eminet hæc gratia, ut nec donum prophetiæ, nec ſignorum operatio, nec quantalibet alta ſpeculatio aliquid æſtimetur ſine ea: ſed neque fides, neque ſpes, neque aliæ virtutes tibi acceptæ ſunt ſine charitate & gratia. O beatiſſima gratia, quæ pauperem ſpiritu virtutibus divitem facis; & divitem multis bonis humilem corde reddis. Veni deſcende ad me, reple me manè conſolatione tua: ne deficiat præ laſſitudine & ariditate mentis anima mea. Obſecro Domine ut inveniam gratiam in oculis tuis, ſufficit enim mihi gratia tua cæteris non obtentis; quæ deſiderat natura. Si fuero tentatus & vexatus tribulationibus multis, non timebo mala; dum mecum fuerit gratia tua. Ipſa fortitudo mea, ipſa conſilium confert & auxilium. Cunctis hoſtibus potentior eſt; & ſapientior univerſis ſapientibus. Magiſtra eſt veritatis, doctrix diſciplinæ, lumen cordis, ſolamen preſſuræ: fugatrix triſtitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum. Quid ſum ſine ea, niſi aridum lignum & ſtirps inutilis ad ejiciendum? tua ergò me Domine gratia ſemper præveniat, & ſequatur: ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum, per Jeſum Chriſtum Filium tuum. Amen.

Hic habes quid ſentire debeas de gratia Chriſti quæ charitatem infundit, quanti æſtimare, quantùm deſiderare; qualiter eam invocare, & qualiter circa cætera affici: ut verè dicas cum Apoſtolo Paulo ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & omnia poſſum in eo qui me confortat.

Lib. 3. cap. 54. n. 8. 6. HÆc gratia ſupernaturale lumen, & quoddam Dei ſpeciale donum eſt: & propriè electorum ſignaculum & pignus ſalutis æternæ, quæ hominem de terrenis ad cæleſtia amanda ſubſtulit; & de carnali ſpiritualem effecit. Quantò igitur natura ampliùs premitur & vincitur, tantò major gratia infunditur: & quotidie novis viſitationibus interior homo ſecundum imaginem Dei reformatur.

Obſerva quod Sanctus Magiſter gratiam quidem appellet ſignaculum electorum, ſed non dicat ſolis electis concedi: multi enim reprobi eam receperunt & per peccatum amiſerunt. Eſt ſignaculum Electorum: quia per ipſam perficitur & conſummatur illorum electio. Sed obſerva quibus te incitet ſtimulis ad eam conſervandam, augendam & promerendam: juxta illa Chriſti verba Regnum Cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud. Tibi ergò orandum, laborandum, vigilandum, vim inferandum eſſe Dominus & Diſcipulus denunciant, ut tempore accepto utaris, & gratiæ Dei non deſis: neç illam in vacuum recipias.

7. QUàm tutum pro conſervatione cæleſtis gratiæ humanam fugere apparentiam ; nec appetere, quæ foris admirationem videntur præbere ; ſed ea tota ſedulitate ſectari, quæ vitæ emendationem dant & fervorem ? Quàm multis nocuit virtus ſcita & præproperè laudata? Quàm ſanè profuit gratia ſilentio ſervata in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur & militia.

Lib. 3. cap. 45. n. 5.

Hic tibi demonſtrat qualiter te gerere debeas & periculis ſæpe occultis non te exponere, ut acceptam gratiam non amittas ; & quænam ſint illa à quibus cavere debeas : quia ſubtilius incautos decipiunt & abducunt. Ea nempe quæ vanam complacentiam gignunt & nutriunt ; unde ſuiipſius bona opinio, & exinde elatio ; inde præſumptio, poſtmodum aperta ſuperbia & tandem graves lapſus naſcuntur. Sic à ſcintilla augetur ignis ut loquitur ſcriptura.

8. NOn eſt illud virtus hominis, ſed gratia Chriſti ; quæ tanta poteſt & agit in carne fragili, ut quod naturaliter ſemper abhorret & fugit: hoc fervore ſpiritûs agrediatur, & diligat. Non eſt ſecundum hominem crucem portare ; crucem amare ; corpus caſtigare, & ſervituti ſubjicere ; honores fugere, & contumelias libenter ſuſtinere ; ſeipſum deſpicere, & deſpici optare : adverſa quæque cum damnis perpeti, & nihil proſperitatis in hoc mundo deſiderare. Si ad teipſum reſpicis, nihil hujuſmodi ex te poteris ; ſed ſi in Domino confidis: dabitur tibi fortitudo de cælo, & ſubjicietur ditioni tuæ mundus & caro. Sed nec inimicum diabolum timebis : ſi fueris fide armatus, & Jeſu Cruce ſignatus.

Lib. 2. cap. 12. n. 8.

Hic vides quid poſſis gratiâ Chriſti adjutus ; & cum quanta fiducia debeas expectare auxilium de Cælo : quo roboratus fortis eris, qui ex te ipſo debilis es & ſtare non potes. Ad id obtinendum, habenda tibi eſt fiducia in Domino in toto corde tuo : & prudentiæ tuæ non innitendum. Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, ut loquitur Propheta ; omnibus invocantibus eum in veritate ; nihil de ſe præſumentibus, ſed totum à Dei gratia ſperantibus.

9. FAc mihi Domine poſſibile per gratiam : quod mihi impoſſibile videtur per naturam.

Lib. 3. cap. 19. n. 4.

Brevis hic tibi ſuggeritur oratio in qua exprimitur quid de te ſentire debeas : & quid à Deo ſperare & expectare. Quâ oratione frequentiſſimè uti debes, ut agnoſcas quam vera ſint iſta Chriſti verba, ſine me nihil poteſtis facere ; & humiliando te in omnibus, oratio tua cælos penetret : & coram Deo invenias gratiam, juxta ſapientis effatum. Sicque opere compleas quod tibi per Concilium Tridentinum ſuggeri infra videbis ; & illius effectum ſentias : facere quod poſſis ; petere quod non poſſis ; & auxilium Dei recipere ut poſſis.

§. 2.

Quid Deus ab homine requirat, ut gratiam recipiat ⁊ conſervet, augeat: nec ab ea decidat.

Lib. 1. cap. 7. n. 1. 1. NOn ſtes ſuper teipſum: ſed in Deo ſpem tuam conſtitue. Fac quod in te eſt: & Deus aderit bonæ voluntati tuæ. Non confidas in tua ſcientia, vel cujuſquam aſtutia viventis: ſed magis in Dei gratia, qui adjuvat humiles, & de ſe præſumentes humiliat.

Hîc clarè perſpicis quid agere & quid vitare debeas, ut gratiam Dei in te attrahas ⁊ nec in vacuum recipias: & obtentam conſerves. Fac quod in te eſt; hoc eſt motus interiores gratiæ reverenter excipe ⁊ auſculta, ſequere, pete, quære, pulſa: inſurgentes motus naturales repelle, & te ad Deum converte. Propriam in te fiduciam ut anguem devita ⁊ memor iſtorum S. Scripturæ verborum: ante ruinam exaltatur ſpiritus. Si ſic facias quod in te eſt: per gratiam excitantem & adjuvantem, qui cœpit in te opus bonum, perficiet: operans velle & perficere pro bona voluntate. His tandem paucis verbis vides ſenſum S. Authoris: circa cooperationem gratiæ quam Deus à te requirit.

Lib. 1. cap. 22. n. 6. 2. O Quanta fragilitas humana, quæ ſemper prona eſt ad vitia? Hodiè confiteris peccata tua; & cras iterum perpetras confeſſa. Nunc proponis cavere ⁊ & poſt horam agis: quaſi nihil propoſuiſſes. Meritò ergò noſipſos humiliare poſſumus ⁊ nec unquam aliquid magni de nobis ſentire: quia tam fragiles & inſtabiles ſumus. Citò etiam poteſt perdi per negligentiam, quod multo labore vix tandem acquiſitum eſt per gratiam.

Hîc tibi ob oculos ponitur fragilitas humana ⁊ ut in humilitate & manſuetudine proficiens ſerves animam tuam ⁊ & ſummoperè cavere ſtudeas: à qualicumque animi inflatione. Vides laborem tuum hîc adjungi gratiæ ⁊ & utrumque perdi: non per gratiæ ceſſationem, aut deſertionem. Chriſtus enim tanquam caput in membra, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit: ut videbis in Conc. Trid. Non inquam per gratiæ ceſſationem: ſed per ſubjecti recipientis negligentiam & culpam. Negligentia & præſumptio: defectuum & lapſuum ſcaturigines ſunt.

Lib. 1. cap. 11. n. 4. 3. SI niteremur ſicut viri fortes ſtare in prælio: profectò auxilium Domini videremus ſuper nos de cælo. Ipſe enim certantes & de gratia ſua ſperantes paratus eſt adjuvare: qui nobis certandi occaſiones procurat ut vincamus.

Vides qualiter conatus tuos adjungere debeas gratiæ ⁊ & quantùm fidelis Deus erit in te præveniendo & adjuvando: ſi opere compleveris quod piiſſimus Author hîc ſuggerit tibi.

4. FIli precioſa eſt gratia mea; non patitur ſe miſceri extraneis rebus: *Lib. 3. cap.*
nec conſolationibus terrenis. Abjicere ergò oportet omnia impe- *53. n. 1.*
dimenta gratiæ: ſi optas ejus infuſionem ſuſcipere.

Vides qualiter libertas humana poteſt obices ponere gratiæ; & quantùm piiſſimus Author diſtet à ſenſu illorum qui effectum gratiæ nunquam impediri poſſe affirmant: ſiquidem docet te egregiè quid agendum tibi ſit ad locum gratiæ parandum, & abundantem ejus influxum in te attrahendum.

5. FIli qui ſe ſubtrahere nititur ab obedientia: ipſe ſe ſubtrahit à gra- *Lib. 3. cap.*
tia. Et qui quærit habere privata: amittit communia. *13. n. 1.*

Perditio ergò noſtra ex nobis eſt: & in libertate hominis eſt gratiam amittere: ſpiritum Dei ſenſim contriſtando, ut loquitur D. Paulus, per receſſum voluntarium ab obedientia. Unde etiam oritur ſubſtractio à gratia ex parte hominis: qui ſic deſerens gratiam tandem deſeritur.

6. EGo, inquit Dominus, docui Prophetas ab initio & uſque nunc *Lib. 3. cap.*
non ceſſo omnibus loqui: ſed multi ad vocem meam ſurdi ſunt & *3. n. 2.*
duri. Plures mundum libentius audiunt, quam Deum; facilius ſequuntur carnis ſuæ appetitum: quàm Dei beneplacitum.

Hic habes quid de gratiæ auxiliis à Deo conceſſis ſentire debeas; & qualiter à libera voluntate hominum non admittantur aut repellantur; ac proinde hominem deeſſe gratiæ, non gratiam homini, quamdiu obicem non ponit, aut illam non deſerit.

7. QUi autem aliquid boni ſibi attribuit; gratiam Dei in ſe vivere *Lib. 3. cap.*
impedit: quia gratia Spiritûs Sancti cor humile quærit ſemper. *42. n. 2.*

Quid præſumptio officiat hîc habes: & qualiter gratiam repellat. Quæ conventio lucis ad Belial? Sic nec gratia poteſt concordare cum ſuperbia. Quantò ergò major es, ut loquitur ſcriptura, humilia te in omnibus; & coram Deo invenies gratiam: cujus menſuram accipies ſecundum menſuram vacuam humilitatis quam Deo offeres.

8. DAt enim Dominus ibi benedictionem ſuam, ubi vaſa vacua inve- *Lib. 4. cap.*
nerit. Et quantò perfectiùs quis infimis renunciaverit; & magis *15. n. 3.*
ſibiipſi per contemptum ſui moritur: tantò gratia celeriùs venit, copioſiùs intrat, & altiùs liberum cor élevat.

Modum teipſum evacuandi ut gratiam recipias hîc habes; & ad quid aſpirare debeas: ſi velis gratiam Dei abundanter recipere & ſervare.

9. MElius eſt, modicum ſapere cum humilitate & parva intelligentia: *Lib. 3. cap.*
quàm magni ſcientiarum theſauri, cum vana complacentia. Me- *7. n. 5.*
liùs eſt tibi minus habere: quàm multum, unde poſſis ſuperbire. Non

ſatis diſcretè agit, qui ſe totum lætitiæ tradit; oblivisſcens priſtinæ inopiæ ſuæ, & caſti timoris Domini: qui timet gratiam oblatam amittere.

Manifeſtat tibi ea à quibus cavere debeas; & quam prudenter agere debeas: ne in ea, quæ gratiæ Chriſti odioſa ſunt & adverſa incidas. Quæ viam parant ad ſuperbiam, à qua initium ſumpſit omne peccatum; & per quam deficit omne bonum.

Lib. 3. cap. 6. n. 5. 10. CErta tanquam miles bonus; & ſi interdum è fragilitate corruis, reſume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea: & multùm præcave à vana complacentia & ſuperbia. Propter hoc multi in errorem ducuntur: & in cæcitatem penè incurabilem quandoque labuntur. Sit tibi in cautelam, & perpetuam humilitatem: ruina hæc ſuperborum de ſe ſtultè præſumentium.

Quid de lapſibus humanis & de certamine à te peragendo ſentire debeas, hìc tibi exprimitur; & qualiter inde humiliari debeas: non verò animum abjicere. Imò vires reſumere ex humilitate & majori fiducia in Deum; qui ex hujuſmodi infirmitatis humanæ lapſibus: vult nos ſervare à lapſu in vanam complacentiam & propriam fiduciam.

Lib. 1. cap. 13. n. 7. 11. IDeò non debemus deſperare cùm tentamur; ſed eò ferventiùs Deum exorare: quatenùs nos in omni tribulatione dignetur adjuvare; qui utique, ſecundum dictum Pauli: talem faciet cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere.

Conſilium Dei hìc tibi exponitur circa tentationes, & ad quid tibi eveniant; Quantam verò in Deum fiduciam exercere tunc debeas: & qualiter te gerere paucis expreſſum habes.

Lib. 1. cap. 13. n. 4. 12. PAulatim & per patientiam cum longanimitate, Deo juvante, melius ſuperabis: quam cum duritia & importunitate propria. Sæpius accipe conſilium in tentatione; & cum tentato noli duriter agere: ſed conſolationem ingere, ſicut tibi optares. Initium omnium malarum tentationum, inconſtantia animi: & parva ad Deum confidentia.

Modum te bene & prudenter gerendi tam tecum quàm cum aliis in ſtatu tentationis hìc reperies; & vides principium lapſuum à nobis ipſis ſemper procedere ex noſtro defectu & negligentia: ſecundum ſenſum piiſſimi Doctoris.

Lib. 2. cap. 8. n. 3. 13. MAgna ars eſt ſcire converſari cum Jeſu: & ſcire, Jeſum tenere, magna prudentia. Eſto humilis & pacificus & erit tecum Jeſus. Sis devotus & quietus: & permanebit tecum Jeſus. Potes citò fugare Jeſum, & gratiam ejus perdere: ſi volueris ad exteriora declinare. Et ſi illum effugaveris & perdideris; ad quem tunc fugies & quem tunc

quæres

quæres amicum? Sine amico non potes diu vivere ; & ſi Jeſus non fuerit tibi præ omnibus amicus : eris nimis triſtis & deſolatus.

Inde dubitare nemini licet de ſenſu piiſſimi Authoris circa cooperationem gratiæ Dei quam ab homine requirit : in cujus libertate ponit ſervare gratiam conceſſam, vel illam perdere. Inde etiam ſerio debes perpendere quid tibi volunt iſta S. Scripturæ verba : hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra : & illa ; exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis : ait enim ; tempore accepto exaudivi te : & illa, Quia tepidus es incipiam te evomere de ore meo.

14. Spera in Domino & fac bonitatem, ait Propheta : & inhabita terram, & paſcéris in divitiis ejus. Unum eſt quod multos à profectu & ferventi emendatione retrahit : horror difficultatis, ſeu labor certaminis. Enimverò illi maximè præ aliis in virtutibus proficiunt : qui ea, quæ ſibi magis gravia & contraria ſunt viribus, vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem : ubi magis ſeipſum vincit, & in ſpiritu mortificat. Sed non omnes habent æquè multum ad vincendum & moriendum. Diligens tamen æmulator valentior erit ad proficiendum, etiamſi plures habeat paſſiones : quàm alius morigeratus minus tamen fervens ad virtutes. Duo tamen ſpecialiter ad magnam emendationem juvant ; videlicet ſubtrahere ſe violenter ad quod natura vitioſa inclinat : & ferventer inſtare pro bono quo amplius quis indiget. Illa etiam ſtudeas magis cavere & vincere : quæ tibi frequentius in aliis diſplicent. *Lib. 1. cap. 25. n. 3.*

Hic apertè exprimit diverſos ſtatus hominum ; & qualiter cooperatio illorum gratiæ Dei plus aut nimis accipiat : majúſque vel minus augmentum gratiæ in ſe attrahat. Sed temerarium eſſet rem iſtam velle determinare circa ſingulares perſonas. Soli enim Deo noti ſunt gradus gratiæ & cooperationis libertatis ſingulorum cum gratia : & quonam modo fiat utriuſque concurſus. Id fit miris, ſed veris modis, ut dicit D. Auguſtinus loquens de igne infernali qui in animas agit : & ſecurius eſt hic remanere quam rem ſubtilius & curioſius velle inveſtigare.

§. 3.

Quid ſentiendum ſit de gratiæ adventu & receſſu ; præſentia, & abſentia ; derelictione & viſitatione ; ſive ad punitionem negligentiæ & culpæ, ſive ad probationem & incrementum virtutis : ſecundum mentem piiſſimi Autoris.

1. Fili utilius eſt tibi & ſecurius devotionis gratiam abſcondere ; nec in altum te efferre : nec multum inde loqui, neque multum ponde- *Lib. 3. cap. 7. n. 1.*

rare; ſed magis temetipſum deſpicere: & tanquam indigno data timere. Non eſt huic affectioni tenaciùs inhærendum: quæ citiùs poteſt mutari in contrarium. Cogita in gratia, quam miſer & inops eſſe ſoles ſine gratia. Nec eſt in eo tantùm ſpiritualis vitæ profectus, cùm conſolationis habueris gratiam: ſed cùm humiliter & abnegatè, patientérque tuleris ejus ſubtractionem. Ita, quod tunc ab orationis ſtudio non torpeas; nec reliqua opera tua ex uſu facienda omninò dilabi permittas: ſed ſicut optimè potueris & intellexeris, libenter quod in te eſt, facias; nec propter ariditatem, ſeu anxietatem mentis, quam ſentis: te totaliter negligas.

Vix opus eſt noſtra verba piiſſimi Authoris verbis addere; cùm ejus ſenſus hìc tibi tam apertè manifeſtetur circa præſentiam gratiæ: ejúſque abſentiam. Habes quid cogitare debeas in gratia; in quo ſtatu verſeris, quando es ſine gratia: & quantùm ad profectum tuum valeat, patienter ferre gratiæ ſubtractionem. De alia ergò agitur gratia: quàm de ea ſine qua homo ſpiritualiter moreretur. Ad quid enim hortaretur ejuſmodi gratiæ ſubtractione laborantem: ut ea quæ hìc ſuggerit exequatur. Animæ piæ loquitur; & ideò in ſtatu gratiæ exiſtenti. Illam inſtruit & docet: ad gratiæ ſubtractionem ferendam. De aliqua ergò gratia loquitur quæ diverſa eſt à gratia ſanctificante, ſive habituali atque etiam actuali: cùm abſque auxilio gratiæ actualis impoſſibile eſſet homini ea facere quæ hìc ſuadet.

Lib. 2. cap. 8. n. 5. 2. OPortet te eſſe mundum, & purum cor ad Jeſum gerere: ſi vis vacare & videre, quam ſuavis eſt Dominus. Et revera ad hoc non pervenies, niſi gratia ejus fueris præventus & intractus: ut omnibus evacuatis & abdicatis, ſolus cum ſolo uniaris. Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia; & quando recedit, tunc pauper & infirmus erit: & quaſi tantum ad flagella relictus. In his non debes dejici, nec deſperare; ſed ad voluntatem Dei æquanimiter ſtare, & cuncta ſupevenientia tibi ad laudem Jeſu Chriſti perpeti: quia poſt hyemem ſequitur æſtas, poſt noctem redit dies, & poſt tempeſtatem ſerenitas magna.

Diſpoſitiones neceſſarias tibi hìc aperit ad deguſtandam Dei ſuavitatem; ſimúlque te docet qualiter animosè & virtuosè debeas te gerere, in ejuſmodi gratiæ ſubtractione: ex qua non peior ſed melior effici potes, ſi quod tibi hìc ſuggerit in praxim redigas.

Lib. 2. cap. 11. n. 4. 3. INterdum à Deo relinquêris; interdum à proximò excitaberis: & quod amplius eſt, ſæpè tibimetipſi gravis eris, nec tamen aliquo remedio vel ſolatio liberari poteris: ſed donec Deus voluerit, oportet quod ſuſtineas. Vult enim Deus ut tribulationem ſine conſolatione diſcas pati; & ut illi totaliter te ſubjicias: & humilior ex tribulatione fias. Nemo ita cordialiter ſentit paſſionem

Chriſti : ſicut is, cui contigerit ſimilia pati. Crux igitur ſemper parata eſt : & ubique te expectat. Non potes effugere quocumque cucurreris : quia quocunque veneris, teipſum tecum portas, & ſemper teipſum invenies.

Vides hîc apertè quæ ſit illa Dei relictio ad quam debes eſſe paratus & reſignatus; & quos fructus in te paritura ſit : ſi juxta conſilium Dei eâ bene utaris, cujus conſilij finem & intentum tibi manifeſtat piiſſimus Author.

4. NOn eſt grave, humanum contemnere ſolatium, cum adeſt divinum. Magnum eſt & valde magnum, tam humano, quàm divino poſſe carere ſolatio; & pro honore Dei libenter exilium cordis velle ſuſtinere : & in nullo ſeipſum quærere, nec ad proprium meritum reſpicere. Quid magni eſt, ſi hilaris ſis & devotus, adveniente gratia? optabilis cunctis hæc hora. Satis ſuaviter equitat : quem gratia Dei portat. Et quid mirum, ſi onus non ſentit qui portatur ab omnipotente : & ducitur à ſummo ductore. *Lib. 2. cap. 9. n. 1.*

Pergit rationem tibi reddere diſpoſitionis divinæ & affectus iſtius receſſus; & adventûs gratiæ exprimere, ut pro certo habeas id ad probationem tuam pertinere; & ad charitatis augmentum inde reportandum.

5. CUm igitur ſpiritualis conſolatio à Deo datur; cum gratiarum actione accipe eam : ſed Dei munus intellige eſſe, non tuum meritum, & noli extolli. Noli nimium gaudere, nec inaniter præſumere: ſed eſto magis humilior ex dono; cautior quoque & timoratior in cunctis actibus tuis : quoniam tranſibit hora illa, & tentatio ſequetur. Cùm ablata fuerit conſolatio, non ſtatim deſperes; ſed cum humilitate & patientia expecta cæleſtem viſitationem: quia potens eſt Deus ampliorem tibi redonare gratiam & conſolationem. Iſtud non eſt novum, nec alienum viam Dei expertis : quia in magnis ſanctis & antiquis Prophetis fuit talis ſæpè alternationis modus. *Lib. 2. cap. 9. n. 4.*

Unde quidam præſente jam gratia dicebat : Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. Abſente autem gratia quid in ſe fuerit expertus adjungit, dicens : avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Inter hæc tamen nequaquam deſperat; ſed inſtantius Dominum rogat, & dicit : Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Denique, orationis ſuæ fructum reportat, & ſe exauditum teſtatur, dicens; Audivit Dominus & miſertus eſt mei : Dominus factus eſt adjutor meus. Sed in quo? Convertiſti, inquit planctum meum in gaudium mihi : & circumdediſti me lætitia. Et ſi ſic actum eſt cum magnis ſanctis; non eſt deſperandum nobis infimis & pauperibus, ſi interdum in frigiditate, & interdum in fervore ſumus : quoniam ſpiritus venit, & recedit, ſecundum ſuæ voluntatis beneplacitum. Unde beatus Job ait: viſitas eum diluculò, & ſubitò probas illum. *n. 5.*

n. 6. Super quid igitur ſpetare poſſum, aut in quo confidere debeo ˥ niſi in ſola magna miſericordia Dei & in ſola ſpe gratiæ cæleſti ? Sive enim adſint homines boni, ſive devoti fratres & amici fideles ˥ ſive libri ſancti vel tractatus pulchri ˥ ſive dulcis cantus & Hymni ˥ omnia hæc modicum juvant & modicum ſapiunt : quando deſertus ſum à gratia & in propria paupertate relictus. Tunc non eſt melius remedium: quàm patientia & abnegatio mei in voluntate Dei.

n. 7. Nunquam inveni aliquem religioſum, qui non habuerit interdum gratiæ ſubtractionem : aut non ſenſerit fervoris diminutionem. Nullus ſanctus fuit unquam tam altè raptus & illuminatus : qui prius vel poſteà non fuit tentatus. Non enim dignus eſt altâ Dei contemplatione : qui pro Deo non eſt exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim ſequentis conſolationis tentatio præcedens eſſe ſignum. Nam tentationibus probatis : cæleſtis promittitur conſolatio. Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vitæ.

n. 8. Datur etiam conſolatio divina, ut homo fortior ſit ad ſuſtinendum adverſa. Sequitur etiam tentatio, ne ſe elevet de bono.

Hic tibi ſtatum animæ latè explicat in gratiæ ſive receſſu, ſive acceſſu conſtitutæ ˥ & qualiter in utroque te gerere debeas edocet piiſſimus Author : & apertè vides illum loqui de alicujus gratiæ privatione ſive derelictione ad probationem, non de deſertione gratiæ neceſſariæ ad ſalutem.

Lib. 2. cap. 10. n. 5. 6. QUi gratiam Dei retinere deſiderat ˥ ſit gratus pro gratia Dei data : patiens pro ſublata ˥ oret ut redeat : cautus ſit & humilis ne amittat.

Anima ergò devota omni tempore debet eſſe parata & reſignata ad ferendam ejuſmodi gratiæ ſubtractionem; ſicque agendo gratiam Dei in ſe retentura eſt. Unde manifeſtum eſt, gratiam illam de qua ſanctus Author hîc loquitur & quæ ſubtrahitur : non impedire quin gratia Dei in corde retineatur. Utramque homo per libertatem ſuam & culpam poteſt amittere ˥ & ideò cautum eum eſſe & humilem hortatur pius Magiſter : ſed nemo poteſt ullâ induſtriâ vitare ut illa gratia ſenſibilis ſive ſenſus præſentiæ gratiæ non ab eo ſubtrahatur. Imò vides ad majorem pietatem pertinere : ſemper paratum eſſe ad illius privationem patienter ferendam.

Lib. 3. cap. 30. n. 3. 7. NOn debes judicare ſecundum præſens ſentire ˥ nec ſic gravitati alicui undecunque venienti inhærere & accipere : tanquam omnis ſpes ſit ablata emergendi. Noli putare te derelictum ex toto, quamvis ad tempus miſerim tibi aliquando tribulationem ˥ vel etiam optatam ſubtraxerim conſolationem : ſic enim tranſitur ad regnum cælorum.

Hic conſilium Dei & ſenſus iſtius derelictionis tibi manifeſtiùs aperiuntur. Non derelinquêris ex toto ˥ quia dum à ſenſu animæ gratiam illam receſſiſſe

conſpicis : in fundo animæ ſe recepit & collegit ; viréſque miniſtrat, ut inde validior ſias ad vim regno cælorum inferendam ; & Deum purius & fortius amandum.

8. DOmine, quid eſt homo, quod memor es ejus ; aut filius hominis *Lib. 3. cap.*
quia viſitas eum? Quid promeruit homo, ut dares illi gratiam *40. n. 1.*
tuam? Domine, quid poſſum conqueri, ſi deſeris me? aut quid juſtè obtendere poſſum, ſi quod peto, non feceris?

Hîc egregiam formam tibi tradit Deum alloquendi & deprecandi in illo deſtitutionis gratiæ ſtatu conſtitutus ; quidque de teipſo ſentire & qualiter tunc teipſum conſolari, & affectus animæ componere debeas : edocet.

9. DEſidero pacis gaudium ; pacem filiorum tuorum flagito : qui in *Lib. 3. cap.*
lumine conſolationis à te paſcuntur. Si das pacem ; ſi gaudium *50. n. 2.*
ſanctum infundis : erit anima ſervi tui plena modulatione & devota in laude tua. Sed ſi te ſubtraxeris ſicut ſæpiſſimè ſoles ; non poterit currere viam mandatorum tuorum : ſed magis ad tundendum pectus genua incurvantur. Quia non eſt illi ſicut heri & nudiuſtertius ; quando ſplendebat lucerna tua ſuper caput ejus : & ſub umbra alarum tuarum protegebatur à tentationibus irruentibus.

Effectus iſtius derelictionis hîc tibi deſcribuntur ; ut illorum ſenſu non deterrearis : ſed ad eam cum majori virtute ferendam diſponaris. Etenim ejuſmodi exercitium & certamen ſubtractionis : à Deo ſæpiſſime immitti fidelibus ſuis piiſſimus Author te admonet. Sed ſimul exponit quid ſenties in reditu gratiæ conſolantis ; ut leviùs feras ejuſmodi privationem : & præ oculis ſemper habeas quid à Deo, quid à te expectare debeas. Deo totum ; à te nihil aliud quàm laborem & afflictionem ſpiritûs.

10. MIſer ſum & quodammodo incarceratus, & compedibus gravatus ; *Lib. 3. cap.*
donec luce præſentiæ tuæ me reficias, ac libertati dones : *21. n. 4.*
vultúmque amicabilem demonſtres. Quærant alij pro ſe aliud quodcumque libuerit ; mihi aliud interim nil placet, nec placebit : niſi tu Deus meus ſpes mea, ſalus æterna. Non reticebo, nec deprecari ceſſabo, donec gratia tua revertatur : mihíque tu intùs loquaris.

Perſeverat te ad agnitionem tuiipſius coram Deo devotè proferendam, formare ; ſimúlque exponit : quid fortitudinis & virtutis in anima fideli ex hujus privationis probatione naſcatur. Quærant inquit alij pro te, &c. Id concordat cum illis verbis B. Iob : etiam ſi occiderit me, in ipſum ſperabo.

11. SI mihi ipſi relinquor, eccè nihil, & tota infirmitas. Si autem ſu- *Lib. 3. cap.*
bitò me reſpexeris ; ſtatim fortis efficior, & novo repleor gau- *8. n. 1.*
dio. Et mirum valdè, quod ſic repentè ſublevor, & tam benignè à te complector : qui proprio pondere ſemper ad ima feror. Facit hoc

amor tuus gratis præveniens me, & in tam multis ſubveniens neceſſitatibus ˥ à gravibus quoque cuſtodiens me periculis: & ab innumeris (ut verè dicam) eripiens malis.

Effectus præſentiæ & abſentiæ hujus gratiæ hic adhuc latius exprimuntur; quidve Deo, quid nobis tribuere debeamus.

Lib. 4. cap. 12. n. 3. 12. CUm gratiam devotionis tribuo ˥ gratias age Deo tuo, non quia dignus es: ſed quia tui miſertus ſum. Si non habes, ſed magis aridum te ſentis ˥ inſiſte orationi, ingemiſce, & pulſa: nec deſiſtes, donec merearis micam, aut guttam gratiæ ſalutaris accipere.

Obſerva quod piiſſimus Author reducat te ſemper ad principium humilitatis: quaſi ad unicum medium attrahendi gratiam in te. Dum te hîc movet ad quærendam gratiam devotionis quaſi importunè; memento perfectæ reſignationis Dei beneplacito, quam alibi te docuit.

Lib. 4. cap. 15. n. 2. 13. SI ſemper citò gratia daretur & pro voto adeſſet: non eſſet infirmo homini benè portabile. Propterea in bona ſpe & humili patientia: expectanda eſt devotionis gratia. Tibi tamen & peccatis tuis imputa: cùm non datur vel etiam occultè tollitur.

Hîc tibi detegit arcanum vitæ ſpiritualis circa gratiam ſenſibilem ˥ tanta enim eſt ejus vis ut ex ea natura deficeret ſi frequenter immitteretur: & vix homo poſſet naturalem vitam tolerare. Gratia ergò illa fortis, quæ virtutes parit & auget, tibi optanda eſt: ſed ſemper tibi imputandus eſt quilibet defectus. Tu enim es & eris ſemper ex te cauſa deficiens; ſicut gratia Chriſti eſt, & erit ſemper cauſa efficiens, erigens & ſuſtentans.

Lib. 3. cap. 35. n. 3. 14. PUtas quod ſemper habebis pro tua voluntate conſolationes ſpirituales? Sancti mei non habuerunt tales: ſed multas gravitates & tentationes varias magnáſque deſolationes. Sed patientes ſuſtinuerunt ſe in omnibus ˥ & magis confiſi ſunt Deo, quam ſibi: ſcientes, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam promerendam. Vis tu ſtatim habere, quod multi poſt lachrymas & magnos labores vix obtinuerunt? Expecta Dominum, viriliter age & confortare ˥ Noli diffidere: ſed corpus & animam expone conſtanter pro gloria Dei. Ego reddam pleniſſimè: ego tecum ero in omni tribulatione.

Hîc, ſicut & ſupra teneris animabus, Dei & virtutis amore affectis loquitur ˥ quæ præ carnis onere gementes ad ſpiritûs conſolationem aſpirant: veluti parvuli infantes ad ubera matris. Conſolatur ergò eas piiſſimus Author, his optimis verbis ˥ ut ſenſim aſſurgant ad ſolidum, licet aridum, cibum comedendum: de quo tam præclara alibi profert.

Lib. 3. cap. 7. n. 4. 15. COnſilium bonum eſt, ut fervoris ſpiritu concepto: mediteris

quid futurum ſit abſcedente lumine. Quod dum contigerit, recogita, & denuò poſſe lucem reverti: quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam, ad tempus ſubtraxi.

Optimum Conſilium tibi hîc tradit, ut ſecundum Dei beneplacitum paratus ſis ad quod voluerit: & diſcas abundare & penuriam pati, nec elevari in proſperis: ne faciliùs dejiciaris in adverſis. Hîc apertè vides ſubtractionem hujus gratiæ: ad gloriam Dei ſpectare.

16. SI fueris tam fortis & longanimis in ſpe, ut ſubtracta interiori conſolatione etiam ad ampliora ſuſtinenda cor tuum præparaveris, nec te juſtificaveris, nec ut ſanctum laudaveris, tunc in vera & recta via pacis ambulas: & ſpes indubitata erit, quod rursùs in jubilo faciem meam ſis viſurus. *Lib. 3. cap. 25. n. 3.*

Hinc diſce ad quem finem gratia illa ſubtrahitur, & quàm libenter aſſueſcere debeas: ad ferendam illius ſubtractionem. Sufficere tibi debet gratia illa fortis, quæ te fortem efficit ad adhærendum Deo eique fideliter ſerviendum; quaſi abſque ſenſibilis gratiæ ſtipendio.

17. PRudens amator, non tam donum amantis conſiderat, quam dantis amorem. Affectum potius attendit, quàm cenſum: & infrà dilectum omnia data ponit. Nobilis amator non quieſcit in dono: ſed in me ſuper omne donum. Non eſt ideò totum perditum: ſi quandoque minus benè de me, vel de ſanctis meis ſentis quam velles. Affectus ille bonus & dulcis quem internum percipis, affectus gratiæ præſentis eſt, & quidem prægustus patriæ cæleſtis: ſuper quo non nimium innitendum, quia vadit & venit. Certare autem adverſus incidentes malos animi motus, ſuggeſtionémque ſpernere diaboli: inſignis eſt virtutis & magni meriti. *Lib. 3. cap. 6. n. 2.*

Hic habes qualitates veri amatoris & quaſi voluntarij militis optimè expreſſas; & qualiter Deus pro Deo quærendus ſit non pro teipſo. Ecquis poſſet iſta facere ſi gratia ſenſibili deſtitutus, gratiam, ut ita loquar, radicalem in ſe non haberet? Iſta omnia hallucinatio mera eſſent: de ſenſu ergò Authoris circa deſertionem gratiæ nec hilum dubij unquam admittas.

18. QUid quæris quietem, cùm natus ſis ad laborem? Pone te ad patientiam magis, quàm ad conſolationem, ad crucem portandam magis: quàm ad lætitiam. Quis enim ſecularium non libenter conſolationem & lætitiam ſpiritualem acciperet, ſi ſemper obtinere poſſet: excedunt enim ſpirituales conſolationes omnes mundi delicias: & carnis voluptates. Nam omnes deliciæ mundanæ aut turpes ſunt, aut vanæ, ſpirituales verò deliciæ ſolæ jucundæ & honeſtæ: ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris infuſæ mentibus. Sed iſtis divinis conſolationibus nemo ſemper pro ſuo affectu frui valet: quia tempus tentationis non diù ceſſat. *Lib. 2. cap. 10. n. 1.*

n. 3. Multùm contrariatur ſupernæ viſitationi falſa libertas animi: & magna confidentia ſui. Deus benè facit conſolationis gratiam dando ˥ ſed homo malè agit: non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo. Et ideò non poſſunt in nobis dona gratiæ fluere ˥ quia ingrati ſumus auctori: nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia, dignè gratias referenti: auferetur ab elato quòd dari ſolet humili.

n. 4. Nolo conſolationem quæ mihi aufert compunctionem ˥ nec affecto contemplationem: quæ ducit in elationem. Non enim omne altum ſanctum ˥ nec omne deſiderium purum: nec omne dulce bonum, nec omne charum gratum Deo. Libenter accepto gratiam unde humilior & timoratior inveniar: atque ad relinquendum me paratior fiam. Doctus dono gratiæ & eruditus ſubtractionis verbere non ſibi audebit quicquam boni attribuere: ſed potius ſe pauperem & nudum confitebitur. Da Deo quicquid Dei eſt: & tibi aſcribe quod tuum eſt. Hoc eſt, Deo gratias pro gratia tribue ˥ tibi autem ſoli culpam; & dignam pœnam pro culpa deberi ſentias.

Egregiè hic te exhortatur S. Author, & iter demonſtrat per quod ambulare debeas: ut Deum aſſequaris & eo fruaris. Vias Dei demonſtrat tibi: & quid in materia gratiæ cæleſtis amplius deſiderare debeas. Ibi vides quo tendat conſilium cæleſtis Magiſtri per iſta piiſſimi ſcriptoris verba ˥ doctus dono gratiæ & eruditus ſubtractionis verbere: non ſibi audebit quicquam boni attribuere, &c.

Lib. 3. cap. 33. n. 1. 19. FIlli noli credere affectui tuo ˥ qui nunc eſt; citò mutabitur in aliud. Quamdiu enim vixeris, mutabilitati ſubjectus eris, etiam nolens ˥ ut modò lætus, modò triſtis, modò pacatus, modò turbatus; nunc devotus, nunc indevotus, nunc ſtudioſus, nunc acedioſus, nunc gravis, nunc levis inveniaris. Sed ſtat ſuper hæc mutabilia ſapiens & benè doctus in ſpiritu ˥ non attendens, quid in ſe ſentiat vel qua parte flet ventus inſtabilitatis: ſed tota intentio mentis ejus ad debitum, & ad optimum proficit finem. Nam ſic poterit unus & idem inconcuſſúſque permanere ſimplici intentionis oculo per tot varios eventus ad me imprætermiſsè directo.

Hic tibi apertè oſtendit ſtatum vitæ præſentis etiam in ſanctis viris ˥ & perfectiorem viam tibi demonſtrat; nempe puræ charitatis. Ibi vides qualiter verus Dei amator & fidelis ſervus ſupra omnes viciſſitudines tum interiores, tum exteriores, tum ſpirituales, tum corporales ſe erigere debeat: ut Deum ſolum purè & unicè quærat & ad eum ſecurè perveniat.

Lib. 3. cap. 55. n. 3. 20. VElle bonum mihi adjacet: perficere autem non invenio. Hinc ſæpe multa bona propono ˥ ſed quia gratia deeſt ad adjuvandum infirmitatem meam; ex levi reſiſtentia reſilio & deficio. Hinc accidit

accidit, quòd viam perfectionis agnoſco ˥! & qualiter agere debeam ſatis video : ſed propriæ corruptionis pondere preſſus ad perfectiora non aſſurgo.

Hîc piam animam introducit S. Author de proprio hominis animalis pondere & de ſua infirmitate ad Deum gementem; & piè conquerentem. Sermo ei eſt de multis bonis propoſitis, à quibus ex levi reſiſtentia reſilit & deficit ˥! quia gratia ei deeſt, *ſubaudi qualem optaret : & quali opus haberet ad faciendum omne bonum quod optaret, At non mirum ſi talis gratia deſit etiam ſanctis viris ˥! quia magna Dei diſpenſatione nobiſcum actum eſt ſecundum mentem S. Auguſtini : ut tota vita peccatores ſimus. Audi D. Paulum de hac re dicentem ˥! Quod volo bonum non facio : & quod odi malum, illud ago. Infelix ego homo, &c. Et obſerva quod piiſſimus Author hîc loquatur de bono propoſito, & de erectione ad perfectiora ˥ non de malo quod neceſſariò vitandum eſt : & ad quod poſtremum minimè dicit gratiam deeſſe : ſed tantùm ad primum, eo modo, quem ſuprà explicuimus.*

21 QUidam incauti propter devotionis gratiam ſeipſos deſtruxerunt ˥! quia plus agere voluerunt, quam potuerunt : non penſantes ſuæ paruitatis menſuram, ſed magis cordis affectum ſequentes, quam rationis judicium. Et quia majora præſumpſerunt, quam Deo placitum fuit : idcircò gratiam citò perdiderunt. Facti ſunt inopes, & viles relicti, qui in cælo poſuerunt nidum ſibi ˥! ut humiliati & depauperati, diſcant : non in alis ſuis volare, ſed ſub pennis meis ſperare. Qui adhuc novi ſunt & imperiti in via Domini ˥! niſi conſilio diſcretorum ſe regant : faciliùs decipi poſſunt & elidi. Lib. 3. cap. 7. n. 2.

Magna diſcretionis Regula hîc tibi traditur ˥! & cauſa amittendæ gratiæ devotionis aperitur; nempè præſumptio, ad quam devitandam egregia tibi præbet conſilia piiſſimus Author. Hæc attentius auſculta & fideliter ſequere. Hic locus tibi evidentius exponit genuinum Autoris ſenſum : in præcedenti articulo expreſſum. Qui enim majora præſumunt quàm Deo placitum eſt : gratia eis deeſt ad agendum quod ex præſumptione proponunt. Sed inſuper vides qualiter puniuntur & humiliantur per deſertionem ipſius gratiæ ˥ ſubaudi devotionis (nam radicalis gratia per peccatum mortale tantummodò perditur ˥!) & per depauperationem : ut humiliati & depauperati diſcant, &c. *Non ergò ad perditionem accedit eis iſtius gratiæ ſubtractio.*

22. FIli caveas diſputare de altis materiis & occultis Dei judiciis. Cur iſte ſic relinquitur ˥ & ille ad tantam gratiam aſſumitur? Cur etiam iſte tantum affligitur ˥! & ille tam eximiè exaltatur? Iſta omnem humanam facultatem excedunt ˥! nec ad inveſtigandum judicium divinum ulla ratio prævalet : vel diſputatio. Quando ergò hæc tibi ſuggerit inimicus ˥! vel etiam quidam curioſi inquirunt homines : reſponde illud Prophetæ. Juſtus es Domine & rectum judicium tuum. Et Lib. 3. cap. 58. n. 1.

illud: judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa. Judicia mea metuenda ſunt non diſcutienda : quia humano intellectui ſunt incomprehenſibilia.

Piiſſimus Author prævenit hîc conſuetum hominum judicandi modum, qui videntes tot infideles, tot Chriſtianos in luto peccatorum infixos, & quaſi ſibi ipſis relictos; cauſas, & rationes hujus differentiæ præſumerent quærere aut fingere. Diviſiones operationum ſunt & gratiarum, & judicia Dei abyſſus multa; in his ergo & ſimilibus conſilia hîc tibi tradita ſequere.

Lib. 3. cap. 16. n. 2. 23. ADeſto mihi Domine Jeſu in omni loco & tempore. Hæc mihi ſit conſolatio : libenter velle carere omni humano ſolatio. Et ſi tua defuerit conſolatio : ſit mihi tua voluntas & juſta probatio pro ſummo ſolatio. Non enim in perpetuum iraſcêris: neque in æternum comminaberis.

Habes hîc coronidem propoſiti piiſſimi Authoris, & quò tendant omnia illius documenta : quibus tibi manifeſtare intendit conſilium Dei circa gratiæ ejus adventum & receſſum, ut iſtis bene explicatis & cognitis, ſciamus quid à nobis requirat Deus ut gratiam inveniamus, in auxilio opportuno gratia Ieſu Chriſti nobiſcum ſit : & juxta Apoſtoli optatum, nemo noſtrûm deſit gratiæ Dei, nec illam in vacuum recipiat.

Exponitur Doctrina S. Concilij Tridentini circa gratiam Chriſti, ut cum ea ſenſus piiſſimi Authoris Libri de Imitatione Chriſti poſſit conferri.

QUALIS & quanta nobis ſit gratiæ Chriſti neceſſitas, ſatis indicat Chriſtus per hæc verba, *ſine me nihil poteſtis facere.* Et D. Paulus dicendo, *non ſumus ſufficientes ex nobis aliquid cogitare tanquam ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ex his Apoſtoli verbis proceſſit celebris ille terminus *gratiæ ſufficientis*, quo ſignificatur gratia, quæ ex ſe quidem nata eſt producere fructum boni operis, ſed quia deeſt cooperatio liberi arbitrij à gratia excitati & adjuti : remanet ſine effectu. Quia ex cooperationis defectu non datur gradus gratiæ: quo opus bonum perficitur. In iſtis autem Chriſti & Apoſtoli verbis nihil excipitur: nihil diſtinguitur. Et ſi à Deo habemus quod homines ſimus : impium eſſet cum Pelagio dicere, quòd à nobis habeamus, quòd boni ſimus. At quia hominum præſumptio inſtigante Diabolo in varios errores lapſa fuerat & in exceſſus pro libero arbitrio aſtruendo : ut Pelagius, & qui ſemipelagiani dicebantur, alij etiam in alios non minus à fide alienos exceſſus : pro Salvatoris gratia ſuo modo aſtruenda

ruebant. Quià liberum extinguebant hominis arbitrium : Dúmque ipſum peccati cauſam eſſe per gratiæ negationem conſtituebant. Ideò Concilium Tridentinum hos exceſſus & errores proſcripſit ⌉ & qualiter gratia cum libero arbitrio, & liberum arbitrium cum gratia concordarent, expreſſit: nec non quid de fide tenendum eſſet, docuit.

§. I.

De gratiæ neceſſitate & auxiliis cum quibus humana debet concurrere libertas: ita loquitur.

PRimò declarat S. Synodus ad juſtificationis doctrinam probè & ſincerè intelligendam oportere: ut unuſquiſque agnoſcat & fateatur ⌉ quòd cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent: facti immundi & ut Apoſtolus inquit, natura filij iræ quemadmodum in Decreto de peccato originali expoſuit ⌉ uſque adeò ſervi erant peccati, & ſub poteſtate Diaboli, ac mortis: ut non modo gentes per vim naturæ ⌉ ſed ne Judæi quidem per ipſam etiam literam Legis Moyſi, inde liberari aut ſurgere poſſent: tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum & inclinatum. « Seſſ. 6. cap. 1.

In hoc Decreto apertè vides originem & qualitatem morbi, ac neceſſitatem remedij: ſine quo nec inde liberari, nec ſurgere quiſquam poſſet. Obſerva quid hic S. Concilium proferat circa ſtatum liberi arbitrij: quem ex profeſſo notat contra errores Hæreticorum. *Non eſt extinctum*, inquit, *ſed viribus attenuatum & inclinatum* ⌉ ita ut per ſe ipſum non poſſit nec ſe erigere contra pondus naturæ corruptæ ad malum pronæ: nec vim concupiſcentiæ propriis viribus vincere. Sed tamen adinſtar languidi nondum per mortem extincti auxilium & medicamentum accipere poteſt per gratiam ⌉ qua operante & cooperante cum libero arbitrio, quod in ſe eſt per gratiam excitantem & adjuvantem facienti: ex languido fit fortis, & ex infirmo validus. *Non ego* inquit D. Paulus; *ſed gratia Dei mecum.* Videbis infra quòd ita liberum remaneat, nec extinctum ſit iſtud arbitrium: ut ipſam gratiam iſtud neceſſarium vitæ medicamentum & alimentum abjicere adhuc poſſit. Sic enim habes in eodem Concilio.

Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per JESUM CHRISTUM prævenienre gratia ſumendum eſſe ⌉ hoc eſt ab ejus vocatione: quâ, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur. Ut qui per peccata à Deo averſi erant; per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur. Ita ut, « Ibidem, cap. 5.

„ tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem ; neque
„ homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens: quippe
„ qui illam abjicere poteſt ; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad
„ juſtitiam coram illo liberâ ſua voluntate poſſit: unde in ſacris Literis
„ cùm dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis
„ noſtræ admonemur. Cum reſpondemus ; converte nos Domine, ad te,
„ & convertemur: Dei nos gratiâ præveniri confitemur.

Ibi apertè vides neceſſitatem abſolutam gratiæ excitantis & adjuvantis ; quæ movet & ſuſtentat noſtrum languidum; cujus paradigma aſſumpſimus, ut in pedes ſurgat ; ſed modo inexplicabili qui cum ſemper relinquat in libertate aſſentiendi & cooperandi, vel gratiam abjiciendi: qui modus ſtatim tibi exponitur, *ita ut tangente Deo cor hominis, &c.* Hic notantur quidam gradus aſſenſionis ; quibus per excitantem & adjuvantem gratiam, & per aſſenſum & cooperationem ipſi gratiæ: homo diſponitur ad juſtificationem. Utraque ad unum finem jungi perſpicuum eſt: ſed notanda ſunt hæc verba: *quippe qui illam abjicere poteſt.*

Fruſtrà certè fieret mentio de libertate abjiciendi illam gratiam: ſi gratia ſemper haberet effectum pro quo data eſſet. Nam libertas nunquam illam abjiceret ; cum eâ tantùm menſurâ per gratiam juvaretur: ultra quam libertas progredi non poſſet. Qui exempli cauſâ haberet gratiam ad reſiſtendum aliquandiù tentationi, in quam poſteà laberetur per conſenſum ; non haberet gratiam ad non conſentiendum malo: ſed tantùm ad pauliſper certandum & nitendum in vanum. Quid proficeret homini cui Deus præceptum imponit declinandi à malo ; ſi ei in imminenti periculo in malum decidendi conſtituto ; ejuſmodi gratia tantummodò concederetur? Tunc certè homo non deeſſet gratiæ in malum ruendo: ſed gratia ipſi deeſſet. Id autem quantùm à mente S. Concilij diſtet: in ſequentibus demonſtrabitur.

Si res ita ſe haberet ; ut quid hortaretur D. Paulus, *nequis deſit gratiæ Dei ; ne quis in vacuum gratiam Dei recipiat?* Ecquis probus & ſincerus homo inter mortales æquanimiter poſſet ferre, nec magnam ſibi injuriam irrogari conquereretur ; ſi quis ei quid ſimile imputaret, & diceret: rem à me fieri præcepiſti quam ſine tali adjutorio ſcis me non poſſe adimplere. Incepiſti me juvare ut ipſam attentarem ; ſed dum eſſem in procinctu præceptum tuum adimplendi: reliquiſti me & non dediſti auxilium quo ſcis me abſolutè indigere ad perficiendum quod præcepiſti. Auxilium quidem tuum effectum ſuum habuit ; quia volebas me tantùm juvare uſque ad certandum: ſed non ad ſuperandum tentationem. Mihi ergò illuſiſti ; & tibi imputandum eſt: quòd in malum iſtud contra mandatum tuum ceciderim. Si homini probo ejuſmodi querimonia injurioſa eſſet ; quid de Deo ſentiendum eſt à quo omnis abeſt iniquitas? cujus natura bonitas, & omnia ejus mandata æquitas?

Id tamen jure & meritò iſte ex parte adjutus, & ex parte relictus poſſet dicere.

Porrò evidenter tibi demonſtratur veritas & neceſſitas concurſûs & cooperationis liberi arbitrij, licet viribus attenuati, & inclinati, cum gratia Dei: per poſtrema iſtius Decreti verba: Qualiter autem fiat iſte concurſus, noli velle comprehendere, ſi non vis errare: id fit miris, ſed veris modis.

Iſta autem amplius probantur ; & falſæ conſequentiæ quæ ex liberi arbitrij attenuatione & inclinatione erui poſſunt: refutantur & repudiantur. Nec non fidelitas Dei in dandis homini ſemel juſtificato gratiæ auxiliis: aſtruitur capite 11. ejuſdem Seſſionis ubi dicitur.

Ibidem, cap. 11.

« Nemo autem quantumvis juſtificatus liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet ; nemo temeraria illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti: Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet ; ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis: & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt: cujus jugum ſuave eſt & onus leve. Qui enim ſunt filij Dei Chriſtum diligunt ; qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus: quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumvis ſancti & juſti ; in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant: non propterea deſinunt eſſe juſti. Nam juſtorum illa vox eſt, & humilis & verax: Dimitte nobis debita noſtra. Quo fit ut juſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via juſtitiæ ſentire debeant ; quo liberati jam à peccato, ſervi autem facti Deo, ſobriè, juſtè & piè viventes perficere poſſint per CHRISTUM JESUM: per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit: niſi ab eis prius deſeratur. »

In his verbis apertè vides qualiter S. Synodus occurrat impoſſibilitati illi mandata ſervandi ab hæreticis prætenſæ ; quæ vera eſſet: ſi homo ſibi relictus remaneret. At quid fide tenere debeas ex Dei promiſſis circa auxilium gratiæ quod à Deo homini juſtificato conceditur ; idque jugiter, ut infra probabitur: hic tibi declaratur.

Deus ergò impoſſibilia non jubet ; nam media miniſtrat, quibus quod impoſſibile eſt per naturam: poſſibile fiat per gratiam. Media autem illa in his tribus conſiſtunt ; *facere quod poſſis, petere quod non poſſis: & adjuvat ut poſſis.* Hæc verba non ſunt diviſivè accipienda & quaſi ad diverſos actus pertinentia ; ſed collectivè, quaſi ad unum, eumdémque actum ſpectantia: alioquin facilis inde lapſus in errorem occurreret. *Facere quod poſſis,* inquit. Quid ex nobis poſſumus? nihil omninò. Chriſtus enim loquitur: *ſine me nihil poteſtis facere.* Et Paulus ; non ſufficientes ſumus ex nobis aliquid cogitare tanquam ex nobis: *ſed ſufficien-*

tia noſtra ex Deo eſt. Et ſemipelagianum eſſet credere : quod poſſimus gratiam pervenire per aliquam bonam voluntatem , aut aliquem conatum. Quid ergò ſibi vult Sacrum Concilium Tridentinum per hæc verba , *facere quod poſſis*; & per ſequentia , *petere quod non poſſis*? Nihil aliud certè, quàm ſignificare orationem & conatum bonæ voluntatis per gratiam excitatæ & adjutæ : concurrere debere cum ipſius gratiæ operatione. Quibus ſimul conjunctis, oratione ſcilicet & cooperatione: *adjuvat Deus ut poſſis*. Id eſt tribuit ultimum effectum gratiæ : ad boni operis conſummationem.

Tria ergò iſta ſimul concurrere debent; ut ſit devota & humilis oratio ad petendum; ſit fidelis cooperatio bonæ voluntatis à gratia excitatæ & adjutæ ad quærendum & pulſandum : & ſpiritus bonus promiſſus & datus ſic petenti, quærenti & pulſanti ſecundum Chriſti infallibile promiſſum ad conſummationem boni operis.

Prævenit autem hic S. Synodus inquietudines quas concipere poſſent animæ fideles ex quotidianis in venalia lapſibus : quaſi inde à gratia excidarent. Exponit enim hac in re conſilium Dei; & quid ab eis fide credendum & agendum ſit circa ejuſmodi peccata : tandémque concludit per hanc abſolutam ſententiam, *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Si juſtos ſinat labi in ejuſmodi peccata venialia; nunquam ſemel juſtificatos deſerit ea gratia quæ abſolutè eis neceſſaria eſt ad vitanda mortalia: quibus deſeritur Deus. Illis autem verbis & fidelitas Dei in ſemel juſtificatos inceſſanter adjuvando per ſuæ gratiæ influxum manifeſtatur; & æquitas in proventu cum tentatione faciendo juxta verbum Apoſtoli , ut non patiatur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed poſſimus ſuſtinere : apertè declaratur. De hac re iterum fuſiùs infrà dicetur.

§. 2.

Quid Deus ab homine requirat ut gratiam recipiat, conſervet, augeat : nec ab ea decidat.

PLura jam ſuprà tibi allata ſunt , quæ in idem argumentum recidunt; ſed ex ſequentibus evidentiùs apparebit S. Concilij ſenſus : ex his quæ decernit circa eos qui à gratia per mortale peccatum exciderunt. Sic ergò loquitur.

Seſſ. 6. cap. 14. „ Qui verò ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt; „ rursùs juſtificari poterunt : cùm excitante Deo per pœnitentiæ Sacra„ mentum , merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint. „ Hic enim juſtificationis modus eſt lapſûs reparatio : quam ſecundam

poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres aptè nuncu- «
pârunt. Etenim pro iis qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur; «
CHRISTUS JESUS Sacramentum inſtituit Pœnitentiæ cùm dixit: Ac- «
cipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur «
eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Unde docendum eſt Chriſ- «
tiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum, multò aliam eſſe à baptiſmali; «
eáque contineri non modo ceſſationem à peccatis & eorum deteſta- «
tionem, aut cor contritum & humiliatum: verum etiam eorumdem Sa- «
cramentalem Confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, «
& Sacerdotalem abſolutionem; itémque ſatisfactionem per jejunia, «
eleemoſynas, orationes & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: non qui- «
dem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà «
cum culpa remittitur; ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ Literæ «
docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, «
quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contriſtaverunt: & Tem- «
plum Dei violare non ſunt veriti. De qua pœnitentia ſcriptum eſt, me- «
mor eſto unde excideris: age pœnitentiam & prima opera fac. Et «
iterum; quæ ſecundum Deum juſtitia eſt: pœnitentiam in ſalutem, ſta- «
bilem operatur. Et rursùs; pœnitentiam agite: & facite fructus di- «
gnos pœnitentiæ. «

Remedium à Chriſto inſtitutum pro lapſibus reparandis; & modus quo fit & perficitur iſta reparatio: hìc à ſacra Synodo exponuntur, cujus verba nobis ponderanda ſunt. *Excitante*, inquit, *Deo*: , . . . *gratiam recuperare procuraverint.* Lapſorum ergò eſt excitanti Deo obedire & procurare: quo verbo ſatis indicatur hominis excitati & adjuti neceſſaria & poſſibilis cooperatio. Alioquin quid ſibi procurare poſſet homo, cui denegaretur gratia, aut qui gratiæ reſiſtere non poſſet? nihil omninò; & ſinceritati veritatis contrarium eſſet hortari hominem ad ſibi procurandum aliquid excitante & adjuvante gratiâ, niſi aliquid ex ſe adjungere deberet: quod aſſenſum & cooperationem alibi nominat idem S. Concilium.

Qui gratiæ Dei quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contriſtaverunt: & Templum Dei violare non ſunt veriti. Mirabilis prorsùs eſſet iſta amphibologica locutio; ſi ejuſmodi crimina imputarentur homini ſemel juſtificato, ſed poſteà in peccatum mortale lapſo: ſi gratia actualis ſine qua non poterat non labi, & cum qua potuiſſet non labi, non fuiſſet ei conceſſa. Id profectò deceptorium eſſet: & à conſueto hominum concipiendi modo prorsùs alienum. *Non ſunt*, inquit, *veriti*; ex his verbis innoteſcit irreverentia voluntaria & inſolentia, quâ ut loquitur Apoſtolus Spiritus Dei contriſtatur; & Spiritui gratiæ fit contumelia: quæ omnia homini ſemel juſtificato, cui gratia deeſſet minimè poſſent convenire, aut rationabiliter imputari.

Porrò ibi habes qualiter per fructus dignos pœnitentiæ, & per bona

operagratia accepta debeat ſervari: & ad abundantiorem gratiam recipiendam homo juſtificatus valeat, adjuvante ſemper ipſa gratiâ, ſe diſponere. Statim autem occurrit S. Synodus callidis quorumdam hominum ingeniis; qui ut falſa ſua dogmata aſtruant: ſoli infidelitati volunt adſcribere, quod etiam ſingulis mortalibus peccatis convenit. Sic enim loquitur S. Concilium.

Ibidem. „ Adverſus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium, aſſerendum eſt: non modò infidelitate, per quam ipſa fides amittitur; ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides: acceptam juſtificationis gratiam amitti, divinæ legis Doctrinam defendendo; quæ à Regno Dei non ſolum infideles excludit: ſed & fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores; fures, avaros, ebrioſos, malèdicos, rapaces, cæteróſque omnes qui lætalia committunt peccata: à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparantur.

Excluduntur ergò homines à Regno cælorum quia in mortalia peccata prolapſi ſunt, Dei præceptis oppoſita & ejus Charitati contraria: à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abſtinere poſſunt. Non dicit ſe per quædam levia & modicæ durationis certamina aliquo temporis ſpatio immunes ab eis reddere; ſed omninò abſtinere poſſunt: & ad id tenentur ex præcepto Dei & ex propria ſalutis neceſſitate.

Duo ergò iſta ſimul concurrunt; tranſgreſſio præcepti, & voluntarius abuſus gratiæ Dei: cujus adjumento ab iſta tranſgreſſione abſtinere poſſunt. Primum vitare non poſſet homo, ſi in ſtatu naturæ corruptæ ſibi ipſi relinqueretur; ſed quia homini juſtificato gratiæ adjumentum præſto eſt: ratio completiva peccati conſiſtere videtur in eo quod potuit abſtinere à peccati tranſgreſſione cum divinæ gratiæ adjumento, & non abſtinuit. Nemo enim, ut ait Divus Auguſtinus, peccat in eo, quod vitare non poteſt. Pro ejuſmodi ergò peccatis à gratia Chriſti ſeparantur ex duplici ratione; quia præceptum tranſgreſſi ſunt: & quia adjumento gratiæ per quod à tranſgreſſione abſtinere poterant, uti noluerunt.

§.

Quid decernat S. Synodus circa gratiæ Chriſti influxum in ſemel juſtificatos: & de eorum perſeverantia.

OBſervandum eſt nullam à S. Concilio de parvulis abſque Baptiſmo ex hac vita migrantibus: nec de infidelibus fieri mentionem. Quia hucuſque nihil ab Eccleſia circa illos determinatum eſt: quid aut qualiter

liter in eos influat gratia Chriſti. Præter generale illud principium quo Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus eſſe aſſeritur : ex quo varia argumenta deducuntur, ſed de his nulla hîc nobis eſt quæſtio : cùm in ſancti Concilij decreto de juſtificatione : de Baptiſatis, & adultis fidelibus agatur.

De influxu gratiæ Chriſti in eos ſic ergò loquitur : Chriſtus Jeſus « tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſti- « ficatos jugiter virtutem influit ; quæ virtus bona ipſorum opera ſemper « antecedit, & comitatur & ſubſequitur. « *Seſſ. 6. cap 16.*

Superfluum eſſet verba noſtra hîc addere ad exponendum continuum & non interruptum gratiæ Chriſti influxum in juſtificatos, niſi ipſi obicem ponant : cùm verbum illud *jugiter* & comparationes ex capite in membra & ex vite in palmites deſumptæ : id omnibus evidenter probent, qui cæcutire noluerint. Nihil autem ibi dicitur de quantitate aut æqualitate ipſius influxûs : an plus minúſve in quoſdam palmites influat. Id enim ei ſoli notum eſt qui dat ſingulis prout vult. Sed certum eſt juxta modum præparationis & diſpoſitionis ex parte recipientis : plus minúſve recipi. Juxta illud Pſalmiſtæ : deſiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua. Et juxta ea omnia quæ S. Synodus determinavit : circa diſpoſitiones ad juſtificationem. Sed valde cavendum eſt juſtificatis : ne ex negligentiis & peccatis venialibus multiplicatis in graves & periculoſas tentationes incidant : in ſe attrahant terribile illud verbum ; *quia tepidus es incipiam evomere te de ore meo.* Omnes ergò hæc Apoſtoli verba præ oculis mentis ſemper habere debent : *cum timore & tremore, veſtram ſalutem operantes* : & illa : *hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* ; & plura ſimilia.

Sed res iſta adhuc amplius determinatur à S. Concilio cum dicitur : *Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit ; niſi ab eis prius deſeratur.* Inde ſole clarius patet quid S. Synodus ſentiat de ſeparatione juſti à gratia Chriſti. Deſerit Chriſtum per lapſum voluntarium in peccatum mortale à quo abſtinere poterat cum præſenti gratiæ Chriſti adjumento : & ſic ſoluto nexu charitatis Dei : per peccatum quo prior voluntariè & criminosè deſeruit Deum, à Deo etiam deſeritur. Abeant nunc quidam, & ſubtiliter argumentantes contra animas ſuas, diſtinctionem proferant inter gratiam habitualem ſive ſanctificantem, & gratiam actualem : dicántque ; gratiæ actualis influxum à Chriſto quandoque ſubtrahi juſtis. Unde fit ut ipſi juſtificati hoc actuali auxilio deſtituti : in peccatum mortale labantur quo perdant gratiam habitualem : ſicque deſerant Deum, priuſquam à Deo deſerantur. Mens refugit ſincera vel in cogitatione admittere ejuſmodi ſubtilitatem : quæ non tantùm iniquitatem Deo imponit : ſed etiam fictiones, ſed mendacia, ſed barbariem : quæ eò majorem ei injuriam inferre videntur : quò ſe & *Ibidem cap. 11.*

Patrem noſtrum & ipſam charitatem eſſe ampliùs & apertiùs profitetur. Quis mortalium honeſtate quadam morum præditus poſſet æquanimiter ferre ejuſmodi improperium? Aſſeris, ô Domine, te nunquam deſerturum eſſe eum, quem ſuſcepiſti nutriendum & juvandum; niſi prius ab eo deſeraris. Prævenisti me fateor; attraxiſti me, ſuſcepiſti me: præcepiſti mihi aliquid facere quod optimè noſti me non poſſe adimplere niſi auxilio tuo actuali adjutus ſim. Cùm verò fui in neceſſitate laborandi, ut facerem quod juſſiſti; denegaſti mihi illud auxilium actuale, quo abſolutè indigebam. Hoc ergò auxilio deſtitutus, non feci quod juſſiſti; & pondus naturæ corruptæ me ad ima traxit: quia ſine auxilio tuo non poteram illud vincere. Quâ æquitate ergò mihi imputari poteſt quòd deſeruerim te antequam me deſereres; cum ipſe prior ſubtraxeris à me auxilium actuale ſine quo optimè noveras me non poſſe facere quod mihi juſſeras ſub pœna me deſerendi? Auxilium illud, inſtabit aliquis argumentator, non erat tibi debitum. Quinimò juſtum tunc adjutorium meum à Domino erat; ipſe enim eſt qui mihi impoſuit præceptum: & promiſit auxilium ſine quo non poſſum ſurgere, illúdque adimplere. Elevans ergò alliſit me qui juſſit manum ad opus mittere; promiſit juvare & poſteà dimiſit: ad quid, niſi ut caderem, cùm ſciret me non poſſe ſtare ſine illo actuali auxilio quod à me ſubtraxit. Refugit, inquam, animus vel de hac re cogitare: cùm id ſit ipſi Deo injurias quas ſuprà memoravimus, irrogare. Valeant ergò ſubtiles & profanæ vocum novitates; ſentiamus de Domino in bonitate, in veritate, in æquitate; abſit à loquente Chriſto, ab ipſa veritate verba faciente, omnis ſimulationis ſuſpicio; omnis amphibologicæ locutionis obumbratio. Loquamur ſicut Chriſtus; audiamus & capiamus verba ejus quaſi cum omni ſimplicitate & ſinceritate ab eo prolata: qui ipſa veritas & ſinceritas eſt: prohibens omne mendacium & omnem ſimulationem malitiæ. Audiamus Divum Gregorium de fidelitate Dei in juvando juſtum ita loquentem ſuper verba iſta Job: *& conſilium impiorum adjuves*, ubi per impios, intelligit Dæmones. Pius conditor, inquit, cum viribus flagella moderatur; ne virtutem pœna tranſeat; & per aſtutiam fortium humana infirmitas excedat. Unde & bene per Paulum dicitur; *fidelis autem Deus; qui non patietur vos tentari ſuprà quam poteſtis, &c.* Niſi enim miſericors Deus cum viribus tentamenta modificet; nullus profectò eſt: qui malignantium ſpirituum inſidias non corruens portet. Quia ſi menſuram Judex tentationibus non præbet; eo ipſo protinus ſtantem dejicit: quò ultra vires onera imponit. Hæc ille. Id tamen Deo imputare videntur qui ſenſum Sacri Concilij eo modo quem ſuprà notavimus, detorquere conantur, &c.

lib. 9. moral. cap. 25.

Fruſtra allegantur illa verba, *induravit Dominus cor Pharaonis*, & ſimilia; agitur enim ibi de peccatoribus in peccato obduratis: circa quos

ſecretum Dei ipſi ſoli, & judicia ejus abyſſus multa. Et ejuſmodi allegationes æque futiles ſunt æſtimandæ; ac verba illa quæ in ventum communiter proferuntur ab hæreticis: quando cum eis agitur de reali præſentia Chriſti in ſacra Euchariſtia. Ut quid vocat S. Scriptura Chriſtum vitem, agnum, leonem, &c? ac ſi inde deberet concludi: quod Chriſtus ſemper metaphoricè ſit locutus. Sic etiam quidam ad propinandos faciliùs ſuos errores circa gratiam Chriſti: identidem proferunt iſta Apoſtoli verba, ô altitudo, &c. Quam incomprehenſibilia, &c. In hoc quoſdam hæreticos imitantes; qui ut ſimplicioribus imponant: his magnis verbis utuntur Typis & Archetypis quæ ad libitum applicant: ſicque errores ſuos tegunt: & pro magna re aliqua minuta divenditant. Nulla ſunt myſteria & incomprehenſibilia fabricanda in his quæ Chriſtus & Eccleſia apertis & ſinceris verbis declarârũt; ſed eâ ſinceritate ſunt accipienda: quâ ſunt ab illis prolata ſecundum conſuetum hominibus concipiendi modum. Quando enim veritas loquitur hominibus, eorum concipiendi modo debet ſe accommodare; ut eam intelligere & ſequi valeant: maximè quando de re practica agitur, prout eſt auxilium gratiæ quod ad faciendum bonum & ad declinandum à malo abſolutè neceſſarium eſt.

Quàm erroneum autem ſit, & à mente S. Concilij alienum cauſam fictæ illius ſubtractionis gratiæ actualis à juſtificatis à peccato originali velle prætexere: ut inde quodammodò pallietur duritia ipſi Deo inde imputata: probatur ex illis S. Concilij verbis.

« Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit non totum tolli id, quod veram & propriam peccati rationem habet: ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus. Quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem; qui non ſecundum carnem ambulant; ſed veterem hominem exuentes, & novum qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes; innocentes, immaculati, puri, innoxij ac Deo dilecti effecti ſunt: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ita ut nihil prorsùs eos ab ingreſſu cæli remoretur. Manere autem in baptiſatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur & ſentit; quæ cum ad agonem relicta ſit: nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet: quinimò, qui legitimè certaverit coronabitur. »

Hic apertè videtur qualiter per Baptiſmum vetus homo exuitur & novus induitur: quidve pariat ejuſmodi mutatio. Innocentes, inquit, immaculati, puri, innoxij: ac Deo dilecti effecti ſunt. Quonam modo iſta poſſunt concordari cum illis [illegible] peccati originalis reliquiis; ex quibus adhuc cauſæ & r[illegible] ſubtrahendi ab homine juſtificato auxilium gratiæ a[illegible], q[illegible] in peccatum labitur?

non eſt apud Deum *eſt* & *non*; ſed eſt apud eum *eſt*. Quod perfectò non eſſet: ſi apud Deum reperirentur ejuſmodi contradictiones & oppoſitiones.

Sed ne de hac re dubium poſſit formari, ſtatim explicat S. Synodus & exponit quid de fomite peccati & de concupiſcentia ſentiendum ſit: & quem ad finem uterque relictus ſit. Ad agonem, inquit, & certamen. Sed qua virtute certamen illud feliciter perficiatur, & quid inde procedat apertè exprimit dicendo: nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet. Agitur hic de certamine, de repugnantia viriliter per Chriſti gratiam peragenda, de conſenſu denegando: quæ omnia apertè indicant libertatis induſtriam & vim adjuvante & urgente gratiâ Chriſti exerendam & exercendam. Quomodo iſta vera eſſe poſſent, ſi gratia haberet ſemper effectum pro quo datur? mera certè hallucinatio eſſe videretur: rem ejuſmodi per præfata verba velle ſignificari. Quod abſit à mente S. Concilij, & à Spiritu Sancto: qui effugit omnem diſciplinæ fictum, ut loquitur Sapiens.

Sed hæc ampliùs probantur per Decretum de perſeverantia: ubi dicitur.

„ Similiter de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt; qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt eum qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet: & eum qui cadit, reſtituere. Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilium firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet: operans velle, & perficere. Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur: in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt: de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti: debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Deus voluit omnes fideles inter ſpem & filialem timorem vitam agere, nec de ſua perſeverantia in bono eſſe ſecuros, cùm eorum libertas ſit ſemper idonea ad bene aut malè utendum divinis auxiliis; unde meritò in hac re omnis præſumptio longè ablegenda ſit. *Tametſi omnes, &c.* neminem ibi excipit, & de ſpe Theologica loquitur, quæ fidelitatem Dei in promiſſis habens pro objecto: firmiſſima eſſe debet non minùs, quàm fides quæ veritatem Dei habet pro ſpeciali objecto. *Deus enim, niſi ipſi gratiæ ejus defuerint, &c.* Ecce conditio poſita quæ niſi à libero penderet arbitrio: fruſtrà poneretur. Ut quid mentio fieret de

iſta conditione, ſi homo juſtificatus gratiæ deeſſe non poſſet ; & ſi ab eo ſubtraheretur, aut ei non daretur auxilium gratiæ qua poſſet ? illuſorium prorſus eſſet ejuſmodi verba proferre & conditiones apponere ; quia à parte rei perſeverantiæ gratia quibuſdam juſtificatis concederetur, aliis negaretur abſque alia cauſa: quàm ex quodam Decreto, &c. Hæret hìc calamus ; quia horret vobis rem ſcribere blaſphemiæ tam vicinam quorumdam hæreticorum aſſerentium Deum directè velle reproborum damnationem, ejúſque autorem eſſe.

Portò ex hoc Decreto terminari debent variæ circa perſeverantiæ materiam diſputationes: quæ certè inextricabiles & inexplicabiles difficultatum nodos priùs continebant. Sed poſt tam apertam Eccleſiæ deciſionem in Concilio œcumenico prolatam ; ubi viſum eſt Spiritui Sancto & tot Patribus rem iſtam determinare : captivandus eſt in fidei obſequium intellectus. Et ſi quid appareat in quorumdam ſanctorum Patrum ſcriptis circa hanc materiam intellectu difficile ; credendum eſt ſacrum Concilium, hoc Decreto compleviſſe, quod erat eorum dictis addendum: ut nulli dubio aut quæſtioni locus ampliùs daretur.

Perſeverantia finalis donum Dei eſt quod ſolis prædeſtinatis conceditur ; ſed quia id durè ſonabat multorum auribus, qui id capere non valentes, inde evaneſcebant in cogitationibus ſuis ; putantes quòd per Deum ſtaret quin illud perſeverantiæ donum pluribus daretur: & inde illorum damnationis cauſam procedere. S. Synodus iſtas errandi cauſas reſecavit conciliariter pronunciando. *Tametſi in Dei auxilium firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi gratiæ illius defuerint ; ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet: operans velle & perficere.* Deus ergò operatur velle & perficere ; ſed aliquid requiritur ex parte hominis: quòd ſi deſit ; gratia Dei non perficit in iſto homine juſtificato: quia deeſt gratiæ Dei. Illud autem quod ab eo requiritur, cooperationem vocamus ; ad quam maximè pertinet humiliter, fiducialiter, & devotè petere: & inſtanter quærere & pulſare.

Quòd hìc dicimus de perſeverantia finali ; poteſt etiam intelligi de perſeverantia temporali: id eſt de perſeverantia in bono, quamdiù temporaliter vivimus. Eſt donum Dei, gradus gratiæ, quo fit boni operis complementum: & ut juſtificatus à voluntate bonum faciendi, & à malo declinandi non deſiſtat. Quoad hoc autem donum omnes ſimiliter firmiſſimam in Dei auxilium ſpem collocare debent. Deus enim niſi gratiæ ejus defuerint, &c.

His ſecundum mentem S. Concilij ſic intellectis ; nulla remanebit quæſtio: imò difficultates inter ſe concordari poſſe videntur.

Portò ne baptiſati, & juſtificati in peccatum lapſi & in eo hærentes ſpe futuræ reſipiſcentiæ ſibi abblandiantur ; quaſi ſi omni tempore gratiam ad ſe convertandum obtenturi ſint; S. Synodus ita definit, & loquitur in Decreto de temeraria prædeſtinationis præſumptione.

Ibidem, cap. 12. Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeo præſumere debet; ut certò ſtatuat ſe omninò eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet; quod juſtificatus aut amplius peccare non poſſit, aut ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam niſi ex ſpeciali revelatione ſciri non poteſt: quos ſibi Deus elegerit.

Hæc Decreti verba altâ conſideratione ſunt penſanda; *aut ſi peccaverit: certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat.* Unde manifeſtè apparet ſenſum S. Concilij non eſſe: quòd omnibus & quolibet tempore promiſſa ſit ejuſmodi peccatoribus gratia ad reſipiſcendum. Illa igitur ſacræ Scripturæ verba ſunt attentè audienda & conſideranda; vocavi & *Prover. 1. v. 24.* renuiſtis: extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum: & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo: cùm vobis quod timebatis, advenerit..... Tunc invocabunt me & non exaudiam: manè conſurgent & non invenient me: eò quòd exoſam habuerint diſciplinam & timorem Dei non ſuſceperint; nec acquieverint conſilio meo: & detraxerint univerſæ correctioni meæ. Comedent igitur fructus viæ ſuæ: ſuiſque conſiliis ſaturabuntur. Futilia profectò eſſent omnia verba iſta, ſi homo non poſſet ex parte ſua deeſſe gratiæ Dei & de facto plerumque non deeſſet; vel ſi gratia deeſſet homini juſtificato. Quo ultimo ſemel poſitò: nullum ſupereſſet medium ſpem Chriſtianam aſtruendi. Quis enim non poſſet dubitare, an Deus vellet ſibi auxilium gratiæ ad ſalutem neceſſarium continuare, aut ſubtrahere? & quæ ſpes cum ejuſmodi dubio poſſet ſubſiſtere? Non illa certè quæ Theologica vocatur, & qualis à Theologis definitur.

Hæc de Doctrina S. Concilij dixiſſe nobis ſatis eſt: cùm abundè ſufficiant ad probandum, quàm benè concordent verba & ſenſus piiſſimi Authoris libri de Imitatione: cum doctrina ſacri Concilij. Reſtant nunc nobis pauca dicenda

---

De Doctrina & verbis S. Auguſtini.

MAxima certè reverentia S. Concilio Tridentino debetur; ejuſque authoritas non tantùm omnibus privatis Nationum Conciliis: ſed & univerſalibus debet anteferri, ſi S. Auguſtini verbis fides adhibeatur. Sic enim loquitur & dicit lib. 2. contra Donatiſtas cap. 3. Ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones, vel Provincias fiunt; plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus cedere: ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari. Cùm aliquo experimento rerum aperitur, quòd clauſum erat: & cognoſcitur quod latebat ſine ullo typho ſacrilegæ ſuperbiæ; ſine ulla

inflata cervice arrogantiæ ⁊ ſine ulla contentione lividæ invidiæ; cum “
S. humilitate, cum pace Catholica, cum Charitate Chriſtiana. Ibi clarè “
perſpicitur quid S. Concilio Tridentino quaſi omnium poſteriori debeatur ⁊ in quo omnium ferè Conciliorum doctrina ſummatim continetur: & in quo plura, quæ aliqua ex parte clauſa erant, aperta fuerunt. Erumpentibus nempe ex orco novis Hæreſiarchis & hæreſibus, quæ V.G. realem Chriſti præſentiam in S. Euchariſtia & pœnitentiam oppugnabant ⁊ nec non Eccleſiæ doctrinam circa peccatum originale, juſtificationem, liberum arbitrium & gratiam Chriſti per exceſſus Pelagianorum & Semipelagianorum hæreſibus oppoſitos corrumpere tentabant: neceſſe fuit plura diſcutere & examinare tam in doctrina, quam in verbis ſanctorum Patrum ⁊ ex quibus in reprobum ſenſum detortis ipſi hæretici ſua dogmata aſtruere conabantur: ut elucidarentur ⁊ & genuinus S. Eccleſiæ ſenſus per additionem, aut explicationem verborum à depravato hæreticorum ſenſu vindicaretur: atque à novorum errorum periculo, quantum fieri poſſet, per clariores explicationes fideles ſervarentur.

Eam autem reverentiam non ſolùm univerſalibus Conciliis poſterioribus exhibendam eſſe docet S. Auguſtinus: ſed etiam reſcriptis & deciſionibus ſummorum Pontificum. Ita enim loquitur Sermone 31. de verbis Evangelij Joannis. Jam enim de hac cauſa, inquit, duo Conci- “
lia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam ⁊ inde etiam reſcripta venerunt: “
cauſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error. Idem autem noſtris “
temporibus factum eſt in cauſa Yprenſis Epiſcopi, in qua ad inſtantiam maximè Illuſtriſſ. Epiſcoporum & Cleri Gallicani Sacra ſedes pronunciavit. Unde meritò etiam dicendnm eſt cauſa finita eſt.

Reſtat nunc nobis delibare aliquid ex illius S. Doctoris verbis circa tres illos diſtinctos doctrinæ libri de Imitatione Paragraphos: ut liceat ſaltem ſubintueri Doctrinæ Diſcipuli cum Magiſtri doctrina conformitatem.

§. I.

Circa gratiæ Chriſti neceſſitatem & auxilia.

SUperfluum eſſet S. Doctoris circa rem iſtam verba hîc referre ⁊ cum omnibus notum ſit omnes ferè illius libros verbis & argumentis eſſe refertos: quæ neceſſitatem iſtam aſtruunt, prædicant & mille modis exponunt. Imò in hac materia quam contra Pelagianos urgebat ⁊ pleriſque in locis videtur imitatus eſſe medicos, qui calidis morbis frigida remedia apponunt: ut caloris exceſſus per appoſiti frigoris vim, ad juſti temperamenti mediocritatem reducatur. Temerarium autem eſſet ſi quis noſtris temporibus arrogare ſibi vellet ſaniorem verborum & ſenſûs S. Auguſtini intelligentiam, quam Patribus S. Concilij Tridentini ⁊ ubi affuerunt pluſquam trecenti inſigniores Doctores ex univerſo orbe Chriſtiano advocati: qui libros à S. Doctore ſcriptos evolverant,

& apprimè noverant. At intolerabile eſſet, ſi quis S. Auguſtini verba ſuo modo intellecta, vellet adhuc contra S. Concilij deciſiones producere: aut S. Concilij mentem ad illa verba ſecundum ſuum ſenſum detorta inflectere. Quod à S. Auguſtini mente valde alienum eſt.

§. 2.

Circa cooperationem ex parte hominis.

ISTud poteſt offenſionis lapis vocari, in quem plurimi impegerunt recentium hæreticorum ratiociniis ineſcati, & ſub gratiæ Chriſti ſpeculativè honorandæ prætextu, ſe ſeque magis humiliandi, totum ipſi ſoli tribuendo, aſtruere volunt quod Chriſti Charitati, & ſinceris loquendi modis omninò oppoſitum eſt.

Si de exhibenda tantum humilitate in materia fidei ageretur, Lutherus & Calvinus in hac parte omnes ſuperaſſent liberum extinguendo arbitrium: & totum Deo tribuendo, eo modo qui nimis noſcitur. At humilitas falſa eſt & injurioſa: quæ contra Dei revelatam veritatem, & voluntatem militat. Cavendum ergò eſt & maximè cavendum, ne ſub prætextu falſæ humilitatis, naſcatur occulta fiducia, & incuria cooperandi cum gratia Chriſti: cum veriſſimum ſit illud D. Leonis oraculum, quamvis omnium bonorum ſit ipſe largitor: etiam noſtræ tamen fructum quærit induſtriæ. Non enim dormientibus provenit regnum Cælorum, ſed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus, ut ſi dona ipſius non irrita fecerimus: per ea quæ dedit mereamur accipere quod promiſit. Ec quid fieret de iſtis Chriſti verbis: *contendite intrare per anguſtam portam; Regnum cælorum vim patitur, &c.* In quanam re conſiſtent iſti conatus, iſta violentia ab ipſo Chriſti ore prolata?

Serm. 1. de Epiph.

Porrò totus liber de imitatione contra illam clamat falſam humilitatem, ſive potius deſidioſam præſumptionem. Sed audiamus S. Auguſtinum ea de re ſua verba proferentem. Pelagianiſmus, aut ſaltem Semipelagianiſmus obijcitur his; qui ſolius gratiæ efficacis dogma reijciunt juxta ſenſum Eccleſiæ, & Conſtitutiones ſummorum Pontificum. Ex verbis ergo S. Auguſtini res iſta primò terminanda eſt. *Si conceſſerit nobis* inquit, *Pelagius non ſolum poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit nec agat benè; ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt ut velimus & bene agamus, qua non ſiunt in homine niſi quando vult & bene agit. Si, ut dixi, conceſſerit ipſam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari: &c.* Si ergo quod requirit D. Auguſtinus firmâ fide credatur ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus: nihil ultra habet S. Doctor quod requirat. Sicque evaneſcit illud improperium. Ad alia ergo tranſeamus.

Lib. de Gratia Chriſti cap. 47.

Cùm per Dei adjutorium poteſtas tua ſit ut non conſentias Diabolo, quare non magis Deo, quam ipſi obtemperare deſideras?..... Quare ad peccandum ſeducit ſatanas, cùm Deus poſuerit hominis in poteſtate

Lib. 50. homil. 12.

non

non conſentire ſatanæ? . . . . . Dat quidem ille conſilium; ſed Deo auxiliante noſtrum eſt: agere, vel repudiare quod ſuggerit.

Pertinet ad nos ut boni ſimus, accipere & habere id quod dat is qui de ſuo bonus eſt: quo quiſque neglecto, de ſuo malus eſt. *Epiſtola 54. ad Maced.*

Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare negligis. *Lib. de Nat. & grat. cap. 63.*

Binis ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus; ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes; ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem: ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. *Lib. de Spirit. & Lit. cap. 33.*

In omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. *Ibidem.*

Omnis qui didicit, venit ad me. Quis non videat & venire quemquam ad Patrem & non venire; ex arbitrio venire voluntatis? *Ibidem.*

Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit; quia ipſe ut velimus operatur incipiens: qui volentibus cooperatur perficiens. *Lib. de gratia. & Lib. arbitrio cap. 17.*

Loquendo de fide & operibus dicit. Utrumque noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis: & utrumque datum per ſpiritum Fidei & Charitatis. Cum iſtis D. Auguſtini verbis bene concordat quod dicit D. Bernardus in Tractatu de gratia & libero arbitrio; quod à ſola gratia cœptum eſt: pariter ab utroque perficitur. Ut mixtum, non ſigillatim; ſimul, non viciſſim: per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium: ſed totum ſingula opere individuo peragunt. *Lib. 1. Retract. cap. 23.*

Alia id genus ſexcenta ex S. Auguſtino poſſemus afferre; Quæ verò retulimus: explicatione non indigent. Quia apertè demonſtrant non per gratiæ defectum hominem juſtificatum in peccatum labi; ſed per defectum cooperationis: quo fit ut in vacuum gratiam Dei recipiat. Ut quid tam apertam de cooperatione faceret ſanctus ille Doctor mentionem; niſi ex parte hominis aliquid adjungi deberet gratiæ Dei? ut quid aſtrueret in homine conſentiendi, vel diſſentiendi libertatem; ſi gratia ſemper haberet effectum pro quo data eſt? Illuſoriæ & fictitiæ eſſent omnes illæ locutiones, & ad homines potiùs decipiendos prolatæ: quam ad inſtruendos & ad bonum faciendum, malúmque fugiendum provocandos.

Gradus tamen gratiarum ſunt, quæ ſunt in donantis arbitrio: circa quod curioſæ quæſtiones ſunt penitus rejiciendæ. Sunt etiam in cooperatione ex parte hominum gradus & myſteria: quæ ſoli Deo nota ſunt. Operatio Dei, & cooperatio liberi arbitrij ſimul concurrunt: & in unum confluunt ad bonum opus perficiendum. Cooperatio deficit ex parte hominis, unde ruit in peccatum: & id fit miris, ſed veris modis.

Nec quid ulteriùs quærendum eſt : ſed ſtandum in ipſius ſancti Doctoris verbis ita loquentis.

Lib. de Spiritu & liter. cap. 34.

„ Cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; alteri autem non ita?
„ Duo ſola occurrunt, quæ reſpondere mihi placet; O altitudo di-
„ vitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c. Et numquid eſt iniquitas
„ apud Deum? Cui reſponſio illa diſplicet, quærat doctiores : ſed ca-
„ veat ne inveniat præſumptiores. Ex quibus verbis apparet, quantùm
„ diſtat S. Doctor à definiendo dogmate : quod ei ab Iprenſi Epiſcopo
„ imputatur.

Reſtat objectioni illi reſpondendum, quam quidam ad unicam gratiam victricem aſtruendam : ex his S. Auguſtini verbis hauriunt. Subven-

Lib. de corrept. & grat. cap. 12.

„ tum eſt, inquit, infirmitati voluntatis humanæ : ut divina gratia indecli-
„ nabiliter & inſuperabiliter ageretur. *Et paulo poſt*, ipſam gratiam effice-
„ re in hominibus, ut Deo donante, invictiſſimè quod bonum eſt, vellent:
& hoc deſerere invictiſſimè nollent.

Hæc veriſſima ſunt, & gratia iſtos in anima effectus producit : omnes enim contractiones naturales abſorbet. Imò conſolationes intimas & ſenſibiles tribuit : quarum reſpectu cæteræ conſolationes humanæ ut ſtercora reputantur. Sed non dicit S. Doctor ejuſmodi gratiam ſemper concedi; nec ullum eſſe gratiæ gradum minus ſenſibilem : quo anima non ſic ſenſibiliter, dulciter, imò ut ita dicam, voluptuosè afficiatur. Sed ad certandum contra hominem animalem, cujus inſultus dolorosè tunc ſentiuntur : adjuvatur.

Vide ſuprà qualiter piiſſimus S. Auguſtini diſcipulus, Author libri de Imitatione id tibi explicet : & ſui Magiſtri ſenſum ſapientiſſimè & devotiſſimè exponat. Satis, inquit, ſuaviter equitat : quem Dei gratia portat, &c. De iſta ſenſibili & efficaciſſima gratia ibi loquitur; ſed inſtruet te qualiter & quam ſæpe Deus à fideliſſimis etiam amatoribus ſuis gratiam illam ſubtrahat : ut corripiat; ut exerceat, & probet; aut defectus illorum & levia peccata puniat : illóſque relinquat in neceſſitate ſentiendi naturæ corruptæ inſultus & contradictiones; imò & carnalia deſideria, quæ militant adverſus animam, ut loquitur Apoſtolus : & contra illa decertandi; conceſſo tamen forti, licet non ſenſibili auxilio, quo pia anima juvatur : & in ſuo fundo obſtinatè vult adhærere Deo, & non conſentire malo. Illud autem eſt quod ſibi vult ſanctus Auguſtinus, dum dicit; *Scio, Domine, pertinere ad correptionem*

Lib. de peccat. merit. & remiſſ.

meam : quod à te minus adjuvor. Non dicit quod à te mihi ipſi relinquor : ſed quod minus adjuvor. Unde duo colligenda ſunt : gradus augmenti & diminutionis eſſe in gratia; & conceſſas gratias ſæpiſſimè differre in gradu ab illa efficaciſſima gratia : cujus effectus tibi ſuprà deſignat, dum dicit, *ſubventum eſt*, *&c.* Vide ergò ſuprà qualiter tibi utriuſque gratiæ effectus piiſſimus lib. de Imitat. Author explicet; ejuſque documentis firmiter adhære : nec ab eis vel latum unguem

diſcede. Novit enim gratiæ myſteria: per experientiam magis, quam per ſpeculationem, & ſententiam.

§. 3.

Circa abſceſſum gratiæ & ejus amiſſionem.

VErba illa quæ ex S. Concilio Trident. ſuprà retulimus, *Deus ſemel juſtificatos non deſerit, niſi prius ab eis deſeratur*; jam olim à S. Auguſtino ferè integra prolata fuerunt: quæ ideò ſancta Synodus ſua fecit, dum approbavit. His autem verbis clarè innoteſcit, ſenſum illius S. Doctoris fuiſſe, cauſam deſertionis Dei ab ipſo peccatore procedere; qui primus deſerit: ſicque meretur, ut à Deo deſeratur. Quia, ut loquitur D. Leo: habitatorem pravis operibus à ſe effugavit. Superfluum eſſet hic repetere, quæ ſuprà in hunc S. Concilij locum diximus: quia ibi poſſunt videri.

Sed quidam Iprenſis Epiſcopi doctrinæ zelatores hæc S. Doctoris verba obnubilare conati ſunt, per alia verba libri de Correctione & Gratia: ubi dicitur. *Deſerunt & deſeruntur: dimiſſi enim ſunt libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono: judicio Dei juſto & occulto.*

Librum illum de correctione & gratia, qui omnium S. Doctoris librorum difficillimus videtur, & ſubtilliſſimus; ante quinquaginta annos gallicè tranſlatum, unus ex illius zelatoribus edidit cum notis quæ textum ferè ſuperant: ut in muliercularum, ſed maximè Monialium manibus verſaretur. Et ut obvius ipſis eſſet; abſque argento, aut ulla cõmutatione emebatur: quia gratis dabatur. Ibi Author verba illa vertens, *deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi enim, &c.* vocis *enim* ſignificationem mutat in ſonum vocis, *quia* gallicè, *par ce que*, ut ſic obnubilet ordinem verborum *deſerunt & deſeruntur*; & indiſtinctè attribuat totius deſertionis cauſalitatem ipſi Deo: cujus occulto & juſto judicio dimiſſi ſunt libero arbitrio. Quod quantùm aberret à ſinceritate & à ſenſu S. Auguſtini à S. Synodo laudati & explicati: prudenti Lectori pervium eſt. Genuinus ergò S. Auguſtini ſenſus talis eſt, *deſerunt & deſeruntur*; homines deſerunt priores: & poſteà à Deo deſeruntur. Et ſtatim in quo conſiſtat iſta Dei deſertio, per hæc verba exprimitur: *dimiſſi enim ſunt libero arbitrio*, quod per ſe in peccatum ruit. Quare dimiſſi ſunt? quia Deum deſeruerunt: & tantum habitatorem per peccatum à ſe effugàrunt.

Quia ergò in peccata mortalia lapſi ſunt: evidens eſt, quòd donum perſeverantiæ non acceperunt. Quare iſtud perſeverantiæ donum nõn receperunt? Quia gratiæ defuerunt; & ideò deſeruerunt: unde accidit, ut deſerantur.

Porrò ſi quid obſcurum ultrà appareat in verbis S. Auguſtini circa perſeverantiæ donum; nihil amplius eſt quod te retardare debeat poſt

S. Concilij decretum, quia id ibi explicatum, & determinatum eſt: & reducendus eſt quilibet Divi Auguſtini ſenſus ad S. Concilij ſenſum & expreſſionem: proüt ipſe S. Doctor in ſuis ſcriptis ſæpius docet & aſſerit eſſe faciendum,

D. Auguſt. in Pſal. 39.

„ Finem loquendi faciamus per hæc ejuſdem D. Auguſtini verba. Jam „ fidelis es, jam ambulas in via juſtitiæ? curam tui non habebit qui facit „ ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos? „ Te jam juſtum ex fide viventem negliget, deſeret, dimittet? Imò verò, „ & hic fovet, & hic adjuvat: & hic neceſſaria ſubminiſtrat, & noxia re- „ ſecat. Dando conſolatur, ut permaneas: feriendo corripit, ne pereas. „ Dominus habet curam tui? ſecurus eſto: ille proteget, qui te fecit. „ Ab artificis tui manu noli cadere? ſi cecideris jam à manu artificis: „ frangeris....... Ille dixit cælum & terram ego impleo? nuſquam „ tibi deeſt: tu illi noli deeſſe, tu tibi noli deeſſe. Dominus curam habet „ mei? adjutor & protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.

Quidquid boni habes aut operaris tribue gratiæ Dei: qui dat velle & perficere pro bona voluntate. Quidquid malè agis? non defectui gratiæ Dei: ſed tibi ipſi imputa, quia gratiæ Dei defuiſti? aut illam per tuam negligentiam in vacuum recepiſti: aut ſpiritum Dei, ut loquitur Apoſtolus, contriſtaſti. His amplius ne requiras. Pete, quære, pulſa, ſecundum Chriſti verba: & ſpiritus bonus tibi dabitur, ſecundum abſolutum ejus promiſſum.

ELENCHUS

RERUM PRÆCIPUARUM.

Abjectio.

QUID ſit ſuiipſius abjectio: quantùm amanda ſit, & qualis ejus eſſe debeat praxis. pag. 226

Actio.

Noſtras actiones omnes fieri debere cum magna animi tranquillitate, ſine præcipitatione, cum ſincera divinæ voluntati ſubjectione. 243

Ut meritoriè fiant, cum charitate faciendæ ſunt. 112

Nec aliorum facta, nec vita curioſiùs indaganda eſt. 292

Affectio.

De affectibus & propoſitis quæ fieri debent in meditationis fine, & quomodo ipſam rectè inſtituere debemus, 139

Cordis affectio. *Vide* deſiderium.

Afflictio.

Deum in noſtris afflictionibus eſſe invocandum, & quomodo. 330

Conſolantur ij qui ſunt in mœrore & triſtitia. 343

Amici, Amicitia.

Amicos rariſſimè inter homines reperiri; ſolum Deum verum amicum eſſe. 296

Quid ſit amicitia; in quo ab amore differat; ac illius variæ ſpecies. 261

Quænam ſit vera amicitia; cum quibus & qua ratione iniri poſſit. 263

Amicitiam inter ſeculares neceſſariam eſſe; inter religioſos vero pernicioſam eſſe poſſe, & quare? 264

Amicitia non debet nos inducere ad aliquem inconſultè amandum, nec ad approbandos eorum, quos diligimus, defectus. 267

Quod ſint fallaces hominum amicitiæ; quodque minimè exquirendæ ſint; ſed Deo unicè ſit adhærendum. 269

Amorem Dei veræ amicitiæ fundamentum eſſe. 270

Amor.

De amore Dei, & in quo conſiſtat, déque miris illius effectibus 24

Amor omnia efficit ſuavia & facilia. 43

Confert bonitatem, perfectionem & pretium actionibus noſtris. 112

Verus Dei amor meliùs cognoſcitur ex propoſito fortiter pugnandi ac hilariter patiendi, quam ex conſolationibus ſenſibilibus. 336

Amor Dei ejus beneficiorum conſideratione in primis acquiritur. 220

Amor ſuiipſius.

Noſtro intellectui obſcuritatem inducit, rationem perturbat, efficitque ut de rebus judicemus, nón ut in ſe reverà ſunt, ſed prout iis afficimur. 301
Nos à ſupremo bono ſemper amovet. 99

Anima.

Ejus dignitas & excellentia expenditur. 738
Devotam animam ab omni rerum inutilium amore purgandam eſſe. 97
Mentis ad Deum elevatio. 103

Annihilatio.

Noſtræ coram Dei annihilationis neceſſitas, ejuſque utilitas oſtenditur. 25

Ariditas.

De mentis ariditatibus, & quænam ſunt earum cauſæ. 353 & 360
Quomodo ariditatis tempore ſe ſe gerendum ſit. 356 & 360
Anima ſe debet deprimere quando in tenebris & ariditatibus verſatur, & Deo animosè & abſque ſui dejectione confidere. 305
Quod deſiderium ab iis nos eximendi, nos non debet ad terrenarum conſolationum perquiſitionem inducere. 361
Bonum quod ariditatis tempore operamur, Deo acceptius eſt & ſpirituali noſtro profectui utilius. 356
Hujus-ce rei exempla, & eximiæ conſiderationes. 358
Ariditates & corruptelæ mentis ex vitiato corporis habitu nonnunqnam emanant. 359
De ariditatibus in meditatione, & quo pacto ſe ſe tunc gerendum ſit. 145
Si nos rebus ſublimibus non idoneos reddunt: utilliſſimum eſt humilioribus occupari. 149

Aſpirationes.

Quomodo aſpirationibus, orationibus jaculatoriis, piiſque cogitationibus rectè utendum ſit. 155

B

Beneficia.

De divinis beneficiis: ac de modo ea meditandi. 60
Quod beneficiorum Dei debemus aſſiduè recordari & gratias ipſi pro eis reddere, & minimis contenti eſſe. 61 & 62
Dei beneficiorum conſideratio excellens & expedita ratio eſt ejus amoris nobis conciliandi, & veræ humilitatis acquirendæ. 220

S. Bernardus.

Extra modum initio converſionis ſuæ fuit auſterus: & quomodo à Deo correptus fuit. 208

Bonum.

Homo cuncta repetit in ſupremi boni poſſeſſione; debétque ad illud obtinendum cæteris rebus renunciare. 104

C

Caro.

Carnem eſſe macerandam, & impugnanda illius illicita deſideria. 202

Caſtitas.

Tres hujus virtutis gradus afferuntur: & quam ſit animæ devotæ neceſſaria oſtenditur. 251
Conſilia ad caſtitatem conſervandam utiliſſima. 252

Charitas.

In quo conſiſtit vera Charitas. 13
Charitas genuinæ ac ſinceræ devotionis fundamentum eſt. 14

Cognitio.

Suiipſius cognitio ſcientiis omnibus anteponenda eſt. 30

Colloquia & familiaris conſuetudo.

De familiaribus hominum conſuetudinibus, & de variis illarum ſpeciebus. Quænam fugiendæ, vel admittendæ ſunt; & quemadmodum in iis nos gerere oportet. 275. & 276

Scilicet abſtinere ſe à verbis irriſoriis, perurbanè & honeſtè de omnibus & omnibus loqui. 280

Egregia ac maximi momenti conſilia ſuper his colloquiis, & de modo illa ritè cum aliis ineundi. 294

De colloquio cum Deo; illius habendi ratio, & effectus. 43

Quomodo in familiaribus congreſſibus de Deo loquendum eſt. 57

Communio.

De deſiderio quod habere debemus perfectè nos Jeſu Chriſto uniendi in ſacra Synaxi. 196

Quod rerum omnium ſtudium à nobis longè ſit abjiciendum, ut ei perfectè in hoc Sacramento inhæreamus. *ibidem.*

Quod nos Jeſu Chriſto totos tradere in ſanctiſſima communione debemus, quemadmodum ſe ſe nobis donat effuſiſſimè. 193

Amoris & bonitatis ſigna quæ Jeſus Chriſtus tibi in hoc Sacramenro exhibet. 183. & 187

De bonis excellentibus quæ recipiunt ij, qui ad ſacram Synaxim devotè accedunt. 188

Quod ac ſanctam communionem accedendum ſit cum humilitate gaudio permixta. 184. & 187

Sacra communione non eſt ex facili abſtinendum. De fructibus quos is percipit qui ad eam frequenter accedit. 179. & 180

De impedimentis quæ nos ab illa prohibent, & de modo his ſupplendi. 177

Quam proficuum ſit ſacra myſteria crebrò uſurpare. 178

Res eſt Deo accepriſſima ſemetipſum illi offerre, tam ante communionem quam in ſacro Miſſæ ſacrificio. 173

Pulcherrima hujuſce oblationis faciendæ methodus. 173. & 174

Quid agendum ſit ut bene nos ad communionem præparemus; & quod ea recepta debeamus nobis ſtudioſiùs attendere. 194

Quid faciendum eſt in ſanctæ communionis praxi. 191. & 192

Oratio ad Jeſum Chriſtum, ad obtinendam divinum Euchariſtiæ Sacramentum dignè ſuſcipiendi gratiam. 188

Vitam fugit, qui ſacram communionem fugit; quíque indignè illam recipit, mortem ſibi infert. 193

De ardentiſſimo devotarum animarum erga ſacrum hoc ſacramentum amore, & quantùm ab illis in hac devotione differimus. 197.

Ferventia Jeſum Chriſtum in hoc Sacramento recipiendi, illum collaudandi, nóſque cum illo ſtrictiſſimè conjungendi deſideria. 200. & 201

Quod hujus myſterij ſublimitas non eſt curioſiùs ſcrutanda: De rationis noſtræ imbecillitate; & quantùm periclitetur, ſi fidei obſequio recuſat ſe ſe ſubmittere. 202

Confeſſio.

Qui vult ſeriò Deo ſe devovere ; hic debet à ſacra Confeſſione incipere. 40

De totius anteactæ vitæ confeſſione, cum methodo illam ritè faciendi. 87

De Confeſſione ſingulari. Ejus utilitas, neceſſitas, & quid obſervandum ſit, ut accuratè fiat. 169

Quomodo conſcientia ſit ante confeſſionem diſcutienda. 172

Confeſſionis & pœnitentiæ ſcopus eſſe debet firmiſſimum Deo ſerviendi propoſitum : modus tale propoſitum enunciandi. 88

Conformitas

Voluntatis noſtræ cum divina conformitas veræ cordis libertatis cauſa eſt. 100

Conſcientia.

Bona conſcientia rerum ſublimiorum cognitioni præferri debet. *ibid.*

Brevis, & expedita conſcientiæ ante communionem explorandæ ratio. 172. & 173

Conſolatio.

Conſolatio ſenſibilis, ac tenerior cordis affectus veram devotionem non efficiunt. Hujus rei quædam proferuntur exépla. 346

Conſolatio ſenſibilis ſæpe à natura ingenita eſt , noſque poteſt in periculum conjicere. Qua ratione illa dignoſcitur, quæ ex vera devotione naſcitur. 347

Debemus noſipſos in conſolationibus deprimere ; cum gratiarum actione illas ſuſcipere ; & ad finem, cujus cauſâ nobis conceſſæ ſunt, eas inſumere, ne illarum fons exſiccetur. 349.350

De ſpeciali illarum uſu. 348

Quod illis oporteat renunciare, & & quomodo, 349

Illarum privatio patienter ſufferenda eſt , & in Deo ipſo potius, quam in ejus donis delectandum. 350

Vera conſolatio in Deo eſt ; ac in ipſo ſolo eſt quærenda. 146

Debemus nos ſicut omni conſolatione indignos, ita omni ſupplicio dignos arbitrari. 65

Contemptus.

De humili ſuiipſius ſenſu, ſive contemptu. 36

Contritio.

De vera Contritione 65

Expurgat animam à peccato, & ab omni in illud affectu. Multi modi ipſam obtinendi. 45. & 46

De cordis compunctione, & de miris illius effectibus. 46.& 47

Cor.

De inſtabilitate humani cordis, quódque, niſi in ſolo Deo ſtabiliri queat. 42

Corpus Ieſu Chriſti.

Corpus Jeſu Chriſti,& ſacræ Scripturæ duo ſunt animæ fideli multum neceſſaria. Vide *Communio.* 181. & 182

Creator, creatio, Creatura.

Creaturas fugiendo, Creator invenitur. 103

De hominis creatione : illius meditandæ ratione : & affectibus quos ex hac meditatione ducere debemus. 52

Meditatio finis ad quem creati ſumus. 53

Crux

Crux poſt Chriſtum nobis geſtanda eſt, ſi velimus cum illo felices

eſſe. 90
Non poſſumus à geſtanda Cruce nos eximere;ſed animoſè amplexanda eſt: éſtque via certiſſima, qua ad pacem & gloriam pervenitur. 333
Pauci ſunt qui ſe ſe perfectè abnegent & verè diligant. 323

Cupiditas.

Vis ſibi inferenda eſt ut cupiditates vincamus & eradicemus. 111
Cupiditatum repreſſio pacem interiorem parit. 96

Curioſitas.

Fugienda eſt lectionum, & eorum quæ in mundo aguntur curioſitas. 118

D

Defectus.

Debemus defectus invicé ſufferre. Modus illud rectè factitandi. 240
Quoſdam eſſe defectus, qui virtutibus oppoſitis debent impugnari. Hujus rei exempla. 207

Delatio.

Non eſt leviter & temerè credendum delationibus, nec iis omnibus quæ ad nos de aliis referuntur. 246. & 296

Deſiderium.

Quod deſideriis quibuſlibet, licet legitima nobis videantur, non eſt obſequendum; ſed attendenda ſunt, & reprimenda. 102
Ea, quæ nobis puriora apparent, ſæpe ſunt humanis cupiditatibus admixta. 85
Modus & ratio deſideria ſua dirigendi tam erga res indifferentes, quam bonas & ſanctas. 302. & 303
Quod noſtra omnia deſideria divino beneplacito ſubjicienda ſint, nihil prorſus optando, quod à Dei voluntate non pendeat. Hujus ſubjectionis praxis. 126
De perfecta deſideriorum ſuorum, ſuíque ipſius abnegatione; & de eximiis fructibus, quos illa in nobis parit. 104

Detractio, Detrahere.

Detractionis origo: quæ mala parit & cauſat, ac iis medendi ratio. 296
De voluntatis humanæ cum divina conſenſione; & de fiducia & ſpe quam in illa conſtituere debemus, cum acerbiſſimè de nobis loquuntur homines, aut detrahunt. 297
Obtrectationibus permoveri minimè debemus, quando de ſalute agitur. 307
Oratio ad poſtulandam à Deo gratiam detractionum patienter tolerandarum. 298
Qua ratione detractiones, obtrectationes & calumniæ ſufferendæ ſunt. 227. 234. 242

Devotio

Quid ſit devotio. 15
Variæ falſæ devotionis ſpecies, & in quo à vera differat. 13
Qualis eſt veræ devotionis character. 16. & 17
Vera devotio non in exterioribus obſervationibus, ſed in perfecta charitate ſita eſt. 14. & 15
Neque etiam conſiſtit in conſolationibus & affectibus ſenſibilibus. Signa quibus dignoſcitur. 346
Quod omnibus conveniat; & falſò credatur quibuſdam vitæ inſtitutis repugnare. Hujuſce rei exemplum. 21
Devotionem cum fervore amplectendam eſſe, atque in ea animoſè

perſeverandum. 307
Humilitate, ſuíque ipſius renunciatione comparari. 198
Hujus vitæ dolores mitigat. 16
Veram devotionem odit & proſcribit mundus. Quare. *ibid.*

Deus.

Deus principium eſt & ultimus rerum omnium finis, & ad ejus gloriam omnia debent referri. 124
De Dei erga homines bonitate; & quam jucundum eſt ei ſoli ſervire, mundúmque contemnere. 125
Quod ipſi unicè adhærere, & in ipſo quieſcere debeamus. 49
Debemus nos omninò illi permittere, ſi poſſidere eum velimus. 99
Quod in pace æquè ac in tumultu laudandus ſit; & ejus voluntati in omnibus obtemperandúm. 91
Auſcultandus eſt ipſe, & veritatis doctrina perquirenda. 29

Directio.

Ductor ſpiritualis neceſſariò nobis habendus eſt, ſi optemus verè devoti eſſe, & in devotione proficere. 27

E

Eucharistia. Vide *Communio.*

Examen.

De conſcientiæ examine, ac modo illud ritè faciendi. 152
Examen quod de profectu ſpirituali faciendum eſt: & quomodo. 366
Examinandum eſt qualiter anima noſtra affecta eſt tàm erga Deum, quàm res quæ illius honorem & obſequium ſpectant. 368
Examinatur animæ noſtræ ſtatus reſpectu ſui ipſius. 370
Examinamus qualiter nos habeamus erga proximum. *ibid.*
Examinantur animæ noſtræ affectiones. 371
Affectiones poſt hæc examina eliciendæ. 372
Quomodo conſcientia diſcutienda eſt priuſquam ad ſacram Synaxim accedamus. De firmo noſtræ emendationis propoſito. 172

Exercitium.

Exercitium matutinum, ac modus orationis inſtituendæ. 151
De ſerotino exercitio. 152

Exiſtimatio.

Secretorum Dei judiciorum conſideratio remedium eſt præſentiſſimum contra id quod de nobis præſumimus & ſentimus. 140
Licet præclaris naturæ & gratiæ donis nos cognoſcamus optimè ornatos; non eſt tamen quod hinc ſuperbiamus, & cæteris nos præferamus. 98

F

Fama

De cura boni nominis: & quo pacto poſſumus illud conſervare non interrupta humilitatis praxi. 229

Familiaritas.

Nimia hominum familiaritas eſt evitanda. 269

Fidelitas, & fidelis.

Maximam fidelitatem, etiam in rebus minimis Deo debemus. Quænam noſtri erga illum amoris menſura. 299

Fiducia.

Nunquam debemus fiduciam noſtram dimittere; quidquid timoris nobis objiciat Dæmon, ut ab ea nos dimoveat. 343

Finis.

Homo finis ſui noviſſimi debet ſemper recordari. 66

G

Gloria.
De vana gloria ; & qua ratione agnoſci & impugnari debet. 118
Merus eſt error ; ac verâ gloriâ animam expoliat. 352
Humanæ gloriæ vanitas ; & quæ mala in nobis creat. *ibid.*
Quantum inter proborum & improborum gloriam diſcrimen intercedat. 23
Vera hominis gloria in collaudando Deo conſiſtit, ac ſe ſe in illo ſolo gloriando. 352
Gratia.
Gratia humanarum conſolationum amatoribus non impertitur. 105
Quòd indigeamus gratiâ ; & quos effectus in anima juſti generet. 108
Quomodo gratia expectanda, poſtulanda, perquirenda & ſervanda eſt. 198
Varij gratiæ obtinendæ & conſervandæ modi. 105
Acceptæ gratiæ memorem eſſe cum humilitate oportet, 124. & 125.
Gratia abſque perfecta ſui abnegatione impetrari non poteſt. 105
Acceptarum gratiarum memoriâ novas nobis accerſimus, 351
Oratio ad impetrandam Jeſu Chriſti gratiam. 200
Oppoſiti & diſſimiles naturæ & gratiæ motus, 106
Quomodo intelligendæ ſunt voces illæ, gratia nos dimittit, à nobis recedit, nos deſerit, &c. & quid agendum eſt cùm in eo ſtatu ſumus, 19
Non aſpirandum eſt ad gratias & dona Dei ſublimiora, quæ ad ſanctificationem noſtram non requiruntur. 209
H
Homo.
Homo nihil habet ex ſe, nec unde poſſit ſe extollere. 351
Honor.
Mundi honores contemnendi ſunt, & cor ad Deum erigendum eſt. 84
Humilitas.
De humilitate exteriori, & de modo illam exercendi. 218
De humilitate interiori, ejus prærogativis, & modis illam acquirendi & factitandi. 220
Humilitas, & mortificatio vitæ devotæ & religioſæ fundamenta ſunt. 115
Humilitas Deum in animam inducit, ut eam conſoletur. 50
I
Ieſus Chriſtus.
Jeſus Chriſtus vera eſt via, quam anima devota debet ſequi. 90.
Ejus vita continuè meditanda eſt, & in exemplum nobis proponenda. 35.38
Illum amicum eligere, ſuper omnia diligere, & quemvis alium amorem inutilem & noxium exiſtimare debemus. 18
Amor Jeſu Chriſti bonorum omnium fons eſt & origo : in quo ille conſiſtit ; quanti æſtimandus eſt, & quid in nobis efficit. 19
De colloquio & unione cum Chriſto. 38
Ejus amoris erga fideles omnes conſideratio. 376
De inſigni ejus in nos bonitate qua ſuum corpus in ſacratiſſimo Sacramento nobis tribuit, & cum qua veneratione illud ſumere debemus. 185
Infernus.
De inferno, ejuſque ſuppliciis, cum

methodo ea meditandi. 74

Infirmitas.

De hominis infirmitate; & quanta illa ſit. 47

Injuria.

Quomodo injuriæ, cæteráque vitæ mala ſuſtinenda ſunt. 338

Inſpiratio.

Quid ſit inſpiratio; & quomodo eam ſuſcipere, ipſáque bene uti poſſimus. 167

Intellectus.

Intellectûs in meditationis tempore exercitium;& quid obſervare debet,ut has cōſiderationes quis eliciat ex argumento quod ſibi propoſuit meditandum. 139

Intentio.

Quod intentio noſtra ſimplex eſſe debeat & recta. 113

Invocatio,

De invocatione initio meditationis facienda; & ejus praxi. 136

Ira.

Cavendum eſt, ne ira nos efferri ſinamus. Mala quæ poteſt cauſare; ejuſque remedia. 207

Irriſio.

Omnis irriſio à colloquiis noſtris proſcribenda eſt, & eliminanda. Quanta in ſe mala continet. 280

Judicium, Judicare.

De arcanis Dei judiciis. Quod cum tremore perpendenda ſunt, ne in vaniſſimam & falſam incidamus noſtri opinionem. 140

Quod à nobis perſcrutanda non ſunt. 55

De extremo judicio. Ac illius meditandi ratio. 70

Modus ſecurum ſe præſtandi adverſus ultimi judicij acerbitatem. 72

Gaudium juſtorum in illa die quale. *ibid.*

Temeraria hominum judicia eſſe negligenda. 310

De temerarijs judiciis. Eorum cauſæ & remedia. 283.284.290

Quæ mala ex his procedunt. 286

Nunquam licitum eſt de proximo judicare. *ibid.*

Ad evitanda temeraria judicia, Deo & ſibi ſolum attendendum eſt. 291

L

Lætitia.

Gaudia & conſolationes non debent nos nec ſuperbiores, nec præſumptiores reddere. 298

Noſtram omnem lætitiam, gloriamque in hoc ſtatuere debemus, ut omnia æquo animo & tanquam à Deo nobis donata recipiamus. 86

De bonæ conſcientiæ gaudio; in quo conſiſtit, & qui ſunt illius effectus. 23

Libertas.

De vera cordis libertate. Hanc ut habeamus, Deo nos debemus omninò permittere. 100

Ut hæc libertas comparetur, omnes ſenſuum illecebræ declinandæ ſunt. 141

De hujus libertatis excellentià; quòd oratione potiùs, quam lectione acquiratur. *ibid.*

Libri.

De ſacræ Scripturæ, & devotionis libris, & quomodo legendi ſunt. 165

M

Maceratio.

Interior maceratio & humilitas duo ſunt vitæ religioſæ fundamenta. 115

Impotentium animi motuum coërcitio

citio ſublimoribus cognitionibus anteponenda eſt. 165
De corporis maceratione, & voluntariis pœnis quibus corpus atterere poſſumus, & de ipſarum delectu. 271
Macerationes parvæ, & quæ obviæ nobis ſunt, gravioribus, quæ inſolitæ & à nobis exquiſitæ ſunt præferri debent. 271

Manſuetudo & Comitas.

De noſtra erga proximum manſuetudine, & de modo illam exercendi. 235
Erga nos quoque manſueti eſſe debemus. In quo conſiſtat hæc manſuetudo. 238

Meditari, Meditatio.

Methodus meditationis, ſive orationis mentalis faciendæ. Et quomodo ad eam nos præparare debeamus. 134
De loco, & de myſterio, quod meditandum nobis proponimus. 136
Meditationis terminandæ modus. 142
Conſilia ad meditationem utiliſſima. *ibid.*
De ariditatibus quæ inter meditandum eveniunt; & quomodo in his ſe gerendum eſt. 145

Miſſa.

De ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio: & quanti intereſt illam devotè audire. 159
Deo nos debemus tunc offerre, & pro omnibus rogare. 173

Miſeria.

De hujus vitæ miſeriis. 47
Hominis miſeriæ; felix eſt ille qui eas ſcit cum conſtantia & perfecto divinæ voluntati conſenſu perferre. 324
Vide *Morbus*, *Mala*.

Merces.

Servos ſuos remunerat Deus non pro dignitate munerum quæ exercent, ſed pro ipſorum amoris magnitudine & humilitate. 210

Morbus, Mala.

Quo pacto nos gerere debemus in ægritudinibus. 214
Quod nemo ſit immunis ab hujus vitæ malis, & qua ratione ſuſcipienda ſunt. 215
Debemus Chriſti exemplo ad ea patienter ſufferenda incitari. 216
Eorum acerbitas bonorum æternorum ſpe lenienda eſt. 77

Mors, Mori.

Quod nos debeamus ad ſanctè moriendum præparare, & incertam mortis horam prævenire. 68
Quid agendum, ut felicem mortem nobis conciliemus. 70
Vita piè tranſacta miram confert fiduciam inſtante morte, ipſamque felicem reddit. 69
De morte, & de modo terribilem hunc tranſitum meditandi. 67

Mundus.

Sæpe nos mundus ad ſe trahit, quamvis ejus fraudes & fallacias cognoſcamus. 48
Odit & damnat veram devotionem. Quare? 16
Non poſſumus placere Deo ſimul & mundo. Dicat, agát-ve quid volet, nil curandum eſt. 307. & 308

N

Natura.

Quibus artificiis ad nos ſeducendum natura utitur; & quod ejus motus gratiæ motionibus valdè ſunt oppoſiti. 106

G

Negotia.

Verus cujuſlibet negotii ritè obeundi modus eſt, non nimiâ, ſed ſtudioſâ & accuratâ in agendo ſolicitudine uti. 243

Negotia quæ tractamus non debent animi noſtri tranquillitati & libertati nocere. 244

Felicem negotiorum noſtrorum exitum à ſola Dei miſericordia, non à noſtra induſtria eſſe expectandum. 245

O

Quæ eſt vera obedientia. 248

Ejus excellentia, & ratio illam rectè exercendi. 31. & 248

Neceſſaria eſt, & utilis eſſe debet. 248. & 249

Divina voluntas nullibi ſæpius invenitur, quam in obedientia directori ſuo præſtitâ. Hujus rei proferuntur exempla. 27. 28

Oratio.

De oratione. Ejus neceſſitas, praxis & variæ ſpecies. 128

De orationibus jaculatoriis. Earum praxis, utilitas & varia exempla. 155

Oratio Mentalis, Vide, *Meditatio.*

P

Paradiſus.

De Paradiſo, ejúſque gaudiis, ac de illa meditandi ratione. 75

Paradiſi gloria & gaudia cum inferni ſuppliciis collata. Noſtræ poteſtatis, optioníſque eſt, quæ velimus eligere. 80

Patientia.

Vera patientia. Et quæ illius notæ. 211. & 233

De patientia Chriſtiana, & eximiis quibuſdam ad illam in quibuſlibet occurſibus utiliter exercendam conſiliis. 211

De patientia in adverſitatibus, contradictionibus, propriiſque defectibus; & quam Deo accepta eſt. 241

Progreſſus.

De examine noſtri in vita ſpirituali progreſſus, & de methodo illud exactè faciendi. 366

Animi propenſio.

De noſtra ad malum propenſione; quam ſollicitè debemus ejus deſtructioni ſtudere; nec de ea eſſe deſperandum. 110

Pauper, Paupertas.

De ſpiritûs paupertate: in quo ſita eſt: & de ejus praxi. 254

Quod non ſolum paupertatem, ſed pauperes ipſos teneamur diligere. 255

Pax.

De pace animi, quámque ſollicitè conquirenda eſt. 111

Pacem ſuam non in hominum amicitia, ſed in ſolo Deo eſſe ſtabiliendam. 269

Pax non invenitur, niſi in cupiditatum ſuarum refrænatione. 96

In quo pax illa conſiſtit; & qui ſunt ejus effectus. 23

Pacis ac veræ libertatis via oſtenditur, traduntúrque conſilia perneceſſaria ad pacem hanc perpetuò poſſidendam. 31

Improbi hac pace non fruuntur. 23

In quo vera pax, & ſolida devotio ſita eſt. 311

Pax non in eo conſiſtit, ut nihil omninò patiamur; ſed ut patienter feramus tentationes, & vitæ hujus calamitates, atque ut impotentes animi motus coërceamus. 215

Oratio ad obtinendam animæ pacem. 32
Pax ſervanda eſt ſe ſe humiliando in doloribus & ariditatibus, & ſua deſideria gaudiáque in conſolátionibus refrænando. 305
Quòd Pax primò nobiſcum conſtituenda ſit. Ejus prærogativa, & illius acquirendæ ratio. 241
Pax cæleſtis cum hujus vitæ miſeriis comparatur, 78

Periculum.

Ad Deum eſt confugiendum tum in periculis, tum in internis animi anxietatibus. 245

Peccatum.

Peccata cum dolore eſſe recogitanda, & ſincero corde deteſtanda. 224
Perneceſſaria, ſed & difficillima res eſt affectionem ad peccatum penitus exuere. 41
Ratio ſe ſe ab hac affectione eximendi. 45
Peccata noſtra juſtiſſimam eſſe dolorum & gemituum noſtrorum materiam. 47
Affectio ad ipſa peccata venialia deponenda eſt. Quæ mala illa in nobis creat. 24
De peccatis privatis & de modo illa expendendi. 63

Perfectio.

Vitæ Chriſtianæ perfectio in eo conſiſtit, ut quiſque ſe perfectè divinæ voluntati permittat, nulla habita, quam ipſius gloriæ ratione. 312

Perſeverantia.

De perſeverantià in bene vivendo. Ratio illam obtinendi, ac in via ſalutis progrediendi. 133

Placere.

Quod Deo ſoli placere noſter ſit unicus ſcopus. 102

Poſſe.

Nihil nos nec eſſe, nec poſſe ſine Deo. 140

Prædeſtinatio.

Prædeſtinationem ad fidem nobis eſſe certam; non vero prædeſtinationem ad gloriam. 59

Præſentia Dei.

De exercitio præſentiæ Dei, meditationi adjunctæ, cum multiplici modo illam factitandi. 134

Præſumptio.

Immodica ſui fiducia gratiis, conſolationibus, ac veræ animæ paci valde officit. 350

Precari, Preces.

Quod pro omnibus à nobis orandum ſit, ſed præſertim in ſancto Miſſæ ſacrificio. 174
Diligendam eſſe orationem & ſolitudinem; & Deo ſtrictiſſimè adhærendum. 105
De oratione matutina & ſerotina, & de methodo in ea obſervanda 151. & 152

Pœna.

De pœnis peccatorum poſt hanc vitam. 72

Pœnitentia.

Pœnitentiæ fructus. 88

Propoſita.

Propoſita Deo fideliter ſerviendi, ac modus ea quotannis renovandi. 368
Conſiderationes ad hanc renovationem utiliſſimæ. 373

Pugna.

Quod nos metipſos debemus impugnare & vincere. 30

Puritas.

Puritas mentis, ac intentionis ſim-

plicitaſ, duæ ſunt alæ, quibus ad Deúm elevamur. 123

Vitæ puritas ex cordis puritate naſcitur. 104

Purgatio.

Animæ purgatio vitæ verè devotæ initium eſt. Quantum eſt difficilis & neceſſaria. 14

Prima mentis purificatio hæc eſt, ut peccato; ſecunda ut ipſi ad peccatum affectui renunciemus. 40

R

Regnum.

Quid ſit regnum Dei, & quomodo illud intra nos habere poſſumus. 17

Religioſus.

De agendi ratione & exercitiis veri Religioſi; & quòd debeat quotidiè ſua bona propoſita renovare. 116

Renunciare.

Rebus omnibus, ſibique ipſi renunciandum eſſe, ſi vitâ ſpiritûs & gratiæ vivere velimus. 104

In quo conſiſtat hæc abnegatio; ac ejus eximij fructus quos in anima producit. 105. & 106

Omnibus eſſe renunciandum ut Chriſtum ſequamur. 90

S

Sacerdos.

De excellenti Sacerdotum dignitate; & quam ſancta & exemplaris eſſe debet eorum vita. 189

S. Sacramentum, Vide, *Communio.*

Scala.

Scala Jacob veræ devotionis typus eſt. 17

Sancti

Sancti ſunt prototypa, ex quibus vitam noſtram effingere debemus, ſi velimus in virtutibus progreſſum facere. 115

Quædam in ſanctorum exempla conſiderationes. 375

De ſanctorum invocatione, ac utili ejus praxi. 162

De ſtatu gloriæ & felicitatis ſanctorum. Quod illos venerari & imitari debeamus; non verò curioſiùs inquirere, quis eorum ſit beatior. 55

Sanctum præ alio non eſſe diligendum. *ibid.*

De mutuo ſanctorum erga ſe, & omnium erga Deum amore. 56

Scientia.

De ſcientia quæ à Deo venit; & quomodo illam humilibus corde communicat. 165

De ſcientiæ humanæ vanitate. *ibid.*

Cujusvis ſcientiæ, præterquam divinæ ſtudium inutile eſt. 29

Sermo.

Reverentia & honeſtas ad ſermones noſtros adjungendæ ſunt. 280

Quo pacto verbum Dei legere & audire, ſibi attribuere, illúdque fideliter obſervare debemus. 163

De ſermone Dei interiore, & quis ille ſit. 150

Rogandus eſt Deus ut nobis loquatur. *ibid.*

Quomodo nos præparare ad illum audiendum debemus. *ibid.*

Audiendus eſt cum humilitate. 132

Multi illum non audiunt, ut decet, nec illum, prout meretur, expendunt. *ibid.*

Scriptura.

Methodus legendi Scripturas. 165

Scriptura ſacra, & Chriſti Domini Corpus ſunt animæ devotæ æquè neceſſaria. De bonis, quæ

illi utrumque confert. 191

Seceſſus.

Quod oratio, ſilentium, & ſeceſſus ab hominum converſatione, diligi debeat: & qui fructus ex iis proveniunt. 118

De ſpirituali animæ in ſe ipſa ſeceſſu, quem poteſt & debet facere mediis in occupationibus, & negotiis quibus pro ſtatu ſuo detinetur. 153

Severitas.

Quod erga alios ſeveriores eſſe non debeamus. Hujus rei exempla. 208

Solitudo.

De ſolitudine, & ejus prærogativis. 118

Sollicitudo.

De animi ſollicitudine, de illius cauſis, noxiis effectibus, & remediis. 338

Spes.

Spes noſtra in Deo ſolo debet reponi. 57

Quod in creaturis ſpes noſtra collocanda non ſit; ſed omnia à Deo ſperanda. 98

De puritate mentis, & quanta bona in nobis efficit. 113

Quanta eſſe debet animi & judicij moderatio & æquitas in totiùs vitæ noſtræ regimine ſed præcipuè reſpectu proximi. 301

Submiſſio.

De humili ſubmiſſione noſtræ voluntatis divino beneplacito. In quo ſita eſt, & quanta bona operetur. 225

Proprij judicij & cogitationum ſubmiſſio abſolutè neceſſaria eſt ei, qui multa pace frui exoptat. 31.

T

Tentatio.

Quid ſit tentatio. Illam reprimendi ratio; & quod ſit diſcrimen inter tentationem ſentire, & ei conſentire. 313

Pulchra hanc in rem exempla. 315

Variæ tentationum ſpecies, variique earum gradus. 318

Cur à Deo permittuntur nobis evenire. 320

Utile eſt tentationibus & contradictionibus impugnari. 317

Nemo poteſt à tentationibus ſe ſe eximere. Quomodo eis obſiſtendum eſt. *ibid.*

Quod in tentationibus licet violentiſſimis perturbari minime debeamus. 320

Quâ ratione tentatio & delectatio poſſunt eſſe peccata. 321

Quomodo in tentationibus cor eſt roborandum. 332

In tentationibus & animi anxietatibus fidenti animo orandum eſt, & auxilium à Deo expoſcendum cum ſpe firmiſſima illud obtinendi. 343

Quod perneceſſarium & utiliſſimum ſit parvis tentationibus obſiſtere; De fructibus quos ex illo renixu percipere poſſumus. 328

Remedia adverſus magnas tentationes. 327

Ac etiam adverſus parvas & quotidianas. 329

Timor.

Cujuſcumque modi ſit timor quem nobis incutiat Dæmon, ut infringat, nunquam debemus noſtram in Deum fiduciam deſerere. 343

Triſtitia.

De triſtitia. Quæ mala affert ; & quænam ſunt eorum remedia. 341

U

Vanitas.

De rerum humanarum inanibus illecebris,& de earum contemptu. 35

Vituperatio.

Quomodo ſe gerere quis debeat, cùm ſive juſtè ; ſive injuſtè vituperatur , aut accuſatur. 211

Veritas.

Æternam veritatem amandam & exquirendam eſſe , nihilque de propria ſcientia præſumendum. 224.

Veritas ad cor noſtrum loquitur, abſque verborum operâ. 131

Oratio ad Deum, ut ejus nos veritas edoceat. 133

Veſtes.

De veſtibus Sacerdotalibus , & de earum ſignificatione. 190

Viciſſitudo.

De jugi, quam in nobis ipſis experimur, viciſſitudine ; & de animi æquabilitate acquirendâ ut in omnibus his mutationibus firmi ac ſtabiles eſſe poſſimus. 345

Virtus.

De eximiis ſanctorum virtutibus. Quod exemplar noſtrum eſſe debeant;& ad ſuam praxim ſanctorum imitatione incitare. 115

Modus virtutes acquirendi , & in vita devota perſeverandi. 121

Solidæ virtutis genuinum argumentum eſt , ſine intermiſſione pugnare. 336

De virtutum praxi , & de illarum delectu. 203

Statui noſtro convenientiores eligendæ ſunt. 204

Quod ſolidiores,& occultiores,non uero clariores & illuſtriores deligi debeant. *ibid.*

Unius praxim eſſe potiſſimum ſeligendam , non neglecto tamen cæterarum exercitio. Hujus rei exempla. 375

Vita.

Vitæ ſpiritualis & interioris prærogativæ.

Hujus vitæ deliciæ cum mundanæ vitæ calamitatibus conferuntur. Prior eſt eligenda. 82

Quod ſine ullà intermiſſione laborandum ſit , ut in vita ſpirituali progrediamur.Quid faciendum, ut hoc proſperè ſuccedat. 121

De vita religioſa & ejus prærogativis. 117

In mortificatione , & interiori humilitate omninò fundata eſt.*ibid.*

Vita noſtra cum ſanctorum vita comparata ſummoperè imperfecta eſt. 115

De vitæ æternæ deſiderio ; & quod non à nobis , ſed à Deo nobis ingeritur. 84

Quid agendum eſt, cùm aliquo vitio impetimur. 207

Si liceat aliorum vitia arguere ; & quandonam, & qua ratione ſe in hoc habendum ſit. 289

Vocatio.

Perpenditur gratia vocationis ad divinum obſequium : cum conteſtatione illam fideliter ſequendi. 365

Voluntas, Velle.

Quod divinæ voluntati in pace perinde ac in tumultu, in conſolatione æque ac in afflictione